Ad simpliciter usum P. Fr. Nicolai Lisini a Valent.º M. O. 1842.

SACRAE
THEOLOGIAE SPECULATIVAE
INSTITUTIONES

A BLASIO PANZUTI
CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

CLERICIS JUVENIBUS
EIUSDEM PRAESERTIM CONGREGATIONIS PROPOSITAE

VOLUMEN II.

COMPLECTENS TRACTATUS DE DEO
ET DE DIVINIS ATTRIBUTIS.

NEAPOLI,
EX TYPIS RAPHAELIS MIRANDA
MDCCCXXIX.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Oseae c. 4. v. 6.

Esto, o Doctor, quasi Beseleel (Exodi 36.), et pretiosas Divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur .... Eadem tamen, quae didicisti, doce, ut, quum dicis nove, non dicas nova. Vincentius Lyrinensis in Commonitorio.

[redacted]

CONSPECTUS

HUJUS SECUNDI VOLUMINIS.

LIBER II.

De Deo, et Divinis Attributis.

TRACTATUS I.

De Dei existentia.

TRACTATUS II.

DE DEI ESSENTIA.

TRACTATUS III.

TRACTATUS IV.

TRACTATUS V.

TRACTATUS VI.

TRACTATUS VII.

TRACTATUS VIII.

TRACTATUS IX.

TRACTATUS X.

De Visibilitate Dei.

TRACTATUS XI.

DE SCIENTIA DEI.

TRACTATUS XII.

DE VOLUNTATE DEI.

LIBER II.

De Deo, et Divinis Attributis.

Dei existentia, atque essentia, ejusque proprietates, seu attributa, hujus libri argumentum constituunt; totius namque Theologiae, immo et Religionis primum fundamentum est Dei cognitio, juxta illud Ap. ad Heb. 11.: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit:* eorum vero temeritas, qui negant, se nosse Deum, impietatis culmen, cunctorumque vitiorum hydra est, juxta quod Regius Psaltes ait: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis* (*Ps.* 13.). Sit autem

TRACTATUS I.

DE DEI EXISTENTIA.

CAP. I.

An Dei idea sit nobis congenita, ejusque existenti a possit ne invincibiliter ignorari, ac demonstrari a priori?

Intelligitur Dei nomine *Ens necessarium, et perfectissimum, a nullo alio factum, et a quo caetera omnia sunt, et gubernantur.* Istud autem postremum additum est, ut Dei idea distinguatur ab ea, quam tradidit impius Spinoza, qui solo sermone relinquens Deum, sed re tollens, Mundum, ait, idipsum esse Ens necessarium, cum semper fuerit; nec non perfectissimum, omnes nempe perfectiones complectens, cum praeter eum nihil sit. Porro an Dei idea dicenda sit animae nostrae in ipsa ejus creatione indita, seu innata, fatentur multi, ut Tournely, Laurentius Berti, etc.; negant alii, cum nullatenus haec controversia fidem spectet, ut Huetius, Nicolaus l'Herminier, etc. Illud tamen verissimum est, et

exploratum, Dei existentiam ex numero illarum veritatum esse, quae evidentissime demonstrantur; non quidem a priori, sed utique a posteriori, et quidem evidentissime, ac cujusvis generis argumentis. Quibus praejactis, sit

Prop. I. = Non est nobis congenita Dei idea. Ita communius.

Probatur. = Et 1.° per ideam congenitam, seu innatam alicujus rei aliud intelligi nequit, nisi *character quidam, imago, seu forma ipsius rei animae in ejus ortu impressa, ad quam dum mens attendit, rem absque alio percipiat;* insipienter namque per illam intelligeretur vel facultas, vel facilitas, vel necessitas talem ideam efformandi. Non 1.m, quis enim dubitat, quod hujusmodi facultas sit nobis indita, ac congenita? Non alterum, quia facilitas aliquid concipiendi aliud non est, nisi vis expedita ad aliquid ipsius facultatis. Non ultimum, quia nullam necessitatem ad ullas cogitationes in nobis inesse experimur. Quod autem per ideam innatam intelligitur, cum Dei idea non convenit; idque patet 1.° ex experientia, qua constat, eam nos acquirere vel per ipsius Dei revelationem, vel per parentes, ac magistros, vel rationis usu ex rebus sensibilibus. 2.° quia cum idea sit *rei repraesentatio in mente facta*, ideoque a perceptione realiter non distinguatur, sed unum, idemque, quatenus actus est mentis, perceptio, quatenus alicujus rei est repraesentatio, idea dicatur; hinc si Dei idea esset nobis congenita, esset nobis congenita ipsius Dei perceptio; quod et intimo sensui adversatur, et pugnat cum ipsius perceptionis notione, quae actum mentis significat: actus vero infunditurne, an potius a facultate elici debet? 3.° quia si nobis congenita esset Dei idea; omnes illam habuissent rectam, ac Deo dignam, nec umquam creaturis cultum Deo debitum tribuissent. Id autem quam falsum sit, nemo nescit.

2.° Si Dei idea esset nobis congenita, nullibi, ac numquam Athei extitissent. Hos autem extitisse, constat 1.° ex Scripturis, ut ex Ps. 13., ubi: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*: quae verba accipienda non sunt, ut quidam autumant, quod practice tantum, perditisque moribus significaverint, Deum non esse, sed quod in corde asseruerint, quod verbis pronuntiare non audebant, ut D. Aug. interpretatur, inquiens: *Ideo dixit in corde suo*,

quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. (*In eumd. Ps.*). Ex c. 13. Sap., ubi: *Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt, quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, et Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt*; quibus verbis significantur, non tantum qui corde, ac perditis moribus, sed qui animo, et opinione veri sunt Athei, Divinitatem creaturis tribuentes. 2.° ex PP., ac Theologis, qui toti sunt, ut Dei existentiam cujusvis generis argumentis demonstrent. Porro si nulli essent, nec dari possent Athei, aerem verberarent, cum in asserenda Dei existentia operam ponerent, larvatosque, et umbratiles sibi fingerent Adversarios. 3.° ex testimonio Scriptorum, ut ex Tullio, qui Atheis accenset Protagoram, Diagoram Melium, Theodorum Cyrenaicum, ac Epicurum *l.* 1. *de Nat. Deor.*: quibus Sextus Empiricus *l.* 8. *cont. Mathem.* addit Prodicum Ceum, Euhemerum, et Critiam: Lactantius vero *l.* 1. *Div. Inst. n.* 2. Democritum: ac non tam longe ab aetate nostra iis quoque accensendi sunt Vaninus, flammis idcirco traditus ex decreto Conventus Tolosani a. 1619., ac Spinoza, qui nullum agnovit Deum ab hoc Mundo distinctum. Immo quid, nisi Athei, tot sine numero, qui extiterunt, Idololatrae? Nonne enim Athei, qui sine Deo sunt? Et nonne sine Deo sunt, qui verum Deum non agnoscunt, utpote qui solus, ac unicus est Deus? Ita plane; nisi Deum agnoscere censendi sint, qui nomine tenus Deum admittunt; quod dictu absurdum, Deum namque agnoscere, qui non idem Mundi opifex, ac Dominus sit, perinde est, ac quoddam tantum Dei spectrum, ac nomen inane agnoscere. Quibus perpensis, Dei ideam nobis congenitam non esse, consequens est.

Nec movere debet vel illud Ps. 4.: *Signatum est super nos lumen vultūs tui, Domine:* vel quod ita plerique PP. sensisse videantur. Quoad 1.m namque respondetur, per illud significari, tum quod homo factus est ad imaginem, et similitudinem Dei, ut D. Aug. explicat *in Ps.* 4., tum quod ex rebus visibilibus facillime, ac evidentissime in Dei cognitionem assurgimus. Quo sensu locutos quoque fuisse PP., dicendo, insitam nobis

esse Dei ideam, recte, et sine ulla vi eorum verbis illata, responderi potest, ut ipse Laur. Berti fateri cogitur.

Ex dictis autem colligitur, Dei existentiam neque etiam *per se* notam dici posse. Dicitur enim aliquid *per se* notum, *quod ex sola terminorum intelligentia, et absque ulla prorsus ratiocinatione statim perspicitur*; ut ex. gr.: *Impossibile est, idem simul esse, et non esse. Totum est majus sua parte*, etc. Hujusmodi autem non est Dei existentia: Ergo. Hinc tamen non sequitur, posse Dei existentiam invincibiliter ignorari, quod omnes fere Theologi, contradicente tantum Molina cum aliis paucis, negant, dum tamen dividuntur quoad quaestionem, an propositio *Deus existit* sit, necne dicenda veritas *per se* nota, Scotistis affirmantibus, Thomistis negantibus. Sit proinde

Prop. II. Dei existentiam nemo invincibiliter ignorare potest. Ita communiter.

Prob. 1.° ex *Ps.* 78., ubi: *Effunde iram tuam in Gentes, quae te non noverunt, et in Regna, quae nomen tuum non invocaverunt*; ex quibus sic argumentamur: Ignorantia invincibilis, sicut reddit involuntarium quodcumque scelus, cum nihil volitum, quin praecognitum, ita subtrahit delinquentes a Judicis ira. Ut autem sequitur ex loco cit., Gentes, quae Deum non noverunt, ejusque nomen non invocaverunt, Dei irae effectus maxime promerentur: Non ergo eorum ignorantia invincibilis.

2.° Ex *ep. ad Rom.* 1., ubi: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Porro si inexcusabiles, vincibilis dicenda est eorum ignorantia, qui ex rebus visibilibus Deum non conspiciunt: Ergo.

3.° Ex PP., ut ex D. Aug. *l.* 2. *quaest. Evang. c.* 46., ubi: *Apud Dominum etiam illi sunt inexcusabiles, quibus lex data non est, quia per creaturam poterant cognoscere Creatorem.* Et *tract.* 106. *in Jo.*, ubi: *Haec est vis verae Divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione utenti non omnino, et penitus possit abscondi.* Ex D. Greg. M. *l.* 17. *Mor. c.* 3., ubi: *Eo ipso, quod homo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse.* Ex Tertull. *Apolog. c.* 17., ubi: *Haec est summa delicti*

nolentium recognoscere, *quem ignorare non possunt.* Similia quoque apud alios.

4.° Demum ratione; quomodo enim invincibiliter ignorari potest, quod facillime, et evidentissime ex rebus visibilibus cognoscitur? Hujusmodi autem est Dei existentia: Ergo. Cui accedit, naturale esse cuivis effectui, qui ratione polleat, in causae cognitionem assurgere: quodque si Deus posset invincibiliter ignorari, daretur peccatum philosophicum; nec merito Alexander VIII. proscripsisset propositionem, quae ajebat: *Peccatum philosophicum est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi. Theologicum vero est transgressio libera Divinae Legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque aeterna poena dignum.*

Objicitur 1.°, invincibiliter posse ignorari ab iis, quibus nondum revelatio innotuit, quod ad fidem pertinet. Porro ad fidem pertinet Supremi Numinis existentia; *credere enim oportet* (ait Ap. ad Heb. c. II.) *accedentem ad Deum*, *quia est*; quare primus quoque articulus Symboli est *Credo in Deum*: Ergo.

R. dist. min., ad fidem scilicet, ac simul ad naturalem rationem Dei existentiam pertinere, non vero ad solam fidem, cum sola ratione duce adeo evidenter demonstretur, Deum existere, ut scripserit Tullius l. 2. De Nat. Deor. n° 44: *Esse Deos ita perspicuum est, ut id qui neget, vix eum sanae mentis existimem.*

Objic. 2.° Quod demonstratur, per aliquod ipso prius demonstratur. Primo autem Ente nihil prius: Non igitur demonstrari potest.

R. dist. maj., quod nempe id, quod demonstratur, per aliquod ipso prius demonstratur, idest *prius cognitum*, non tamen necessario, quod sit etiam *prius existens*.

Objic. 3.° Inter res creatas, et Deum nulla est proportio; suntque item creatura, et Creator correlata. Inter hujusmodi autem nulla dari potest demonstratio; 1.m quia improportionata connecti nequeunt; alterum, quia correlata sunt simul natura, tempore, et cognitione: Ergo.

R. dist. etiam maj., quod nempe inter res creatas, et Deum nulla est proportio *entitatis*; at utique adest proportio *connexionis*, tanquam inter effectum, et cau-

sam. Sic etiam creatura, et Creator sunt correlata, si creatura sumatur *reduplicative*, sive, ut creatura; non vero, si sumatur *entitative*, quatenus ens scilicet, sub hac enim ratione quodvis correlatum concipi potest absque eo, ad quod refertur. Sub hac autem ratione sumitur, dum ex creaturis colligitur existentia Creatoris, ut infra videbitur.

Prop. III. Dei existentia nequit demonstrari a priori. Ita verisimilius.

Probatur. = Demonstratio a priori dicitur, *quae fit a principiis vel actu, vel saltem cogitatione nostra rem demonstrandam antecedentibus*; actu nempe, ut causa respectu effectus; cogitatione, ut rei essentialia, et attributa respectu eorum, quae rei aliter conveniunt. Porro Dei existentia nequit primo modo demonstrari, cum sit Deus prima rerum omnium causa, ipse causam non habens. Neque etiam altero modo: 1.° enim non demonstratur a priori ex existentia entis necessarii; antecedenter namque ad Dei existentiam cognoscitur quidem existere debere quoddam Ens necessarium; id tamen non cognoscitur a priori, sed a posteriori, ex existentia scilicet entis contingentis, ut infra videbitur; ex quo sequitur, quod etiam Dei existentia nonnisi a posteriori exinde colligitur. Sive, ut idem diversimode dicamus, demonstratur Dei existentia ex existentia cujusdam Entis necessarii. Hujus autem existentia non demonstratur, nisi a posteriori, ex existentia scilicet entis contingentis: Ergo et Dei existentia nonnisi a posteriori demonstratur.

Neque etiam demonstratur a priori dicendo cum Sigismundo Storchenau *Ontol.* §. *CIX.*: *Ens necessarium vel est impossibile, vel possibile. Illud esse nequit, nam cum impossibile sit non ens, in non-ente contineretur ratio sufficiens alicujus realitatis, quod perspicue absurdum est. Ergo alterum. Porro si ens illud necessarium possibile est, vel illud est nude possibile, vel actuale. Primum rursus esse non potest, quia entis necessarii existentia est absolute necessaria, ideoque absolute repugnat ejus non existentia. Ergo alterum obtinet, idest etc.*: En tamen vitium, quo ejusmodi argumentatio laborat; quod nempe ex ideali Entis necessarii existentia, sive ex idea, quam de ipso cudimus, realis quoque ejus existentia infertur. Ex ideali autem existentia alicujus rei minime sequitur realis ejusdem existentia;

quaevis namque idea exigitne ullam veram realitatem praeter illam, quam mutuatur a cogitatione, cujus est modus? Exigitne aliam realitatem objectivam praeter illam, quam habet ab ipsa cogitatione?

Hinc neque etiam Dei existentia demonstratur a priori, dicendo cum eodem Storchenau *Ontol.* §. *CCXXXVI.*: *Cum Ens infinitum sit possibile, necesse est, ut sit vel actuale, vel nudum possibile. Sed hoc esse nequit. Sit enim vero ens infinitum nudum possibile. Poterit illud produci. Igitur vel a se, vel ab alio. Non primum, nihil enim producit seipsum. Non alterum, penderet enim in existendo ab alio, quod pugnat cum notione entis infiniti: restat igitur, ut Ens infinitum sit possibile actuale, seu, quod idem sonat, ut Ens infinitum actu existat.* Quis autem non videt, quod et haec argumentatio eodem vitio laborat?

Quo etiam vitio laborat haec, quae sequitur argumentatio: Ens a se est possibile, quia ratio *entis*, ejusque existentiae *a se* contradictionem non implicat; quodque contradictionem non implicat, est possibile. Hoc ipso autem, quod Ens a se est possibile, nequit non existere, quia Ens a se illud dicitur, quod rationem suae existentiae in sui ipsius essentia continet; dumque aliquod praedicatum enti convenit ratione essentiae, nequit ei illud non convenire: Ens igitur a se nequit non existere, ideoque existit. Quis tamen non videt, in hac quoque argumentatione idealem entis existentiam ad ejus existentiam realem transferri?

Idealis demum existentia ad realem transfertur in argumentatione, quam instituit Honoratus Tournely *De Deo, et Div. attrib. pag.* 107., ubi: *Nomine Dei intelligimus Ens perfectissimum, quo nihil melius est, aut cogitari potest. Atqui fieri non potest, ut animo apprehendatur Ens perfectissimum, quin statim existens intelligatur, alias perfectissimum conciperetur, et non perfectissimum: perfectissimum ex hypothesi; re ipsa non perfectissimum, quia careret existentia. quae omnium perfectionum prima est, et fundamentum aliarum, et illo perfectius aliquid cogitari posset.* Nihil proinde roboris hanc quoque Tournelii argumentationem habere ad demonstrandam Dei existentiam a priori, consequens est. Idque caeterum ob rationem etiam supra allatam, quod nempe, Deum esse Ens perfectissimum, colligitur ex ejus

necessitate existendi, ex qua profluit et quod in ejus essentia sicut continetur ratio ejus existentiae, ita contineri in ea debet ratio caeterarum possibilium realitatum, et quod a nemine limitari potuerit, cum a nemine pendeat. Hinc sicut existere Ens necessarium, nonnisi a posteriori demonstratur, ita ipsum esse Ens perfectissimum eodem quoque modo demonstrari, manifeste sequitur.

CAPUT II.

De Dei existentia a posteriori demonstrata. Et 1.° argumentis metaphysicis.

Quod Dei existentia nequeat a priori demonstrari, jam supra ostendimus. Utique tamen ea demonstratur a posteriori, et quidem evidentissime, ac cujusvis generis argumentis, quae distinguuntur a TT. in metaphysica, physica, et moralia, ac totidem capitibus persequemur. Sit proinde, ut a metaphysicis sumamus exordium,

Prop. Dei existentia evidentissime demonstratur a posteriori argumentis metaphysicis.

Probatur. Sunt enim haec, quae ducuntur ex Mundi contingentia, atque ex impossibilitate infinitae seriei effectuum absque causa prima. Utroque autem ex capite evidentissime demonstratur Dei existentia. Et 1.° ex Mundi contingentia; dicitur enim ens contingens illud, quod cum absque ulla contradictione concipi possit non existens, rationem proinde suae existentiae in sui ipsius essentia non habet, nam cum ratio, cur aliquod praedicatum convenit subjecto, est in hujus essentia, eo prorsus modo praedicatum illud concipi nequit ei non convenire, quo concipi nequit, idem simul esse, et non esse, ut rotunditas respectu circuli, ratio respectu hominis, etc. Absque ulla autem contradictione potest hic Mundus concipi non existens: 1.° scilicet, quemadmodum tot alii mere possibiles Mundi concipiuntur. 2.° Quia absque ulla prorsus contradictione tum entia, e quibus coalescit, possunt singillatim, ideoque etiam conjunctim concipi non existentia; tum modus, quo conjunguntur, potest concipi diversus: quorum neutrum esset, si non esset Ens contingens, sed Ens necessarium. Et sane propterea quod circulus non quidem contingenter, sed necessario est rotundus, implicatne contradictionem ejus non

rotunditas? Utique. E contrario propterea quod homo doctus non quidem necessario, sed contingenter est doctus, implicatne contradictionem ejus non doctrina ? Minime. Jam vero omnium hujus Mundi entium non existentia, ac diversus ab eo, quo conjunguntur, modus nullam contradictionem implicat: Non igitur necessario, sed contingenter existunt, ac taliter conjunguntur. Qua super re animadvertatur etiam, quod non rotunditas circuli in quavis hypothesi contradictionem implicat, haec enim est ratio vere necessariorum; non existentia autem hujus Mundi entium, ac diversus ab eo, quo conjunguntur, modus implicat solum contradictionem in hypothesi, quod existant, ac taliter conjungantur; quemadmodum etiam implicat contradictionem, quod homo non sit doctus in hypothesi, quod sit doctus, quae utique contingentium ratio. Evidentissimum ergo est, Mundum esse ens contingens; utque contingens, rationem suae existentiae non habere in sui ipsius essentia. Quod si eam in seipso non habet, debet profecto illam in alio habere, cum nihil esse possit absque ratione sufficiente, ubinam namque sui rationem, nisi in nihilo, haberet? Quod si nemo dat, quod non habet, quomodonam nihil esse potest ratio realitatis? Mundum igitur in alio habere rationem suae existentiae, consequens est, et quidem in alio, quod non sit contingens, secus namque usque in infinitum multiplicaretur difficultas, semper quippe usque in infinitum quaeri posset de eadem ratione. Quod autem non est contingens, est necessarium, quia enim idem non potest simul esse, et non esse, omne ens proinde vel ita existit, ut possit non existere, vel ita, ut non possit non existere: Existit ergo Ens necessarium, quod est Deus.

Pressius idem, ac brevius. Dum ratio, ob quam circulo rotunditas convenit, in ipso circulo reperitur, quippe quod in quacumque hypothesi contradictionem implicat, quod circulus non sit rotundus, esset namque, et non esset circulus; ratio e contrario, ob quam existentia huic Mundo convenit, in ipso Mundo non reperitur, cum nullam implicet contradictionem, quod Mundus non existat, sed facta hypothesi, quod non existeret, nulla inde sequeretnr contradictio. Quod cum ita sit, ratio, ob quam illi existentia convenit, haberi debet in alio, quod ab ipso distinguatur, secus namque ratio, ob quam illi

existentia convenit, haberetur in nihilo, quod absurdum: Datur ergo istud Ens, quod est Deus.

Nec minori evidentia demonstratur Dei existentia ex impossibilitate infinitae seriei effectuum absque causa prima; ita enim argumentamur. Nisi admittatur causa quaedam prima, cui caeterae omnes subordinentur, vel admitti debet mutuus quidam circulus inter causas sese invicem producentes, vel progressus in infinitum in ipsis causis producentibus. Tam ille autem, quam hic repugnat: *circulus* nempe, tum quia res eadem foret sui ipsius causa saltem mediata, quod repugnat, causa enim prior suo effectu esse debet, nec aliquid esse potest seipso prius: tum quia totus quoque circulus non esset, nisi Entium contingentium series, cujus proinde ratio sufficiens esse et deberet in alio Ente, quod non sit contingens. *Progressus vero in infinitum*, quia haberet simul, et non haberet causam primam: hoc ex hypothesi: illud, quia secus undenam series infinitorum entium insufficientium ad existendum, et quorum unum alterum ad existendum determinaret, undenam, inquam, series hujusmodi fieret sufficiens ad existendum, nisi ex nihilo? Quisnam, ait Buffierius, videns alicujus catenae ex alto pendentis extremum inferius, negaret, alterum catenae ejusdem extremum egere, quo retineatur, propterea quod poneret annulos infinitos, quorum alter alterum sustineret? Accedit, quod si daretur progressus hujusmodi, daretur quoque numerus actu infinitus. Hic autem repugnat; etenim, ut disserit Moshemius (*syst. intell. c.* 5. *sect.* 1. §. 24. *not.* 2.), numerus absque subjecta materia, sive in se spectatus, nihil est, solumque est aliquid, dum spectatur cum subjecta materia, sive refertur ad res, ac actiones. Porro si numerus non est, nisi multitudo quaedam rerum, ac actionum, repugnat, quod sit actu infinitus: pugnat namque cum notione infiniti, quod sit augumenti capax, nec potest rerum, ac actionum multitudo concipi, cui alia res, ac actio addi nequeat. Nec e contrario facessit divisibilitas spatii in infinitum: quidquid enim de hac sit, cum spatium non habeat partes actuales, sed possibiles tantum, tum quia metaphysice continuum, tum quia non est aliquid reale; hinc posita divisibilitate spatii in infinitum, sequitur tantum, dari numerum infinitum entium possibilium, quod non repugnat, ejusmodi enim numerus cum neque sit, neque es-

se possit cum subjecta materia, propterea quod nequeunt existere omnia simul possibilia, hinc improprie dicitur numerus, et reapse non est numerus, sed non numerus, seu merum nihil. Quare ut illic redeat, unde discessit, oratio, nisi admittatur causa quaedam prima, cui caeterae omnes subordinentur, vel admitti debet mutuus quidam circulus inter causas sese invicem producentes, vel progressus in infinitum in ipsis causis producentibus. Tam ille autem, quam hic repugnat: Datur ergo causa quaedam prima, cui caeterae omnes subordinantur. Haec autem est Deus: Deus ergo existit.

Huic quoque affinis alia institui potest argumentatio. Nisi detur unitas, quae est principium numerorum, nullus plane numerus supputari potest; nisi enim detur unitas, neque etiam dari potest binarium, quia istud exsurgit ex duplici unitate; ac nisi detur binarium, neque etiam potest excogitari quaternarium, utpote ex duplici binario exsurgens, etc. Causae autem, quarum una alteri subordinatur, sunt ad instar numerorum, quorum unus alterum supponit: Nisi ergo detur causa unica, ac prima, nulla alia causa poterit excogitari. Porro causa haec unica, ac prima est Deus: Deus ergo existit.

Pressius tamen idem, ac brevius. Quemadmodum infinitae negationes nec unam dare possunt affirmationem; ita et infinita entium series, quorum nullum per se existat, sed A. per B., B. per C., C. per D., et sic deinceps, dare nequit, quod id genus series per se existat. Quod cum ita sit, dari debet Ens a serie distinctum, per quod ipsa existat, ne dicatur existere ex nihilo: Datur ergo istud Ens, quod est Deus.

Nihil profecto allatis demonstrationibus evidentius: attamen, ut ad nihilum omnino redigamus infinitam illam causarum seriem, quarum aliae, ut ajunt Athei, ab aliis pendent, nulla prima, et omnes simul supplent primae defectum: quidnam praeterea infinita illa series, nisi causarum deficientium coagmentatio, sive causarum, quarum nulla rationem sufficientem *essendi* in seipsa continet? Defectum autem ejusmodi singulis causis intimum, ac essentiale series infinita non supplet, eo ipso enim quod causae singulae ab *essendi* ratione deficiunt, deficit quoque ab eadem *essendi* ratione tota causarum series: Adesse ergo debet prima, a qua rationem *essendi* habeant. Item nonne cum caecis adduntur in infinitum caeci, non

suppletur, sed augetur in infinitum caecitas? Simile autem fit, dum causis *ad essendum* insufficientibus aliae, atque aliae ejusdem generis in infinitum adduntur: Aliud ergo non fit, dum causis *ad essendum* insufficientibus aliae, atque aliae ejusdem generis in infinitum adduntur, quam in infinitum augere earum insufficientiam *ad essendum*, ideoque primae causae existentiam, a qua rationem *essendi* habeant, magis, magisque statuere. Estne demum haec insufficientia *ad essendum* in singulis causis, estne, inquam, aliud, quam nihil virium, nihil potestatis, nihil principii ad essendum? Redige autem simul in summam infinitam defectus hosce virium, potestatis, principii: quid emanat? Profecto, quod sicuti ex infinitis *Zeris* non fit numerus, ex infinitis nihilis non fit quantitas, ita ex infinitis *essendi* defectibus non fit esse. Quibus positis, majori semper evidentia concludimus cum Grotio l. 1. De verit. Relig. Christ. *Res aliquas esse, quae esse coeperint, sensu ipso, et confessione omnium constat, etc. Eae autem res sibi non fuerunt causae, ut essent, nam quod non est, agere non potest, nec ipsa res esse potuit, antequam esset. Sequitur igitur, ut aliunde habeant sui originem: quod non tantum de illis rebus, quas ipsi aut conspicimus, aut conspeximus, fatendum est, sed et de iis, unde illae ortum habent, donec tandem ad aliquam causam perveniamus, quae esse numquam coeperit, etc.*

Superest modo, ne demonstrationibus allatis aliquid desit, quod demonstremus quoque breviter, Ens illud necessarium, ac primam omnium causam esse Deum. Ita ergo argumentamur. Cum Ens illud primum ex ostensis non jam contingenter, sed necessario existat, ideoque rationem suae existentiae habeat in sui ipsius essentia, nam quod Enti convenit praeter essentiam, non necessario, sed contingenter ei convenit, hinc perfectissimum quoque, et infinitum esse debere, consequens est; 1.° enim cum in ejus essentia habeatur ratio sui ipsius existentiae, in ea etiam haberi debet ratio omnium possibilium realitatum, nam cur non aliarum realitatum? 2.° quia a quonam limitari potuit, cum a nemine pendeat, sitque Ens non acceptum, et participatum, sed ipsum esse? Est autem ex ostensis ab hoc quoque Mundo adspectabili distinctum, ac illud, in quo hic Mundus adspectabilis rationem suae existentiae habet, ideoque prima omnium causa; nec aliud sub Dei

nomine intelligitur, nisi Ens necessarium, perfectissimum, infinitum, ab hoc Mundo adspectabili distinctum, ipsiusque Conditor, ac prima omnium causa: Ens igitur, quod existere demonstravimus, Deus est.

Hinc ex dictis evertitur simul impium Spinozae Systema, Deum cum hoc Mundo adspectabili confundens: 1.° enim demonstratum fuit, et Mundum hunc adspectabilem esse Ens contingens, et praeter illum existere debere Ens quoddam non contingens ab ipso Mundo adspectabili distinctum. 2.° quomodonam creatura, qualis ex demonstratis Mundus hic adspectabilis emergit, unum idemque esse cum ejus Conditore potest; factum unum idemque cum Factore; opus unum idemque cum Opifice? 3.° Ens non contingens hoc ipso esse Ens necessarium, ex ostensis constat, ideoque etiam perfectissimum, et infinitum. Necessarium porro hunc Mundum adspectabilem non esse, jam quoque ostendimus; perfectissimum vero, atque infinitum non esse, notius est, quam ut demonstratione egeat. 4.° Per Spinozam homo scelestissimus, et quodcumque corpus non est aliud, quam Deus certo modo se habens. Id autem quam absurdum sit, nemo non videt. Atque haec satis contra Spinozisticum systema. Quae modo contra superius statuta ab Atheis objiciuntur, diluamus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Ex falso nequit inferri verum, quia falsum rationem veri non continet. Neque autem Ens contingens Entis necessarii rationem continet: Neque igitur ex Ente contingente inferri potest Ens necessarium.

R. neg. cons., ex falso enim nequit inferri verum, quia verum, et falsum nullatenus connectuntur, sed se mutuo excludunt. Ens tamen contingens, et necessarium ambo connectuntur, velut rationatum cum ratione sufficiente, effectus cum causa: Patet ergo disparitas; ac solum quia Ens contingens non continet rationem Entis necessarii, hujus demonstratio ab ente contingente non est a priori, sed a posteriori.

Objic. 2.° Ex ente possibili non infertur recte, nisi causa tantum possibilis. Quod cum ita sit, aeque etiam ex effectu contingente non infertur recte, nisi causa tantum contingens; Ergo.

R. neg. sequ. min., ideo enim ex effectu possibili non infertur recte, nisi causa tantum possibilis, quia cum sufficiat, ut causa suo effectui sit proportionata, sufficit effectui possibili causa pariter possibilis. Dum tamen agitur de effectu contingente, satis non est causa pariter contingens, nisi, ut diximus, admittatur, vel mutuus quidam circulus inter causas sese invicem producentes, vel progressus in infinitum in ipsis causis producentibus. Utrumque autem ex dictis repugnat.

Objic. 3.° Termini conclusionis nequeunt esse magis connexi inter se, quam fuerint cum medio, ideo quippe eos conjungimus in conclusione, quia novimus eos conjunctos cum medio in praemissis. Porro si ex existentia Entis contingentis recte inferri posset existentia Entis necessarii, termini conclusionis essent magis inter se connexi, quam essent cum medio; termini enim istius conclusionis *Deus existit* essent inter se connexi necessitate absoluta, dum tamen non essent cum medio connexi, nisi necessitate hypothetica, cum existentia creaturae sit tantum necessaria hypotetice, et in se contingens: Ergo.

R. neg. maj., ad rectam namque argumentationem non requiritur, nisi quod ex nexu, vel repugnantia duarum idearum cum media colligamus in conclusione nexum, vel repugnantiam ipsarum inter se; non vero, quod idem semper sit nexus duarum idearum inter se, qualis fuerit cum media, quod nemo docuit.

Objic. 4.° Si existentia Entis contingentis esset necessario connexa cum existentia Entis necessarii, Ens contingens esset simul, et non esset contingens: 1.m ex hypothesi; alterum, quia ejus existentia esset necessario connexa cum existentia Entis necessarii. Nequit autem idem simul esse, et non esse: Non igitur existentia Entis contingentis est necessario connexa cum existentia Entis necessarii.

R. dist. maj., idest si existentia Entis contingentis esset necessario connexa cum existentia Entis necessarii necessitate absoluta, et antecedenti, utique Ens contingens esset simul, et non esset contingens; non vero, dum cum illa est connexa necessitate tantum hypothetica, et consequenti, sub hypothesi scilicet, quod Ens contingens existat.

Objic. 5.° Si existit ens contingens, debet quidem existere ens necessarium, sed indeterminate sumptum;

quemadmodum nempe si existat scriptio, debet quoque existere calamus, sed indeterminate sumptus. Porro quod debeat existere quoddam Ens necessarium indeterminate nullam exigit realem existentiam Entis necessarii: Non ergo istud realiter existit.

R. neg. sequ. maj., 1.° cum nullatenus intelligatur ejusmodi Ens necessarium indeterminate sumptum. 2.° quia ejusmodi Ens non esset reapse necessarium, sed contingens, quippe quod ejus necessitas oriretur ex hypothesi, quod Ens contingens existeret, quemadmodum necessitas calami ad scribendum sequitur hypothesim, quod scribendum sit.

Objic. 6.° A distributivo ad collectivum non valet illatio, non enim quia singulae aquarum guttae sunt tenuissimae, singulae unitates non sunt numerus, singuli homines non sunt multitudo, idcirco vel parum mare extenditur, vel plures unitates numerum, pluresque homines multitudinem non efficiunt. Quod cum ita sit, neque etiam ex eo, quod singula hujus Mundi entia sint contingentia, inferri potest, quod et eorum collectio contingenter existat: Ergo.

R. dist. maj.; quod nempe a distributivo ad collectivum non valet illatio, dum agitur de praedicato, quod, etsi non adaequate, inadaequate tamen partibus convenit; bene tamen valet, dum agitur de praedicato, quod partibus nulla prorsus ratione convenit. Primum habet locum in allatis casibus, alterum in casu, de quo loquimur; cum enim contingentia nullo prorsus modo sit necessitas, hinc sicut haec nulla prorsus ratione convenit singulis hujus Mundi entibus, ita nulla prorsus ratione eorum collectioni convenire potest. Sive, ut idem diversimode dicamus, non valet illatio a partibus ad totum, dum agitur de praedicatis, quae enti conveniunt, quatenus pars, vel totum; non vero dum agitur de praedicatis, quae absque ullo respectu ad rationem partis, vel totius, ipsam entis essentiam afficiunt, ut innumeris exemplis illustrari posset. Porro entium contingentia ad eorum essentiam spectat: Utique ergo valet illatio a singulis ad omnia; ac perquam recte argumentatio procedit: Singula hujus Mundi entia sunt contingentia: Et collectio igitur omnium hujus Mundi entium est contingens.

Instant tamen. Possibilitas essentiam afficit. Ex eo autem, quod singula possibilia possunt actu existere, in-

ferri nequit, quod omnia possint actu existere, non enim haec possunt omnia actu existere: Tametsi ergo agatur de iis, quae essentiam afficiunt, non semper valet illatio a distributivo ad collectivum.

R. neg. cons., cum enim, dum dicitur, quod singula possibilia possunt actu existere, sermo non sit, nisi de sola possibilitate intrinseca, hinc etiam illatio, quod omnia possunt actu existere, nonnisi ad solam possibilitatem intrinsecam referenda est. Nequeunt vero omnia possibilia reapse existere, tum quia existeret numerus actu infinitus, quem repugnare, supra ostendimus; tum quia si omnia possibilia reapse existerent, nullum remaneret possibile, et consequenter omnis possibilitas tolleretur.

Objic 7.° Sicut materia nequit producere spiritum, ita ob paritatem rationis neque etiam spiritus materiam producere. Dicitur autem de Ente necessario, quod est spiritus: Non ergo poterat materiam producere, ex cujus proinde existentia nequit ejus existentia inferri.

R. 1.° Indirecte; quod nempe argumentum perinde se habet, ac si quis diceret: Nequit horologium efficere artificem: neque igitur artifex horologium. Nequit statua efficere sculptorem: neque igitur sculptor statuam. Sed directe neg. sequ. maj., nequit enim materia spiritum producere, quia materia est incapax vis infinitae, qualis requiritur ad efficiendum aliquid ex nihilo. Bene autem Ens supremum potest materiam producere, quia cum necessario existat, est ex demonstratis Ens perfectissimum, et infinitum, ideoque et vis infinitae.

Objic. 8.° Series causarum sibi subordinatarum absque causa ultima non repugnat. Quod cum ita sit, neque etiam repugnare, dicendum est, seriem causarum sibi subordinatarum absque prima. Ergo.

R. neg. sequ. min., ideo enim illa non repugnat, quia cujusvis effectus assignari in illa potest causa adaequate sufficiens; cum tamen in hac assignaretur quidem cujusvis effectus causa, sed numquam adaequate sufficiens. Patet ergo disparitas.

Objic. 9.° Ens istud necessarium, ac prima omnium causa a nobis comprehendi nequit: Nihili igitur ejus idea.

R. neg. cons., incomprehensibilis namque est a nobis, quia cum sit Ens necessarium, est quoque ex ostensis Ens infinitum. Quomodo autem mens finita comprehendere infinitum potest? Aliunde tamen ejus existentia lu-

culentissime demonstratur : Quidque magis falsum, quam quod dicenda sit nihili cujusvis rei idea, quae a nobis comprehendi nequit, cum innumera sint extra omnem dubitationem posita, quae a nobis comprehendi non possunt? Hinc apposite hac super re Rousseavius, scriptor caeteroqui Religioni infensissimus : *Più mi sforzo di contemplare l'essenza infinita di Dio, meno la concepisco. Ma ella v'è, ciò mi basta. Meno la concepisco, più l'adoro, mi umilio, e gli dico : Essere degli esseri, io sono, perchè tu sei. È un innalzarmi alla mia sorgente il meditarti incessantemente. Il più degno uso della mia ragione è di annientarmi avanti a te. È l'estasi del mio spirito, la consolazione della mia debolezza il sentirmi assorto dalla tua grandezza* (*In Emil. Tom.* 3.)

CAPUT III.

De Dei existentia a posteriori demonstrata argumentis physicis.

Sunt haec, quae ducuntur ex mirabili hujus Mundi opificio, ac regimine, ex quibus Dei existentia evidentissime etiam a posteriori demonstratur. Sit proinde

Prop. Dei existentia evidentissime demonstratur a posteriori argumentis physicis.

Probatur. Quemadmodum extra omnem dubitationem versatur, quod quivis effectus suam causam requirit, ita propter necessariam cujusvis effectus cum sua causa nedum conjunctionem, sed et proportionem extra omnem dubitationem habendum est, quod effectus artificiosus, ac sollers ex causa etiam arte, ac sollertia pollente proficisci debuit. Nihil autem Mundo hoc adspectabili artificiosius, ac sollertius; ejus namque totam sapientum omnium admirationem sibi rapiunt tum vastissima spatia Coelestia, ac quae per illa indesinenter moventur Sol, Luna, Astraque innumera, ac semper per tot saecula eamdem inter se distantiam, eamdem declinationem ab Eccliptica, eamdem celeritatem in suo cursu servantia; tum plantarum tot, tantarumque specierum conformatio, earumque partium dispositio; tum animantium, insectorumque ipsorum, totque similiter ac, tantarum specierum stupenda organizatio, ac instinctus, tum demum, ut paucis totum complectamur, adeo concinna

ejus machina, ut sine arte, et consilio factam fuisse, potius quam ab Sapientissimo, ac Potentissimo Artifice, is solum dicere potest, qui prorsus, ac supra omnes insanos insaniverit: Quis igitur, nisi omnium insanissimus negare poterit, quod Sapientissimus, ac Potentissimus iste Artifex existit? Hinc ita de impiis Sap. Auctor c. 13. *Si tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?* Ut nempe profanus quidam cecinit,

Nulla domus Domino caruit; Vos hancine tantam
Nullius Domini dicitis esse domum? (J. Owen).

In veggendo una bella cosa (ita etiam praeclare Abb. Flexier in Cat. Philos. p. 1. c. 3. §. 1.) *noi domandiamo: Chi n' è l' Autore? Chi l' ha fatta? A che serve? Queste domande sono inseparabili dalla natura dello spirito umano: Sono in bocca de' fanciulli, come in bocca de' Filosofi, in bocca degl' idioti, come in bocca de' dotti. E intanto per qual ragione avrebbero luogo nelle più picciole occasioni, e non già nella cosa la più toccante, e più propria a fissare gli sguardi della ragione?* Quod et ait Ap. ad Heb. 3., ubi: *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est.* Adestne scilicet domus, quae suum Artificem non habuerit? Multo magis igitur mirabilis, ac stupenda hujus Mundi machina. Et re sane vera quis mentis compos videns horologium artificiose dispositum statim non judicat, ab aliquo perito artifice elaboratum fuisse? Longe autem absque ulla comparatione mirabilior ordo, ac harmonia in singulis Universi partibus spectatur, quam quae in horologio, vel quovis alio artefacto admiratur: Insipiens ergo, ac plane insanus, immo insanissimus omnium sit, oportet, qui existimet, Mundum hunc adspectabilem ab alio, quam a Sapientissimo, ac Potentissimo Artifice conditum: *Quid potest esse tam apertum* (ita apposite Tullius l. 2. de Nat. Deor.), *tamque perspicuum, cum Coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?* Et ibidem: *Quinam in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum veniens, cum viderit omnium rerum rationem, modum, disciplinam, poterit ea sine causa fieri judicare, ac non esse*

aliquem intelligere, qui praesit, et cui pareatur? Multo magis igitur in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nil umquam immensa, et infinita vetustas mentita est, statuat, oportet, ab aliqua Mente tantos Naturae motus gubernari. Qua super re ita etiam praeclare D. Chrysostomus in Ps. 13. *Non est fundamentum; et quomodo stat aedificium? Non est carina; et quomodo consistit navigium? Non est fabricator navis; et quomodo navis compacta est? Non est aedificator; et quomodo domus facta est? Non est architectus; et quis urbem condidit? Non est agricola; et quomodo agri tulere manipulum? Non est musicus; et quomodo in Mundi lyra apparet concentus? Non est, qui provideat; et quomodo per omnia pervadit providentia? Non est auriga; et quomodo elementorum quatuor currus agitur? Non est statuarius; et quomodo homines, veluti quaedam statuae in Mundo facti sunt? etc.*

Necesse nunc non esset ostendere, quam insulsum, et a recta ratione alienum sit, in fortuitum atomorum consursum cuncta cum Epicureis refundere. Sed ut id magis, magisque pateat, 1.° Si omnia ex fortuito atomorum concursu prodierunt, undenam ratio, intelligentia, libertas, quibus nos praediti sumus, ac quae in conceptum materiae nequaquam prorsus ingrediuntur? 2.° Casus praefigere sibi nequit finem. Cuncta autem hujus Mundi entia connexa inter se sunt per causas finales, nec unum est ex iis, quod finem aliquem non habeat. 3.° Nihil casui magis oppositum, quam in eodem statu perpetua, fixaque stabilitas. Omnia autem in hoc Mundo eadem semper ratione contingunt, ac certas, et constantes leges sequuntur, omnes enim norunt, quod vere florescunt rosae, aestate segetes maturescunt; autumno vites vinum fundunt, etc.; astra a tot saeculis eumdem cursum, eodemque tempore illum peragunt, etc. 4.° Poteratne fieri, quod ex litteris temere, et sine arte projectis resultaret opus artis, et consilii plenum, quales sunt Ilias Homeri, Aeneides Virgilii, etc.? Insanissimus, oportet, sit, qui id impossibilibus non accenseat. Nonne autem impossibilius, Mundum hunc adspectabilem, quem cuncti Sapientes numquam admirari desierunt, ex fortuito atomorum concursu prodiisse, atque etiamnum perstare? 5.° Epicureorum positis deliramentis, cur numquam alium ordinem mobi-

les illae atomi nanciscuntur? Cur numquam novae arbores, nova animantia, aliaque id genus nova videntur? Cur duos tantum homines effecere, eosque masculum, et feminam ad futuram prolis generationem? Cur homines ubique terrarum habent corpus iisdem partibus instructum, nec diversam habent figuram, structuramque membrorum? *Si Mundum* (ajebat Tullius l. II. de Nat. Deor.) *efficere potuit concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora?* Demum ponunt Epicurei, existere has atomos ab aeterno. Id autem absurdum, forent namque ex dictis necessitate suae naturae existentes, atque hinc unaquaeque earum ens perfectissimum, et infinitum. Ponunt item, naturae suae necessitate moveri. Sed et id absurdum, quod enim necessitate naturae enti competit, concipi nequit eidem non convenire, ut rotunditas circulo, homini ratio, etc., cum tamen bene concipiatur atomus absque ullo motu. Ponunt item, moveri nedum in lineis parallelis, sed etiam paullulum declinare. Id autem quomodo absque ulla ratione sufficiente? Ponunt item, in se incurrere, et cohaerescere; infinitas per totam aeternitatem consociationes effecisse, sed brevi post tempore ob eorum perpetuam agitationem in primaevam dissolutionem rediisse, tandem hanc praesentem tot saeculorum lapsu perstitisse, etc. .. Sed quis non videt, non esse haec omnia, nisi tot gratuitas assertiones, quot verba, ideoque totidem deliramenta?

Paullo tamen magis super earum motu immoremur: vel enim hunc Epicurei atomis dicent essentialem, vel accidentalem. Neutrum tamen dici potest. Non 1.m, id enim essentiale atomis dici nequit, sine quo ipsae, ut diximus, et esse, et cogitari possunt. Porro sine motu et esse, et cogitari possunt; etenim sublato per mentem ab iis motu, adhuc intelliguntur remanere aliquid extensum. Non alterum, tunc enim extrinsecus iis adveniret; quod affirmare nequeunt Epicurei, undenam enim iis adveniret, quandoquidem per eos nihil praeter atomos existit? Deinde ut tot diversorum corporum species existerent, diversos profecto motus gradus iis debent tribuere. Porro hos diversos motus gradus vel a se habuissent, vel ab alio. Non 1 m, cum omnes ejusdem sint naturae. Non alterum, cum nihil per eos sit praeter atomos. Quibus

perpensis, nihil profecto insulsius, atque a recta ratione alienum magis, quam Epicureorum commentum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Opus finitum in causam quoque finitam refundi potest. Mundi autem fabrica est opus finitum: Ergo.

R. neg. min., etsi enim Mundus quoad entitatem sit opus finitum, et limitatum, adeo tamen artificiose elaboratus admiratur, ut infinitam potestatem, et sollertiam arguat in Opifice.

Objic. 2.° Tot, tantaque Naturae opera arte perficiuntur. Quod si ita res se habet, vel Deus, si qui sit, homine in suis operibus dicendus est imperfectior, vel naturae opera non sunt a Deo: Ergo.

R. neg. sequ. min., cum enim homines totum, quod habent, a Deo habeant, hinc eorum operum perfectio a Deo quoque est mediate. *Questo argomento* (*ita* praeclare Genuensis in opere, cui titulus *Delle scienze metafisiche* c. 2. §. VIII.) *mi pare, come quest' altro: Michelagnolo poteva egli scolpire il suo Bruto senza scalpelli? Gli scalpelli dunque migliorano l' arte di Michelagnolo, e hanno più Maestria, che lui. La Provvidenza di Dio opera per due generi di strumenti*: 1. *per la* phusi *meccanica*: 2. *per la* phusi *razionale. Nell' ordine meccanico è così bella la California ruvida, secca, inculta, il Paraguai, ed il Brasile boscoso, rozzo, pieno di stagni, e popolato di bestie, e di uomini semibestie, quanto nell' ordine della ragione umana questa medesima California, quel Paraguai, quel Brasile reso un giardino per l' arte umana. E sempre la Provvidenza, che ordina.*

Objic. 3.° Datis atomis aeternis, quae in motu fuerint per saecula infinita, ex earum motu oriri hucusque debuerunt omnes possibiles earumdem combinationes. Non est autem hic Mundus, nisi una ex possibilibus materiae partium combinationibus: Datis ergo atomis, ut supra, hic tandem Mundus oriri debuit, qui proinde existit.

R. dist. maj., datis nempe atomis, ut supra, ex earum motu oriri poterant omnes earumdem combinationes inordinatae, et per casum possibiles; non vero vel una tantum combinatio ordinata, et per casum non possibi-

lis, cujusmodi est Mundi hujus conformatio; longe enim admirabilior est, quam omnes doctorum lucubrationes; quas caeterum sine cujusquam intelligentiae directione fieri posse, is dicere audebit, qui rationatum dixerit ratione non indigere. Et sane certos motus, et proportionis leges in caeca, et fortuita atomorum combinatione requirere, perinde est ac asserere, hominem, qui omni arte, sapientia, ac etiam ratione destitutus sit, ad perfectam artis normam exactum opus perficere posse. Hinc patet quoque minoris propositionis distinctio.

CAPUT IV.

De Dei existentia a posteriori demonstrata argumentis moralibus.

Sunt haec quae ducuntur ex unanimi omnium ubique Gentium consensu, ex idea, quae penes omnes extat cujusdam legis naturalis, virtutisque, ac vitii, aliisque id genus; quibus demum existentiam Dei evidentissime demonstrandam suscipimus a posteriori. Sit proinde

Prop. Dei existentia evidentissime demonstratur à posteriori argumentis moralibus.

Probatur. Et 1.° ex unanimi omnium ubique Gentium consensu; ut enim inquit Plutarchus adversus Colotem: *Si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes: urbem vero templis, Diisque destitutam, quae precibus, jurejurando, oraculis non utatur; non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo umquam vidit.* Cui concinens Tullius l. 1. de leg. c. 8. *Nulla gens* (ait) *est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* Et qu. Tusc. l. 1. c. 13. *Nulla gens tam fera, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de iis prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim, et naturam Divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit; non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est.* Similia habent et Plato *de leg. c.* 10., et Aristoteles *ad Nicom. l.* 10. *c.* 11., et alii innumeri. Ita autem inde argumentari licet.

Quemadmodum diversitas effectuum diversitatem causarum, ita generalis quivis effectus generalem quoque causam efflagitat. Quaenam autem haec esse, vel cogitari potest in omnibus hominibus, nisi natura rationalis, ob quam sunt, et dicuntur homines? Generale ergo hominum placitum ex eorum natura rationali dicendum est prodire. Cumque natura rationalis nequeat nos per sese in errorem inducere, tum quia natura in omnibus, ac singulis a veritate aliena immerito prorsus rationalis diceretur; tum quia quod omnibus dictat ratio, hoc ipso etiam omnino est ad rationis normam, quod proinde si esset falsum, universalis prorsus Pyrrhonismus inveheretur, quo nihil absurdius: hinc generale hominum placitum, cujusmodi est prae aliis, Numen quoddam supremum existere, falsum esse non posse, consequens est. Nec obstat, quod etiam aliqui ex his generalibus placitis desciverint: ut enim nemo negat, naturalem esse parentum in proles suas amorem, tametsi inter eos non defuerint, in quibus sensus hic naturalis suppressus prorsus, atque extinctus extiterit: ita commune plurimorum in unum consentiens judicium inter naturalia reponi debet, tametsi non defuerint, qui ab eo recesserint. Neque etiam obstat quod Baylius ex suspectis quibusdam relationibus contra opponit de integris Regionibus absque ulla Supremi Numinis cognitione: tum quia Atheismi nota inuri a nonnullis consueverunt Gentes, quae externo Religionis apparatu carebant: tum quia omnes fere illae relationes dubiae sunt, cum tantum scripserint talia narrantes *fertur*, *putatur*, *fama est:* tum demum, quia cum peregrinatores illi sermonem habere non potuerint cum hominibus, quorum linguam ignorabant, deceptos in hoc fuisse, dicendum est; et ex defectu Templorum, Ministrorum, rituumque de defectu etiam omnis prorsus Religionis judicasse.

Objiciunt quidem Athei, quod Deorum opinio invaluit vel ex astutia Legislatorum, ac Principum, ut vim suis legibus darent; vel ex ignorantia causarum naturalium, e quibus oriebantur fulmina, taerraemotus, aliaque id genus. Ita ex iis Lucretius *l.* 6. *de Nat. rer.*

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua Coelo
Fulmina cum caderent. . . .

Ad id tamen satis esset respondendum, tum quod ea facilitate, qua talia asseruntur, negari possunt, tum quod *commenta* (ut ait Tullius de Nat. Deor. l. 2. c. 2.) *delet dies, naturae judicia confirmat*, cum tamen temporis diuturnitate stabilis semper perstiterit Dei idea. Sed quoad 1.^{m}, nonne qui dolos meditantur, eorum, quos volunt decipere, affectiones prius sollicite explorant, iisque cognitis, id, quod moliti fuerant, exequuntur? Si igitur Legislatores, ac Principes Religione usi sunt, ut vim suis legibus darent, easque subditi, tamquam sacras, ac divinas, reciperent, jam Religio in eorum cordibus radices agere, ac Divinitatis notio eorum animos pervadere debuerat. Accedit, ut praeclare disserit Lactantius de ira Dei c. 10., *quod si fallendi nostri, atque adeo totius generis humani causa commenti sunt Religionem, quae tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, sed Platonem quoque, ac Socratem fallerent, et Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, maximarum sectarum principes deluderent?* Demum sibi increduli contradicunt, dum Religionem Legislatorum, ac Principum commentum dicunt, ac simul inquiunt, humanas Leges satis per se esse ad societatis bonum, nec Religionis praesidio indigere.

Quoad alterum, si Religio profecta fuisset ex ignorantia causaram naturalium, e quibus fulmina, terraemotus, aliaque id genus oriebantur, 1.° plebs quidem tantum illam coluisset, non vero Philosophi, ac omnium sapientissimi. Hi autem fuerunt simul omnium Religiosissimi. 2.° idea, quam de Deo homines sibi efformassent, crudelis cujusdam Entis, ac terribilis fuisset, non vero Entis, cujus Natura bonitas, charitas, et clementia. Haec autem fuit Dei idea, quae penes omnes obtinuit. Hinc Tullius de Nat. Deor. l. 2. c. 25.: *Sed ipse Iuppiter, idest* juvans Pater; *quem conversis casibus appellamus, a* juvando *Jovem, a Poetis* Pater *Divumque, hominumque dicitur, a majoribus autem nostris* Optimus Maximus, *et quidem ante* Optimus, *idest beneficentissimus, quam* Maximus, *quia majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere.* Praeclarius quoque Seneca ep. 65.: *Quaeris, quid sit propositum Deo? Bonitas. Quae Deo faciendi Mundum causa fuit? Bonus est.*

Unanimi omnium Gentium consensui, quod Deus existat, accedit idea, quae penes omnes extat, cujusdam legis naturalis, virtutisque, et vitii, quae idem confirmat; ita enim argumentari licet. Nemo est, cujus animum non possideat idea cujusdam legis, quae virtutem adprobat, ac praecipit, eique pollicetur praemium; vitium vero reprobat, et condemnat, eique poenam minitatur; vi cujus *gentes, quae legem non habent*, (ut ait Ap. ad Rom. 2.), *naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt*; *ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se cogitationibus accusantibus, aut defendentibus.* Cum autem haec lex sit cunctis humanis Legislatoribus anterior, atque ab iis independens, adeo ut extaret adhuc, tametsi ii omnes cunctas suas leges unanimi consensu abrogarent, adesse debet supremus quidam legislator, qui illi vim obligandi tribuat: ac dum virtutem adprobat, ac praecipit, eique servat praemium, vitium e contrario reprobet, ac condemnet, eique poenam tribuat: Adest ergo Supremus hic Legislator, idest Deus. Et sane, hoc sublato, quinam virtuti, ac vitio relinqueretur locus; ac nonne potius utriusque nomen inane prorsus vocabulum dicendum esset? Cum lex, et Legislator sint correlata, quid clarius, quam quod, Supremo Legislatore sublato, omnis quoque lex naturalis tollitur, ideoque et omnis naturalis obligatio, utpote quae legis effectus? Immo et omnis tam naturalis, quam civilis obligatio: quia enim omnis legum civilium auctoritas, et efficacitas in ea naturae lege ultimo fundatur, qua jubemur eorum voluntati parere, qui nobis praesunt; nemo est, qui non videat, quod, sublata lege naturali, nedum naturalis, sed et civilis quoque obligatio omnino tollitur, idque magis, quia homines in tali hypothesi in externo tantum foro, non autem in interno legibus obstrictos se haberent, e quo a publicis delictis dumtaxat, non vero ab occultis, et clam patratis abstinere se debere, consequens ducerent. Hinc quod impius Lucretius ajebat,

Sola est utilitas justi prope mater, et aequi.

Hinc quod Hobbesius, Spinoza, eorumque impietatis sectatores docuerunt; jus nempe omne in majore potentia, obligationem vero in imbecillitate sitam; fidem perfidiae, clementiam crudelitati nequaquam praecellere; omnes de-

mum actiones aeque esse indifferentes, idemque esse parentem jugulare, ac illum debito amore prosequi: quibus quid magis rationi adversum? Rationi et igitur adversum Supremi Numinis existentiam nolle agnoscere. Sed

Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. . . . (*Aneid.* 2.):

Relicto scilicet rationum robore, ipsorum impiorum testimoniis id confirmemus: *Uscite dall' idea di un Dio giusto, che punisce, e premia* (ita Rousseavius in *Emil. t.* 3.), *io altro non veggo, che ingiustizia, ipocrisia, e menzogna tra gli uomini. Il particulare interesse, che in competenza prevale necessariamente ad ogni cosa, istruisce cadauno ad abbigliare il vizio con la maschera della virtù. Tutti gli uomini facciano la mia felicità a spese della loro; tutto si rapporti a me solamente; perisca il genere umano, se occorre, nella pena, e nella miseria, per risparmiarmi un momento di dolore, e di fame. Ecco il linguaggio interno di ogni Incredulo, che ragiona. Sì; io lo sosterrò, finchè avrò vita: chiunque ha detto nel suo cuore non ci è Dio, e parla altrimenti, non è, che un mentitore, o un insensato.* Et *Lettre sur les Spect.*, et *Esp. max.*, *et princ. de J. J. Rouss. Io non intendo, che si possa essere virtuoso senza Religione. Lungo tempo ebbi questa falsa opinione, di cui già mi sono disingannato. La Religione è quella, che non cessa di gridare a colpevoli, che i loro delitti segreti sono stati veduti; e fa dire al giusto obbliato: le tue virtù hanno un testimonio.* Concinit Voltairius *Traité de la Toler. c.* 20.: *È tale la debolezza del genere umano, e tale la sua perversità, ch' è meglio senza dubbio per lui di essere soggiogato da tutte le possibili superstizioni, purchè non sieno sanguinarie, che vivere senza Religione. Dovunque è stabilita la società, è necessaria la Religione. Veglian le leggi su i delitti pubblici, e la Religione su i delitti segreti.* Et in *Diction. phil. art. Atheisme: Non vorrei aver che fare con un Principe Ateo, che se troverebbe il suo interesse a farmi pestare in un mortajo, son sicuro, che sarei pestato. Non vorrei, se fossi Sovrano, aver che fare con Cortigiani Atei,*

che se avessero interesse di avvelenarmi, ogni giorno a cautela dovrei bere un contravveleno. E dunque necessario assolutamente per i Principi, e per i popoli, che ne' loro cuori sia impressa profondamente l' idea di un Ente supremo, Creatore, Governadore, Rimuneratore, Vindice, etc. . Similiter quoque Baylius *Dict. Crit. art. Brutus : Se non si unissero all' esercizio delle virtù i beni futuri, promessi dalla Scrittura a' fedeli, si potrebbe mettere la virtù, e l' innocenza tral numero delle cose, su cui Salomone ha pronunziato il suo diffinitivo decreto : Vanità di vanità, e tutto è vanità.* Et *Pensèes sur le Comete : Se si riguardano gli Atei nella disposizione del loro cuore, si trova, che non essendo trattenuti dal timore di verun gastigo Divino, nè animati dalla speranza di alcuna benedizione celeste, debbono necessariamente abbandonarsi a tutte le passioni.* Ita demum novissimus Religionis persecutor Napoleon Bonaparte in Allocutione Mediolani habita ad Parochos illius Civitatis die 5. Junii anno 1800 : *In qualunque Società non può essere onesto, e giusto un' uomo, il quale non sappia donde venga, e dove vada.*

Objicit quidem Baylius sibi numquam cohaerens, tum quod Athei rationis ductu, nec non laudis, et gloriae stimulis ad sectandam virtutem induci possunt; tum quod homines non raro juxta suas cognitiones non vivunt. Hinc sicut Coelum, ac Infernum firmiter credentes scelestam nihilominus vitam persaepe ducunt, ita Athei ex opposito, quamvis nihil credant, integram, scelerisque puram vitam ducere possunt; ac sicut nulla in Religione est vis ad promovendum virtutis cultum, ita nulla est in atheismo ad illum imminuendum.

Sed respondetur, nec rationis ductum, nec laudis, et gloriae stimulos satis esse ad virtutem sectandam, maxime cum tota Societas atheismum profiteretur, tum probationes, quas supra attulimus, tum virtutum difficultatem, et animorum ad vitia praecipitem propensionem aperte ostendere. Homines vero juxta suas cognitiones, et principia theoretica non vivere, dum haec vel cum sensu intimo, vel cum suis affectionibus pugnant; non vero cum cognitiones, vel principia, quibus imbuuntur, vel suis revera inhaerent animis, vel suis cupiditatibus favent. Hinc si his abrepti et praemia, et

supplicia in aeternum duratura despiciunt ; quinam virtuti vel exiguus relinqueretur locus , et quonam adesset vitiis fraenum , dum nec ulla spes , nec ullus timor futurorum eorum cupiditates coerceret ? Nihil autem magis falsum , quam quod postremo loco dictum fuit : quis enim nescit , tum quantum Religio et virtutum meritum extollat , et vitiorum malitiam detegat , tum quam validis incitamentis ad virtutes sectandas , ac vitia fugienda quemquam impellat ? Ex opposito autem quidnam non habetur in Atheismo , quod despiciendum non reddat virtutum exercitium ; et quidem adeo , ut aliud revera praeter inane nomen non sint ? Quidnam , . quod animum ad vitia jam praecipitem magis, magisque non urgeat?

TRACTATUS II.

De Dei Essentia.

CAP. I.

De ejus incomprehensibilitate, utpote Entis infiniti, et perfectissimi.

Absolutis iis, quae Dei existentiam ipsa meridiei luce clariorem reddunt, de ipsius Essentia, quantum homini fas est, instituamus sermonem. Diximus *quantum homini fas est*, non enim, nisi imperfectam Divinae Essentiae cognitionem, consequi nos posse, fides docet contra dementiam Aetii, ejusque discipuli Eunomii; adversus quos scripserunt SS. Patres Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, qui plures habuit homilias ad populum de incomprehensibili Dei natura, Theodoretus, aliique: cum quibus sit

Prop. Est Dei Essentia incomprehensibilis, utpote quae Entis infiniti, et perfectissimi. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; nam Jer. 32. expressis verbis Deus dicitur *Magnus consilio*, *et incomprehensibilis cogitatu*. Et Baruch. 3., quod *magnus est*, *et non habet finem*. Praeiverat quoque Regius Psaltes Ps. 144., inquiens: *Magnus Dominus*, *et laudabilis nimis*, *et magnitudinis ejus non est finis*. Magnus autem dici nequit magnitudine molis: Entitatis, et perfectionis igitur. Concinit vero Apostolus 1. ad Cor. c. 2.; docet namque, quod ea, *quae sunt Dei*, *nemo cognovit*, *nisi Spiritus Dei*. Et 1. ad Tim. c. 6., quod Deus *lucem inhabitat inaccessibilem*. Quidnam autem praefata omnia significant, nisi quod ejus Essentia est incomprehensibilis, utpote quae Entis infiniti, et perfectissimi?

2.° Quia esse Deum Ens infinitum, et perfectissimum, ostendit 1.°, quod si in ejus Essentia habetur ratio sui ipsius existentiae, quae est maxima omnium realitatum; et sine qua nulla realitas haberi potest, multo magis in ea omnium aliarum realitatum ratio haberi debet. Habetur autem ex ostensis c. ant. in ejus Essentia ratio sui ipsius existentiae: Et in ea igitur habetur ratio omnium aliarum realitatum; quas omnes

proinde habens, nonne Ens infinitum, et perfectissimum? 2.° quod si a nemine limitari potuit, estque Ens, non quidem acceptum, et participatum, sed ipsum Esse, nullus profecto limes in ejus realitatibus agnoscendus est. A nemine autem limitari potuit; estque Ens, non quidem acceptum, et participatum, sed ipsum Esse, utpote Ens a se: Nullus ergo limes in ejus realitatibus agnoscendus est; quod idem est dictu, ac Ens infinitum, et perfectissimum esse. 3.° quod nonne ipse ex ostensis quoque c. ant., qui Coelum, et Terram, et omnia, quae Coeli, et Terrae ambitu continentur, ex nihilo creavit? Cum autem nullum possibile ullatenus conducere, aut repugnare sui effectioni possit, sed omnia sint aeque indifferentia, ut producantur, vel non producantur, potentia idcirco aliquid creandi omnibus possibilibus creandis eo ipso sufficit: Deo ergo inest potentia omnibus possibilibus creandis sufficiens; ex quo sequitur, quod inesse ei debent omnes possibiles perfectiones, utpote quas extra se edere in infinitum posset; quod idem quoque est dictu, ac Ens infinitum, et perfectissimum esse. 4.° Quod Ens vim infinitam habens, infinitum simul, ac perfectissimum esse debet. Inest autem Deo vis infinita, qualis ea est, qua Mundum ex nihilo condidit, seu vis creatrix, tum quia, ut diximus, omnibus possibilibus, quae sunt numero infinita, creandis sufficiens; tum quia cum omnis motus physicus, et mechanicus inutilis sit, ubi nullum, quod exagitet, subjectum reperitur, hinc creatio nonnisi a sola voluntate potest prodire; nec nisi voluntas infinitae virtutis, ad cujus nutum quidquid vult, fiat, intelligitur potens ad educendum aliquid ex nihilo, nam voluntas virtutis finitae, quo minores reperit dispositiones ad aliquid edendum, eo difficilius illud edit, quae idcirco quomodonam educere aliquid potest ex nihilo, a quo ad transitum, seu ad rationem Entis actu existentis nulla adest dispositio? Quibus perpensis, Deum esse Ens infinitum, et perfectissimum, manifeste patet. Ens autem infinitum, et perfectissimum nequit profecto comprehendere, nisi etiam Mens, quae sit infinita; ideoque nonnisi imperfecte potest illud Mens finita cognoscere: Patet ergo propositum.

3.° Quia ejus cognitionem tripliciter assequimur, ut loquitur D. Dionysius *c. 7. de Div. Nom.*; idest *via causalitatis*, *via remotionis*, *et via excellentiae*. Et

1.° *via causalitatis*, Deo scilicet tribuendo perfectiones omnes, quae in rebus creatis deprehenduntur. *Via remotionis*, removendo scilicet ab ipsius perfectionibus defectus omnes, quibus rerum creatarum perfectiones subjiciuntur. *Via excellentiae*, ipsi scilicet tribuendo omnes rerum creatarum perfectiones modo longe nobiliori, ac excellentiori, quam concipere possumus; ac prae oculis habendo, quod sicut de universali Diluvio ille cecinit:

Omnia pontus erant; deerant quoque littora ponto,

ita et Deus nedum est omnis perfectio, verum etiam ejus perfectiones nullo coercentur limite, sed limites omnes praetergrediuntur. Neque hic omittendum quod Theologi addunt loquendo de perfectionibus Divinis; inter creatas perfectiones nempe alias esse, ut inquiunt, *simpliciter simplices*, alias *secundum quid*. Primi generis dicuntur, *quae nec in suo conceptu limitem involvunt, nec sunt incompossibiles cum alia perfectione majori, vel aequali*, ut sapientia, potentia, bonitas, etc. . . Secundi generis *quae vel limitem in suo conceptu involvunt*, ut extensio realis; *vel incompossibiles sunt cum alia perfectione*; ut quaevis ex personalitatibus Divinis. Hinc perfectiones simpliciter simplices formaliter, et remoto limite Deo insunt, quare in Scripturis praedicantur de eo in abstracto, quia abstractum tum realitatem, tum omnitudinem perfectionis significat; ut cum dicitur Prov. 8.: *Meum est consilium, et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo*: et Jo 14, ubi Christus de se ait: *Ego sum via, veritas, et vita*. Perfectiones vero secundum quid ob limitem, quem in suo conceptu involvunt, formaliter, sive in suo conceptu Enti infinito convenire nequeunt, sed ei conveniunt eminenter, quatenus nempe sunt realitates, idest aliquid in ente ponunt; et insuper mutato nomine per substitutionem omnitudinis, quaevis enim perfectio, quae possibilis est, ut limitata, possibilis quoque est, ut illimitata, omnesque perfectiones illimitatae sunt attributa Entis infiniti. Sic ex. gr. extensio realis non est, quatenus realitas, nisi praesentia alicui loco, id enim in ente ponit, ut sit praesens loco, cui commensuratur. Hinc illi, quatenus est realitas, addita omnitudine, habebitur praesentia omni loco, sive immensitas; quae est attributum Entis infiniti. Perfectiones autem secundum quid, quia incompossibiles cum alia perfectione, insunt Personis

Divinis per circuminsessionem, quatenus nempe tres Personae Divinae non sunt, nisi unus Deus; propter quod ait Christus: *Ego, et Pater unum sumus. Ego in Patre, et Pater in me est.* Ita communiter Theologi loquendo de perfectionibus Divinis. Estne autem ejusmodi cognitio, quae de Deo, ejusque perfectionibus habetur, nisi valde imperfecta, et magna ex parte nonnisi negativa tantum? Quod ergo Dei Essentia sit incomprehensibilis, utpote Entis infiniti, et perfectissimi, magis, magisque perspicuum est.

CAP. II.

An Dei essentia admittat genus, et differentiam; et in quo praecise constituenda videatur.

Duo igitur sunt hoc in cap. discutienda; 1.° scilicet, an Dei essentia constet genere, et differentia, perinde ac essentia cujusvis rei. 2.° In quo praecise ejus essentia sit constituenda; seu quaenam nobis de Deo cogitantibus prima occurrat perfectio, quae secundum nostrum concipiendi modum ipsius essentiam constituere intelligatur, et per quam primario a creaturis differat? Quoad 1. autem, licet Nicolaus L' Herminier affirmet de Deo et genus, et differentiam specificam, atque ab hoc dicendi modo abhorrere dicat *superstitiosam, puerilemque cogitationem*, nos tamen omnino id rejiciendum dicimus: non quidem ob rationem Goneti, quod Deus est actus purus, ut enim recte disserit hac super re idem L' Herminier, id vix intelligitur, satiusque est Deum dicere *Ens purum, hoc est nulla imperfectione mixtum*; sed quia, statutis ideis generis, speciei, ac differentiae specificae, viam hujusmodi assertio ad errorem sternit. Quoad alterum vero, neque etiam nobis arridet Thomistarum sententia, quod constituenda sit in intellectione actuali: quia enim *operari sequitur esse*, ut Scholae omnes loquuntur, prius concipienda est Dei essentia, ac deinde concipitur intelligere. Hinc dicimus cum sententia communiori, constituendam eam esse in omnimoda aseitate, in eo scilicet, quod est omnino a se. Sit igitur

Prop. I. Non est in Deo genus, et differentia specifica. Ita communius.

Probatur. = Definitur genus *illa nota essentialis, in qua duae, vel plures species inter se collatae perpetuo conveniunt.* Species *illa nota essentialis, in qua perpetuo conveniunt plura individua inter se comparata.* Differentia specifica *illa nota essentialis, per quam species a specie differt.* Nefas autem dictu, quod in Deo sint plura individua; est namque individuum *objectum quoad omnem sui partem determinatum*; determinatum vero dicitur, *quod, cum pluribus, iisque diversis, modis esse possit, nunc hoc potius, quam alio modo est*; quae omnia a Deo exulare, fides docet: Et igitur dictu nefas, quod in Deo sit genus, et differentia specifica. Hinc D. Cyrill. Alex. Dial. 2. de Trin. *A recta ratione longe alienissimum est, genus de Deo nominare, cum nulla res sit cum ipso, aut ante ipsum.* Et Clemens Alex. l. 5. Strom.: *Deus neque genus est, neque differentia, neque species, neque individuum.* Et Boethius in l. de Trin.: *Substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam.*

Prop. II. Aseitas omnimoda, idest esse omnino a se, est id, in quo praecise Dei essentia est constituenda. Ita etiam communius.

Probatur. = Et 1.° ex Scripturis; ut ex c. 3. Exodi, ubi Deus Moysi interroganti, quis ipse esset, respondit: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Quae verba, ut consideranti fit perspicuum, resolvuntur in haec: *Ego sum, qui essendi rationem in Meipso habeo.* Ut autem ait D. Hilar. l. 5. de Trin.: *Nobis loquendum non aliter de Deo, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.* Item ex c. 23. Job, ubi de Deo dicitur: *Ipse solus est.* Nec non ex c. 1. Apoc., ubi: *Qui est, qui erat, et qui venturus est.*

2.° Ex praecipuis DD.; ut ex D. Ambr. in Ps. 43.; *Nihil tam proprium Dei, quam semper esse.* Ex D. Aug. in Ps. 134.: *Tamquam solus sit, dixit: Ego sum, qui sum. Et dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Non dixit: Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus; quae si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset, et dici Deus, ipsum esse se vocari, respondit, et tamquam hoc esset ei nomen: Hoc dices eis, inquit, qui est, misit me.* Ex D. Hier. in ep. ad Damas. 57.: *Cae-*

tera, quae creata sunt, etiamsi videantur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt, et potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus, qui aeternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiae nomen vere tenet. Idcirco et ad Moysen de rubo loquitur: Ego sum, qui sum.

3.° Ex ratione; in eo enim praecise constituenda est Dei essentia, quod nobis de Deo cogitantibus primo occurrit, quodque secundum nostrum concipiendi modum ipsius essentiam constituere intelligitur, et per quod primario a creaturis differt. Id autem est ejus omnimoda aseitas: per id namque concipitur esse Ens necessarium; idem enim est existere a se, ac rationem existentiae in sui ipsius essentia habere; idemque rationem existentiae in sui ipsius Essentia habere, ac esse Ens necessarium, praedicatum quippe Enti conveniens ratione essentiae ita ei convenit, ut nequeat ipsi non convenire. Ut autem Ens necessarium, concipitur simul et perfectissimum, et infinitum; quia, ut alibi diximus, sicut in ejus essentia continetur ratio sui ipsius existentiae, ita contineri in ea debet ratio caeterarum possibilium realitatum; cumque a nemine pendeat, a nemine etiam limitari potuit. Per idem quoque primario a creaturis differre intelligitur; eo enim potissimum nomine Deus a creaturis differt, quod hae sint ab alio, Deus vero a se, et a nemine pendens. Quis ergo non videt, quod in omnimoda aseitate est praecise Dei essentia constituenda?

Quod porro ex objectionibus Adversariorum aliquid habet roboris, est, quod Dei essentia non est praecise constituenda in eo, quod attributis quoque, et Personis Divinis est commune. Hujusmodi autem est aseitas omnimoda: Ergo.

Sed resp. neg. min.; quoad namque attributa, haec non sunt a se omnimoda aseitate, quia tametsi non habeant causam proprie dictam, illam tamen habent late acceptam, essentiam nempe, a qua concipiuntur effluere. Quoad Personas vero, licet ex iis Pater non habeat originem, quia tamen Pater respectum dicit ad Filium, ejus paternitas in eo non concipitur primario. Filius vero, et Spiritus Sanctus habent originem, nam Filius gignitur a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit.

Sed urgent, quod cum Filius, et Spiritus Sanctus non sint a se, ut dictum est modo, hinc si Dei essentia constituitur per *esse a se*, neque Filius, neque Spiritus Sanctus est Deus. Hoc autem dictu nefas: Ergo.

Sed resp. dist. maj., quod nempe Filius, et Spiritus Sanctus non sunt a se *ratione personae*, quae aut generatur, aut procedit; sunt tamen a se *ratione naturae*, *atque essentiae*, quae una, eademque est numero in tribus personis, et de qua fides docet, quod nec generat, nec generatur, nec producit, nec producitur.

TRACTATUS III.

CAPUT UNICUM.

De Divinis Attributis universim sumptis; de eorum nempe notione, et quomodo tum absoluta, tum relativa inter se, atque ab ipsius Dei essentia distinguantur.

Dei Attributa dicuntur *perfectiones, quae secundario in Deo concipiuntur, atque in ejus essentia rationem habent, a qua proinde, velut a radice, prodire intelliguntur.* Tametsi enim omnia in Deo unum sint, quia tamen mens nostra omnia, quae de Deo vel per fidem, vel per rationem cognoscit, uno tantum intuitu complecti non valet, ea velut in partem dispescit, ac divisim contemplatur: quodque primario ejus Essentiam constituere intelligit, primario etiam contemplatur; caetera secundario, suntque haec perfectiones, quae, ut diximus, in ejus Essentia rationem habent, atque ab ea, velut a radice, concipiuntur prodire, ac Attributorum nomine donantur.

Distinguuntur autem in absoluta, seu *quae nullum ad alterum dicunt respectum*, ut omnipotentia, aeternitas, infinitas, immutabilitas, etc.; et relativa, seu *quae respectum dicunt ad alterum*, ut paternitas, filiatio, spiratio activa, et passiva, esse Creatorem, provisorem, etc. . Absoluta vero subdistinguuntur in affirmativa, idest *quae perfectionem aliquam de Deo praedicant*, ut omnipotentia, aeternitas, etc.; et negativa, idest, quae imperfectionem aliquam a Deo removent, ut infinitas, immutabilitas, etc. . Sicut et relativa subdistinguuntur in relativa ad intra, seu *quae Personas Divinas ad se mutuo referunt*, ut paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva; et relativa ad extra, seu *quae aliquem denotant respectum, quem Deus habet ad res creatas*, ut esse Creatorem, Provisorem, etc.

Quibus praemissis, antequam de iis singillatim agamus, operae pretium est statuere, quomodo distinguantur tum inter se, tum ab ipsius Dei essentia. Qua super re extra omne dubium est, attributa relativa ad intra realiter inter se distingui: ut enim argumentatur D. Th. 1. *p. qu.* 28. *art.* 3., quae sunt inter se

opposita, eodem modo, quo sunt opposita, non possunt esse idem. Porro attributa relativa ad intra realiter inter se opponuntur: Non ergo possunt esse idem inter se realiter, quare debent realiter inter se distingui. Si vero agatur de attributis absolutis inter sese, ac de iisdem, et de relativis quoad Dei essentiam, aliter sentiendum est: quod ut patefiat, nonnulla prius declaranda sunt.

Et 1.° quaenam dicantur eadem, et quaenam distincta? *Quae mutuo* nempe *substitui possunt*, dicuntur eadem. Sic in ratione ponderis pondus duarum librarum ferri, et duarum librarum cupri. *Quae* vero *nequeunt sibi mutuo substitui*, dicuntur distincta. Sic in ratione ponderis pondus duarum librarum ferri, et trium librarum cupri.

2.° Quaenam sit identitas, et quaenam distinctio. Id nempe, *per quod unum potest alteri substitui*, est identitas. Sic aequalitas ponderis constituit identitatem in ratione ponderis inter duas libras ferri, et duas libras cupri. Id vero, *per quod unum nequit alteri substitui*, est distinctio. Sic inaequalitas ponderis constituit distinctionem in ratione ponderis inter duas libras ferri, et tres libras cupri.

3.° Quotuplex sit identitas, et quotuplex distinctio. Identitas nempe, sicut et distinctio vel realis est, vel formalis. Si enim id, per quod unum potest alteri substitui, est vel unitas subjecti, vel necessitas alicujus datae determinationis respectu subjecti, identitas est realis. Sic inter Petrum rationalem, et Petrum animalem adest identitas realis, unum namque est subjectum tam rationalitatis, quam animalitatis, idest Petrus. Sic etiam inter perfectam rotunditatem, et circulum adest quoque identitas realis, perfecta enim rotunditas est determinatio necessaria respectu circuli. Si vero illud, per quod unum potest alteri substitui, est unitas conceptus, identitas est formalis. Sic homo, et animal rationale, etc. Similiter si id, per quod unum nequit alteri substitui, est vel pluralitas subjectorum, vel contingentia alicujus datae determinationis respectu subjecti, vel oppositio relativa, habetur distinctio realis. Sic inter Petrum, et Paulum adest distinctio realis, sunt namque Petrus, et Paulus duo subjecta. Sic etiam inter hominem, et doctrinam adest quoque distinctio realis, doctrina enim est determinatio contingens respectu hominis. Sic etiam inter

Personas Divinas adest quoque distinctio realis, quia Paternitas relative opponitur Filiationi, ac spiratio activa, quae est in Patre, et Filio, vi cujus Spiritus Sanctus procedit a Patre, et Filio, relative opponitur spirationi passivae. Si vero illud, per quod unum nequit alteri substitui, est pluralitas conceptuum, habetur distinctio formalis. Sic ratio, et sensus in homine, etc.

Quibus perpensis, en identitas, et distinctio tam realis, quam formalis. Realis nempe identitas ea est, *quae habetur inter ea, quae nec sunt separata, nec separabilia, nec relative opposita*. Formalis, *quae habetur inter ea, quae sub uno conceptu comprehenduntur*. Distinctio realis vero, *quae habetur inter ea, quae sunt vel separata, vel separabilia, vel relative opposita*. Formalis, *quae habetur inter ea, quae sub pluribus conceptibus comprehenduntur*.

Est quidem et alia apud Scholasticos distinctionis species, *quae fit* nempe *per mentem*, et dicitur distinctio rationis; eaque, ut pergunt, vel rationis ratiocinantis, idest *cum fundamento in re*; quae appellatur quoque virtualis, et coincidit cum formali, quaenam enim distinctio rationis cum fundamento in re, nisi distinctio inter ea, quae suapte natura, et a parte rei distinctum praebent conceptum? Vel rationis ratiocinatae, idest *absque ullo fundamento a parte rei*; quam quis percipiet? Quis enim umquam vel distinxit, vel distinguere potuit absque ullo fundamento a parte rei, puta inter Ciceronem, et Tullium? Et sane quid sibi vult, nemine diffitente, distinctio in genere? Num aliud, nisi id, per quod unum nequit alteri substitui? Jam vero quis umquam cogitavit, vel cogitare potuit, non posse sibi mutuo substitui Ciceronem, et Tullium, hominem, et animal rationale? Hinc cum distinctio rationis ratiocinantis, idest virtualis, coincidat cum formali, illa vero rationis ratiocinatae sit imperceptibilis, satius erit illas tantum tenere distinctionis species, quas supra exposuimus.

His porro praemissis, erravit quoad supra propositam quaestionem Gilbertus Porretanus, Episcopus Pictaviensis, admittendo realem distinctionem tum inter Deitatem, et Deum, tum inter proprietates personales, et Personas, et generatim omne concretum realiter distinguendo ab abstractis, ut Deum ab ejus omnipotentia,

Deum ab ejus sapientia, etc. Haec autem Gilberti haeresis damnata fuit in Concilio Remensi, Praeside Eugenio III.; cujus *sententiam* (ut ait Otto Frisingensis l. 1. de gestis Frider. I. Imp.) *reverenter excipiens Gilbertus, cum ordinis integritate, et honoris plenitudine ad propriam Dioecesim remeavit.* Erraverunt quoque ex opposito Haeretici Anomaei, qui omni rejecta distinctione inter Dei substantiam, et ejus Attributa, *ingenitum* (ajebant, ut veram Dei substantiam non esse in Filio Dei animis ingererent) *idem est, quod Deus, et quod substantia Dei, siquidem Deus est simplicissimus. Sed Filius Dei non est ingenitus: Nec vere igitur Deus.* Nullatenus enim distinguendo inter rationem Personae, et rationem Naturae, nullatenus quoque locus est respondendi, quod non est ingenitus quoad Personam, sed ingenitus est quoad Naturam, quae in Divinis nec generat, nec generatur, nec producit, nec producitur.

Theologi vero distinguuntur in duas classes, quorum alii inter Dei attributa tum absoluta, tum relativa comparata ad essentiam, et absoluta ad invicem collata admittunt distinctionem formalem a parte rei, et ante omnem mentis operationem; quibus accedunt, qui distinctionem hujusmodi appellant virtualem, ex dictis supra; alii tantum mentalem ex parte intellectus nostri, et per mentis operationem, quae percipit in Deo, tamquam multa, quae revera in eo non sunt, nisi una et simplicissima res, etiam quoad ipsum conceptum. Sit porro

Prop. I. Dei Attributa tum absoluta, tum relativa ab ipsius Dei essentia realiter non distinguuntur. Est de fide.

Probatur. = Et 1.° ex Scripturis, ubi attributa tum absoluta, tum relativa de ipsa Dei essentia, velut de una, eademque re praedicantur. Ita nempe quoad attributa absoluta Prov. 8. *Ego sapientia habito in consilio.* Et Christus Jo. 14. *Ego sum via, veritas, et vita.* Et Ap. ep. 1. ad Cor. c. 1. *Praedicamus Christum Dei virtutem, et Dei Sapientiam.* Et Jo. ep. 1. c. 1.: *Deus charitas est.* Quoad relativa vero eadem quoque de uno Deo praedicantur et a Christo apud Math. c. ult.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et ap. Jo. ep. 1. c. 4., ubi: *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt.* Ex quibus sic arguitur: Veritas, Virtus, Sapientia,

Charitas sunt Dei Attributa absoluta: Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio passiva sunt ipsius Attributa relativa. Porro juxta textus supra allatos Jpse Deus est sui ipsius veritas, virtus, sapientia, charitas, ac ipsemet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus: Nec absoluta igitur, nec relativa ab ipsius essentia realiter distinguuntur.

2. Ex Conciliis, ut ex Remensi sub Eug. III. *Credimus, et confitemur, solum Deum Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, vel alia hujusmodi adesse ab aeterno, quae non sint Deus, nec aliquo sensu catholico negari posse, quin Divinitas sit Deus, et Deus Divinitas.* Ex Later. Gen. sub Innoc. III. *In Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quaelibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive Natura Divina.* Ex Florent. etiam Gen. sub Eug. IV., in quo PP. definierunt sess. 18., omnia in Divinis esse unum quid, et item, ubi non obviat relationis oppositio.

3. Ex ratione, distinctio enim realis neque est, neque esse potest, nisi inter ea, ut diximus, quae sunt vel separata, vel separabilia, vel relative opposita. Ejusmodi autem non sunt Dei attributa tum absoluta, tum relativa quoad ejus essentiam: Ergo.

SOLVUNTUR OBIECTIONES.

Objic. 1.° Quae diversas habent definitiones, diversas quoque habent naturas, est enim definitio *oratio explicans naturam rei*; cumque diversas habeant naturas, profecto distinguuntur realiter. Porro Dei attributa, ejusque essentia diversas habent definitiones: Realiter ergo tum inter se, tum ab ipsius Dei essentia distinguuntur.

R. dist. maj., quod nempe quae diversas habent definitiones, diversas habent naturas, idest conceptus, utique; non tamen semper diversas entitates, et substantias. Cum autem habent diversas entitates, et substantias, tunc est, quod distinguuntur realiter.

Objic. 2.° quae opponuntur contradictorie, distinguuntur realiter. Ita autem in Divinis opponuntur essentia, et attributa relativa; illa enim est communicabilis, haec vero sunt incommunicabilia; nec est, qui non videat, communicabile, et incommunicabile contradictorie opponi: Dicendum ergo saltem de Attributis Dei relati-

vis, quod realiter ab ipsius Dei Essentia distinguuntur.

R. neg. min.; cum enim contradictio sit *affirmatio, et negatio simultanea unius de eodem, et sub eodem respectu*, tunc in Divinis essentia, et Attributa relativa opponerentur contradictorie, cum vel de essentia vel de Attributis relativis affirmaretur simul, et negaretur communicabilitas, vel incommunicabilitas. Non ita tamen res se habet, non enim dicitur vel Divinitas, vel Paternitas communicabilis simul, et incommunicabilis, sed Divinitas dicitur communicabilis, Attributa autem relativa dicuntur incommunicabilia.

Objic. 3.° Esto, quod in Divinis Essentia, et Attributa relativa non opponantur contradictorie, de iis saltem enuntiantur praedicata contradictoria; de Essentia enim enuntiatur, quod sit communicabilis, de Attributis relativis vero, quod sint incommunicabilia. Porro ea, de quibus enuntiantur praedicata contradictoria, distinguuntur realiter. Sic Petrus, et Paulus realiter distinguuntur, quia de Petro enuntiatur, quod sit filius Joannis, quod sit viginti annos natus, etc., de Paulo, quod non sit filius Joannis, quod non sit viginti annos natus, etc. Dicendum ergo de Attributis Dei relativis, quod ab ipsius Essentia distinguuntur realiter.

R. neg. min.; ut enim de duobus enuntiari possint praedicata contradictoria, satis quoque est, ut illa duo formaliter inter se distinguantur. Sic intellectus, et voluntas hominis nonnisi formaliter inter se distinguuntur, neque enim separantur, neque separari possunt a se invicem, neque relative opponuntur; et tamen de intellectu enuntiatur, quod percipiat, quod habeat verum pro objecto, etc., de voluntate vero, quod non percipiat, quod non habeat verum pro objecto, etc. Porro, quod Dei Attributa tum absoluta, tum relativa distinguantur formaliter ab ejus Natura, seu Essentia, ultro concedimus, ac paullo infra demonstrabimus.

Objic. 4. quia in Divinis Misericordia, et Justitia non realiter, sed tantum quoad conceptum distinguuntur ab Essentia, neque etiam realiter inter se distinguuntur. Quod cum ita sit, aeque etiam, si Attributa Dei relativa non realiter, sed tantum quoad conceptum ab Essentia distinguerentur, neque etiam realiter inter se distinguerentur; quod dictu nefas: Dicendum ergo, quod realiter ab ea distinguuntur.

R. neg. maj.; non enim quia Misericordia, et Ju-

stitia in Divinis non realiter, sed tantum quoad conceptum distinguuntur ab Essentia, ideo neque etiam realiter inter se distinguuntur, sed quia distinctio realis neque est, neque esse potest, nisi inter ea, ut diximus, quae sunt vel separata, vel separabilia, vel relative opposita. Ejusmodi autem in Divinis non sunt Attributa absoluta tum inter se, tum respectu Essentiae: Neque ergo inter se, neque ab Essentia realiter distinguuntur. Attributa vero relativa, cum ejusmodi quidem sint respectu Essentiae, ac Attributorum absolutorum, ob unitatem Essentiae in tribus Personis, non tamen inter se, utpote relative opposita, ideo nec ab Essentia, nec ab Attributis absolutis realiter distinguuntur, realiter tamen inter se distingui, dicendum est. Patet ergo disparitas, et solutio.

Objic. 5.° Facultates habentes terminos realiter distinctos realiter quoque distinguuntur. Sic facultas sentiendi realiter distinguitur a facultate immaginândi, quia haec pro termino habet objecta absentia, illa vero praesentia. Ejusmodi autem sunt intellectus, et voluntas Divina, terminus enim intellectionis Divinae est Filius, terminus vero volitionis Divinae est Spiritus Sanctus, et Persona Filii, ac Persona Spiritus Sancti realiter distinguuntur: Et realiter Ergo intellectus, et voluntas Divina distinguuntur.

R. neg. maj.; una enim, atque eadem facultas potest quoque terminos habere realiter distinctos. Sic unus, idemque intellectus adinventionem, et apprehensionem distinctarum veritatum; una, eademque ars fabrilis plura, et distincta fabrefacta; una, eademque foecunditas plures, distinctosque foetus; una, eademque arbor plures, distinctosque fructus, etc.

Prop. II. = Formaliter distinguuntur tum Dei Attributa absoluta inter sese, tum eadem, et attributa relativa quoad Dei Essentiam. Ita nobis verisimilius.

Probatur. Et 1.° ex Scripturis, quae de Dei attributis loquuntur, tamquam de multis, ut Jo. 16., ubi: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt.* Item ep. ad Rom. 1. ubi: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus Virtus, et Divinitas.* Quod cum ita sit, formaliter, seu quoad conceptum distingui debent, secus namque essent simul, et non essent multa: essent nempe multa ex hypothesi; non essent multa, quia omnia unum, idemque et realiter,

et formaliter, seu quoad ipsum conceptum: Ergo.

2.° Ex Florentino sess. 18., ubi Joannes Theologus Latinorum partes agens identitatem statuit inter substantiam Divinam, et Personas tantum re, non autem conceptu, ita enim ait: *Dicimus in Divinis substantiam, et personam, sive hypostasim esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo.*

3.° Ex PP.; ita enim D. Basil. l. 1. contra Eunom. *Cum propriam cujuscumque nominis potestatem abstuleris, contra communem consuetudinem, et doctrinam leges pones. Nonne cum de Deo audiamus, quod in Sapientia omnia fecit, conditricem tunc ejus artem apprehendimus? Cum autem, quod aperit manum suam, et implet omne animal benedictione, providentiam ejus; quae per omnia transit? Cum vero quod posuit tenebras latibulum suum, invisibilis naturae ejus admonemur? Quomodo igitur non fuerit manifestae insaniae, si dicas proprium unicuique nomini significatum non subesse?* Ita etiam D. Greg. Nyssenus l. 12. cont. Eunom..: *Horum nominum* (Dei nempe attributorum) *dicimus, non esse omnium uniformem significationem . . . . Et si haec statuit Eunomius, quid frustra Scripturae multis nominibus Divinam Naturam vocant, Deum justum, fortem, longaminem, etc.* Ita etiam D. Hilar. l. 8.: *Non idem est Natura, quod naturae res, sicut non idem est homo, et quod hominis est, nec idem est ignis, et quod ipsius ignis est: Secundum quod non idem est Deus, et quod Dei est.* Ita etiam D. Aug., qui in libris de Trin. passim docet contra Arianos, non esse in Deo secundum substantiam quod est relativum; cum enim vellent Ariani, ingenitum pertinere ad substantiam Patris, et genitum ad substantiam Filii, ut inde evincerent, diversam esse substantiam Patris a substantia Filii, sicut ingenitum diversum est a genito; ajebat S. D., ingenitum non esse in Patre secundum substantiam, intelligendo scilicet, quod eam distincte, et explicite non exprimit, nec denotat: *In Deo* (sunt ejus verba l. 5 de Trin. c. 5.) *nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne, quod dicitur, secundum substantiam dicitur, dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens.* Ita demum D. Th. 1. *Dist.* 22. *q. un. n.* 3.; ubi docet, in Deo

inveniri distinctionem rationum, quae realiter, et vere in ipso sunt.

4.° Ex eo quod ad Mysteriorum expositionem necessaria videtur, quae a nobis propugnatur, distinctio. Quod cum ita sit, admittenda est: Ergo. Et sane ad explicandum Trinitatis Mysterium vera admittenda est distinctio, reali excepta, inter Naturam, et Personam, cum juxta illud tres in Deo credantur Personae, et unica Natura; sitque evidens, ea vere distingui, quorum unum multiplicatur, alio non multiplicato. Sublata autem distinctione formali ante omnem mentis operationem, non superest, nisi distinctio pure mentalis, ac nonnisi distinctionis figmentum: Quomodonam ergo respondebitur Sabelliano arguenti: *Natura, et Persona sunt unum, et idem, nec vere prorsus distinguuntur. Sed unica in Deo est Natura: Ergo et Persona?* Quomodonam Ariano: *Natura, et Persona vere non distinguuntur, distinctio enim pure mentalis non est vera distinctio. Sed duae sunt in Patre, et Filio Personae: Ergo et duae Naturae?* Similiter quoque argumentabantur Anomaei, ut supra diximus, ut veram Dei substantiam non esse in Filio Dei ostenderent; quare ita Petavius l. 1. Theol. Dogm c. 8. n. 8.: *Ad Aetii, et Eunomii placita implicati videntur Theologi, quos Nominales vocant, qui in iisdem illius proprietatibus solum Nominum discrimen agnoscunt, cum ne intelligentia quidem nostra invicem distincta sint.*

5.° Ex ratione; dicuntur enim formaliter distincta, quae in conceptu non conveniunt. Dei autem attributa, et absoluta, et relativa nec inter sese, nec relate ad Dei essentiam in conceptu conveniunt: Tum ergo inter sese, tum relate ad Dei essentiam dicenda sunt formaliter distincta. Reponunt quidem Adversarii, formaliter distingui ex parte nostri intellectus, qui cum limitibus coerceatur, concipit in Deo, velut distincta, quae tantum pluribus distinctis aequivalent, non vero ex parte rei, idest Dei ipsius: quod et brevius ajentes, per mentis, inquiunt, operationem tantum, non vero ante omnem mentis operationem.

Sed resp. 1.° Quod si cum Deus concipitur justus, misericors, etc., haec distincta attributa non inessent Deo ante omnem mentis operationem, sed tantum, quatenus a nobis consideratur, ut puniens, ut pietatem exercens, etc., conceptus justitiae, misericordiae, etc. in Deo

non esset conformis suo objecto. Cogitatio autem, quae non est suo objecto conformis, est falsa: Falsum igitur quoque, quod Deus esset justus, misericors, etc.

2.° Quod cum Deus punit, per suamne Misericordiam, an vero per suam justitiam punit? Per hanc quidem. Cumque pietatem exercet, eamne per suam Justitiam, an vero per suam Misericordiam exercet? Per hanc certe. Ita etiam an non cum maxima absurditate diceretur cognoscere per suam voluntatem, ac per suum intellectum amare? Cum maxima quidem absurditate. Quod cum ita sit, formaliter in eo distingui, dicendum est, ante omnem mentis operationem, intellectum, et voluntatem; justitiam, et misericordiam; sicque alia ejus attributa: Ergo.

3.° Attributa, quae enti finito conveniunt, formaliter a parte rei, et ante ômnem mentis operatiouem inter se, ipsis non diffitentibus Adversariis, distinguuntur. Finitas autem, vel infinitas Entis attributorum naturam nullatenus immutant, aeque enim in essentia entis rationem habent: Et ubi ergo agamus de Ente infinito, eodem modo distingui, dicendum est.

4.° Potestne nostra cogitatio efficere id, quod non est? Id autem quod non est, efficeret, si quae unum, eumdemque conceptum habent, attingeret tamen, tamquam si plures, distinctosque conceptus haberent.

5.° Dei attributa tam absoluta, quam relativa suntne realitates, aliquid nempe existens a parte rei ante omnem mentis operationem? Hinc autem sequitur, quod formaliter quoque distinguantur a parte ipsius rei ante omnem mentis operationem: Taliter ergo distingui, consequens est.

Opponitur quidem ab Adversariis Conc Remense, ubi prohibuit, *ne ulla ratio theo ogica inter. N turam, et Personas dividat*. Id tamen nihil prorsus facessit; cum enim ea, quae sunt divisa, vel dividi possunt, realiter distinguantur, nihil aliud proinde prohibuit Concilium illis verbis, nisi quod nemo inter Naturam Divinam, et Personas realiter distinguat. Deinde quinam scopus illius Concilii, nisi damnare illam distinctionem, quam Gilbertus Porretanus obtruderat inter Dei Attributa, et Essentiam Divinam? Haec autem erat re, non ratione; realis, non formalis: et patet 1.° ex confessione fidei supra relata, quam PP. Remenses ediderunt contra haeresim Gilberti; declararunt namque, non esse res in Deo,

quae non sint Deus. 2.° Ex verbis ipsius Gilberti: *Patrem, dico, alio esse Patrem, alio Deum; nec tamen esse hoc, et hoc.* Nec semel dixerat, *divinam essentiam non esse Deum*; addebatque, *non quae est, sed qua est*, immo et illam ab ipso Deo *diversam* praedicabat, unde inferebant Praesules Remenses, Deitatem in mente Gilberti esse formam, Deum vero subjectum. Et nonne etiam hic loquendi modus de perfectionibus Divinis ita se habet, ac si perfectiones Divinae Deo inessent per modum accidentium, et contingenter? Nefas autem de Deo, ejusque perfectionibus ita sentire, ut passim PP. animadvertunt. 3. ex verbis D. Bernardi, qui contra eum scripsit: *Recedant novelli, non Dialectici, sed haeretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem, qua bonus, sed et sapientiam, qua sapiens, et justitiam, qua justus, postremo Divinitatem, qua Deus est, Deum non esse, impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed Divinitas non est Deus.* (*ser.* 80. *in Cant.*). Hinc etiam ajebat: *Multa dicuntur esse in Deo, et quidem sane, catholiceque*: Sana igitur, et catholica est distinctio formalis attributorum Dei; sine qua, ut diximus, essent simul, et non essent multa. *Sed nisi omnia unum in Deo, et cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum*: Non alia igitur rejicienda est multiplicitas, quam Deorum; nec alia distinctio, quam quae multiplicem efficeret Deum.

TRACTATUS IV.

CAPUT UNICUM.

De unitate Dei.

Singillatim nunc pro nostrae infirmitatis modulo, ac institutionum ratione de Divinis Attributis; et 1.° de unitate Dei: pro qua nedum intelligitur, quod sit unus, quemadmodum in creatis hoc, atque illud Ens dicitur unum, non excludens simul, quod alia dentur Entia ejusdem speciei; sed unitate etiam numerica, et individuali, qua cujuslibet sibi aequalis consortium excludit.

Dei autem unitatem oppugnavere ex Gentibus Idololatrae, quorum duplex origo assignatur in Scripturis; dicitur enim Sap. c. 14., quod *acerbo lucto dolens Pater* (isque existimatur Belus primus Assyriorum Rex) *cito sibi rapti filii fecit imaginem, et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere coepit, et constituit inter servos suos sacra, et sacrificia.* 2.° dicitur ibidem, quod fuerit *corruptio vitae*; libido scilicet, ut ait Seneca, *dandi vitiis exemplo Divinitatis excusatam licentiam*; ita ut, quemadmodum subdit D. Aug. l. 1. de Civ. Dei c. 7., *ad scelesta, et turpia perpetranda, velut ab ipso Coelo, traduci in Terras idonea videretur auctoritas* Et sane, undenam, nisi hinc, repeti potest, quod excaecatae illae Nationes inter Numina retulerint *impudicam Venerem* (ut vetus quidam detestabatur), *adulterum Martem, Jovem illum suum non magis Regno, quam vitiis Principem in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem*; aliosque id genus viros, ac mulieres? Sed et tertia additur a Tullio idololatriae origo, idest *consuetudo communis, ut beneficiis excellentes in Coelum fama, et voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor, et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber (l. 2. de Nat. Deor.).* Atque hinc etiam Divinitatis cultus impensus ipsis inanimatis rebus, ex quibus commodum excipiebatur.

Ex haereticis vero unitatem Dei impetierunt Gnostici, quorum dux Carpocrates; Apelleitae, quorum dux Apelles; Marcionitae, quorum dux Marcion; ac Manichaei, quorum dux Manes, duos adesse Deos, ajentes,

bonum unum, alterum malum. Item Valentiniani, duos quoque Deos praedicantes, quorum unum vocabant *Profundum*, alterum *Silentium*, unumque masculum, alterum feminam, e quibus Æones processisse ajebant. Ac demum Tritheitae, quorum auctor fuit Joannes Philoponus, ex Trinitate Personarum in Deo Trinitatem quoque Deorum inferentes. Contra quos sit

Prop. Deus est unus. Est de fide.

Probatur. = Et 1.° ex Scripturis; ut ex Deut. 6.: *Audi, Israel; Dominus Deus Noster Dominus unus est.* Et c. 32: *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.* Ex Ps. 17. *Quis Deus praeter Deum nostrum?* Ex c. 12. Marci: *Primum omnium mandatum est: Audi, Israel: Dominus Deus tuus Deus unus est.* Ex c. 17. Jo. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Ex ep. 1. ad Cor. c. 8.: *Nullus est Deus, nisi unus.*

2.° Ex multiplici ratione, Patres enim hac super re congerere, superfluum esset. Et 1.° est Deus Ens necessarium, rationem namque suae existentiae habet in sui ipsius essentia; ac nemo non perspicit, ut non semel diximus, quod praedicatum Enti conveniens ratione essentiae ita ei convenit, ut illi neqneat non convenire. Ens autem necessarium nequit esse, nisi unum, quia si esset plusquam unum, hoc ipso (quod absurdissimum) omnia entia possibilia essent necessaria, quippe quod si quidam tantum adesset Entium necessariorum numerus, puta 100., 1000., 1.° quidem hujus numeri nulla posset ratio assignari, ac 2.° necessitas absoluta, qua existerent, in hypotheticam transiret, utpote quae ex numeri positione, seu hypothesi exurgeret: Et Deus igitur nequit esse, nisi unus.

Est item Deus ex ostensis initio c. 2. Ens perfectissimum, et infinitum. Ens autem perfectissimum, et infinitum nequit quoque esse, nisi unum: 1.° enim hoc ipso, quod perfectissimum, et infinitum, sufficiens quoque dicendum est tam ad opificium, quam ad regimen Mundi absque alterius consortio; utque ad utrumque absque alterius consortio sufficiens, aliud praeterea esset inutile.

2.° Si Ens perfectissimum, et infinitum, ipsum quoque summum Magnum. Ut autem disserit Tertullianus l. 1. cont. Marc. c. 3., *non aliter summum ma-*

gnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicum fuerit. Duo ergo summa magna (concludit idem Tertull.) *quomodo consistent?* 3.° , ut disserit Lactantius l. 1. Inst. Div. c. 3., *si perfectus est, ut esse debet* (nempe perfectissimus), profecto dicendum est, quod *in eo sint omnia. Si autem sunt multi* (idem pergit l. de ira Dei c. 11.), *dum habent singuli potestatis aliquid, ac numinis, summa ipsa decrescit; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus, sed unicuique tantum deerit, quantum ceteri possidebunt:* Hoc ipso igitur Deus, quod Ens perfectissimum, et infinitum, nonnisi unicus quoque dicendus est.

Est item Deus totius Mundi Rector, et Gubernator. Hic autem nequit quoque esse, nisi unus: 1.° enim si essent plures, vix intelligi posset, nullam fore in Mundi regimine inter eos disceptationem, nullumque certamen. 2.° , quia ut disserit Lact. loco cit., saltem *fieri posset, ut aliquid diversum vellent; ex qua re disceptatio inter eos, et certamen orietur, sicut Homerus bellantes inter se Deos finxit, cum alii Trojam capi vellent, alii repugnarent.* 3.° , quia, ut pergit idem Lact., quemadmodum *esse non possunt in una domo multi Domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento, aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges, nec in Coelo multi Soles, nec animae plures in uno corpore; adeo in unitate natura universa consentit; ita et in hoc Mundo multi rectores.* Navis quoque exemplum usurpat D. Athan. *or. cont. Gent.*, quae, nisi unus regat clavum, cursum recte non tenet; nec non citharae, quae non edit concentum, nisi unus philarmonicus eam plectro feriat.

Plures demum Dii admittantur. Jam numero infiniti statuantur, necesse est; tum, ut diximus, quia nulla apparet ratio, cur duo potius, vel tres, quam centum, vel mille admittantur; tum quia, ut disserit Laur. Berti, semel irrupto in Divinis unitatis limite, quo major erit Deorum numerus, eo erit perfectior. Deos autem statuere infinitos numero nonnisi insanissimus poterit: Unus igitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Et 1.° objicitur a Manichaeis contra Dei unitatem ex origine malorum, quod cum effectus oppositi ab uno, eodemque principio esse nequeant, quot proinde sunt effectus oppositi, tot quoque Dii admittendi sunt. Hujusmodi autem sunt bonum, et malum: Et duo igitur Dii admittendi sunt, quorum unus bonus, alter malus.

R. neg. maj.; effectus namque oppositi utique ab eadem causa esse possunt, si non secunda, saltem prima, et universali, qualis est Deus, qui ad manifestationem suarum perfectionum, et ad Mundi ornatum, aliquorum malorum est causa efficiens, aliorum causa permissiva, quin id prorsus cum sua bonitate pugnet. Et sane, triplex distinguitur malum, metaphysicum, *consistens in Entis limitatione*: physicum *consistens in doloribus animae, et corporis*; et morale *consistens in libera legis transgressione*. Porro quoad metaphysicum, nemo non videt, quod profluit ex ipsa entis creati essentia, quidquid enim est creatum, hoc ipso limitatum esse debet, nec postet esse infinitum; quodque tantum abest, quod cum Dei bonitate pugnet, quin potius Divinae Bonitatis argumentum est, argumentum namque bonitatis est finito saltem modo nobis communicari voluisse. Quoad physicum vero, dolores nempe animae, et corporis, neque etiam pugnare cum Dei bonitate, dicendum est, 1.° quia, ut fide constat, sunt poena peccati, juxta illud Eccli. 7. *Deus fecit hominem rectum, et ipse se infinitis miscuit quaestionibus*; idest, ut exponunt Interpretes, *infinitis miseriis, et calamitatibus*. 2.° quia et sunt nobis naturales; et connectuntur cum non paucis bonis moralibus; quare de iis ait Seneca, quod *non sunt mala, nisi male sustinenti*; et Tacitus, quod dum *miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur*. 3.° quia, etsi praesens vita hisce aegritudinibus subsit, est tamen ipsa aliquod bonum, et quidem adeo, ut nullus sit, qui eam toto affectu non expetat: ex quo sequitur, quod tametsi Deus illis nos condiderit obnoxios, actus nihilominus, quo nos condidit, actus dicendus est suae erga nos praestantis, peculiarisque beneficentiae.

Demum quoad morale, neque etiam hujus permissionem pugnare cum Dei bonitate, difficilius quidem, sed evidenter, ac multipliciter demonstratur. Et 1.° non

impediens omni, quo potest, modo malum, quod impedire non tenetur; non censetur umquam illius mali causa; multo magis, si habeat jus illud non impediendi. Sic mulier, quae elegantem formam a natura accepit, nec tamen a virorum adspectibus se subtrahit, a nemine censetur causa malignorum cogitatuum, quibus corruptus adolescens ex ejus adspectu consentit, quia nempe malignos illos cogitatus impedire non tenetur, atque ad illos impediendos deberet jure suo non uti. Ita etiam Sacramenta petens ab indigno Parocho ex rationabili causa nec etiam censetur causa illius sacrilegiorum, quia pariter et haec impedire non tenetur, et jus habet Sacramenta ab illo petendi. Quis autem dixerit, Deum teneri ad impedienda omni, quo potest, modo hominum peccata? Immo potius quis non videt, jus ab Eo haberi explorandi hominum fidelitatem, exigendique eorum subjectionem per praeceptorum impositionem? 2.° infinitae Dei bonitatis erat media homini conferre, quibus, prout hominem decet, vitam duxisset. Porro nisi legem moralem illi praestituisset, neque etiam ei dedisset hujuscemodi media; cum enim lex moralis, quae Decalogi praeceptis absolvitur, non praecipiat, nisi quae a ratione ipsa praecipiuntur, medium proinde est homini, ut secundum rationem, seu, prout decet hominem, vivat, nec ab ea illi fas sit pro arbitratu deflectere: Infinitae igitur Dei bonitatis erat hujuscemodi legem homini praestituere. Quod vero homo ab ea deflectat, nonne ejus tantum vitio tribuendum est, qui cum libertate praeditus sit illam numquam violandi, atque ad id gratiae etiam auxiliis adjuvetur, illam violare velit? 3.° an non Princeps, qui, ut suorum subditorum felicitati prospiceret, pergrandia praemia polliceretur bonis, improbis vero congruas minitaret poenas, tamquam optimus Princeps, ab omnibus praedicaretur? Ita sane. At ita etiam Deus egit, ut hominum felicitati prospiceret; immo amplius, cum eos quoque suarum gratiarum copia adjuvet, ut a recta morum norma numquam deflectant. Hinc per Js. ait: *Quid debui ultra facere vineae meae, et non feci ei* (c. 3.)? Ait autem *debui*; non enim quia Deus potuisset hominis libertatem, ac simul ejus constantem adhaesionem legi conjungere per efficacissimarum gratiarum largitionem, nec tamen

fecit, bonus idcirco non est dicendus: 1.° quia non tenebatur hominis beatitudinem quaerere, quantum ipse poterat, sed tantum, quantum necesse erat, ut illius mala jure ei tribui non potuissent. 2.°, quia finis, quem primario in procreatione Mundi sibi debuit praestituere, non quidem creaturarum bonum, sed sui ipsius gloria esse debuit, nihil enim Deo dignum, nisi idem ipse; ejusque gloria exigebat, ut in largitione suorum auxiliorum, praeter sufficientia, frueretur plena, ac perfecta libertate, prout in aliis operibus ad extra, caetera largiendi, nec hominis beatitudo ipsi imponeret, ut illi eam procuraret, quantum posset. 3.° quia distinguendum est inter id, quod Deus potuit, et id, quod debuit, ne malitiae insimularetur. Ad hoc autem satis erat, ut hominem in eo statu poneret, ut, positis omnibus ad peccandum eum impellentibus, ipsi adhuc praesto essent non peccandi vires. Quod utique praestitit, liberum largiendo ei arbitrium, quod etiam sua gratia adjuvat, ut id consequi queat. Quibus perpensis, manifeste patet, quod malorum origo ad duo agnoscenda principia non ducit.

Caeterum, positis quoque duobus principiis, neque etiam inde origo malorum explicaretur; vel enim aequalibus viribus valerent, vel inaequalibus. Si 1.m, eorum vires se mutuo eliderent, ideoque nec boni, nec mali aliquid esset in Mundo. Si alterum, major vis effectum consequeretur, destrueretque opera alterius minorem vim habentis, ideoque vel nullum malum, vel nullum bonum in Mundo esset. Nec cum Baylio *Dict. hist., et crit. art. Manich.* fingi potest foedus quoddam inter se initum, ut unumquodque juxta naturam suam operaretur; tum quia hoc foedus prout gratis asseritur, ita et gratis negatur; tum quia alterutrum principium foedus hujuscemodi ineundo, contra suam naturam egisset, cum suapte natura principium bonum ad bona, malum vero ad mala causanda determinatum ponatur.

Objicitur 2.° a Tritheitis contra unitatem Dei ex Trinitate Personarum Divinarum, cujus dogma omnia enervare videtur supra allata argumenta pro Dei unitate: 1.° enim nonne quaelibet ex Personis Divinis est necessaria, perfectissima, et infinita? Si ergo dari nequeunt plura necessaria, perfectissima, et infinita, neque etiam dari possunt tres Personae Divinae. 2.° nonne quaelibet ex Personis

Divinis sufficiens ad Mundi tàm opificium, quam regimen? Si ergo frustra creduntur plures Dii, frustra etiam creduntur plures Personae Divinae. 3.° nonne quia tres in Deo creduntur Personae, ideo necesse est infinitas numero Personas in eo credere? Neque igitur quia plures Dii admittuntur, necesse est infinitum Deorum numerum admittere. Quid ergo clarius, quam quod Trinitatis dogma omnia enervare videtur supra allata argumenta pro Dei unitate?

R. neg. ant.; licet enim quaelibet ex Personis Divinis sit necessaria, perfectissima, et infinita, non ideo creduntur juxta catholicum dogma tria necessaria, perfectissima, et infinita, cum non sint quoddam ab essentia realiter distinctum, ac separatum, sed unus Deus, ac realiter, absolute, omnimode eadem numero, atque indivisa substantia in tribus Personis subsistens. Hinc de Personalitatibus Divinis, quibus tantum distinguuntur, ita D. Jo. Damasc. l. 1. *De* orthod. fid. c. 8. *Omnia, quae habet Pater, Filii sunt, hoc uno excepto, quod ingenitus non est; quae quidem vox nec naturae discrimen, nec dignitatem, sed subsistendi modum indicat.* Quo principio satisfit etiam, quantum Mysterii ratio patitur, iis, quae secundo, et tertio loco adjecta fuere, Cum autem dixerimus de Personalitatibus Divinis cum D. Jo. Dam., esse quosdam subsistendi modos, quam loquendi rationem omnes quoque adhibent Theologi, sedulo simul cum his advertendum est, de modis nos loqui, quorum ratio est in ipsa Dei essentia, quique ab hac realiter non distinguuntur: ex quo sequitur, quod nulla adest comparatio inter ejuscemodi modos, et modos proprie dictos, quos nemo nescit, et enti praeter essentiam convenire, et ab ipsa Entis essentia, cui insunt, realiter distingui.

Instant. Ex eo quod Pater est Persona Divina, Filius Persona Divina, Spiritus Sanctus Persona Divina, tres in Deo Personae praedicantur. Pariter ergo ex eo quod Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, tres quoque Dii praedicandi sunt.

R. neg. cons. Prius tamen advertendum, duplici ex capite posse numerum oriri, ex limitatione scilicet, et ex ordine ad aliud: ex quo sequitur, quod, etsi Natura Divina numerari nequeat ex limitatione, potest tamen numerari ex ordine ad aliud. Porro ex ratione Personae utique in Deo habetur hic ordo ad aliud, tum quia Persona significat quemdam existendi modum, tum quia Re-

lationes, quae a nobis de Deo praedicantur, Paternitas nempe, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva, suapte natura ad invicem referuntur: Etsi igitur Natura Divina numerari nequeat ex limitatione, potest tamen numerari ratione Personarum, seu, quod idem est, plures Personas suscipere potest. Quo posito, dicimus 1.°, eo quod Pater est Persona Divina, Filius Persona Divina, Spiritus Sanctus Persona Divina, recte tres Personas in Deo praedicari, quippe quod nulla ex iis Personis, quatenus Persona, cum alia convenit. Ex eo autem, quod Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, tres quoque Deos praedicandos esse, non sequitur, quippe quod Natura Divina in illis tribus Personalitatibus subsistens una est, nec numerari potest, nisi ratione Personae. 2.° Ex eo quod Pater est Persona Divina, Filius Persona Divina, Spiritus Sanctus Persona Divina, recte tres Personas in Deo praedicari, quia sic dicendo, tres revera numeramus distinctas Personalitates. Ex eo autem, quod Pater est Deus, Filius est Deus; Spiritus Sanctus est Deus, tres quoque Deos praedicandos esse, non sequitur, quia cum dicimus *Pater est Deus*, intelligimus, Deum habere excellentissimam illam Naturam cum modo subsistendi, quem appellamus Paternitatem. Cum repetimus *Filius est Deus*, intelligimus, Deum habere illam eamdem Naturam cum modo subsistendi, quem appellamus Filiationem. Cum addimus *Spiritus Sanctus est Deus*, intelligimus, Deum habere illam eamdem indivisam Naturam cum modo subsistendi, quem appellamus Spirationem passivam. Cum igitur numquam Naturam Divinam numeremus, sed tantum subsistendi modos, seu Personalitates, hinc de Deo tres quidem Personas, unam tamen Naturam praedicamus. 3.° Ex eo quod Pater est Persona Divina, Filius est Persona Divina, Spiritus Sanctus est Persona Divina, recte tres Personas in Deo praedicari, quia Pater est Persona, idest Natura Divina, non accepta indefinite, sed cum modo subsistendi, qui est Paternitas: Filius est Persona, idest eadem Natura Divina, nec etiam accepta indefinite, sed cum modo subsistendi, qui est Filiatio: Spiritus Sanctus est Persona, idest eadem Natura Divina, nec etiam accepta indefinite, sed cum modo subsistendi, qui est Spiratio passiva. In una igitur, eademque Natura Divina tres tamen subsistendi modi, idest tres Personae. Ex eo

autem, quod Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, tres quoque Deos praedicandos esse, non sequitur: Pater enim est Deus, idest habet Naturam cum personalitate Patris: Filius est Deus, idest habet eamdem Naturam Divinam cum personalitate Filii: Spiritus Sanctus est Deus, idest habet eamdem Naturam Divinam cum personalitate Spiritus Sancti. Triplex ergo Persona in una, eademque Natura Divina, non autem tres Naturae Divinae, seu tres Dii.

Instant. Deus ille unus est Pater. Filius autem est ipsemet Deus ille unus: Ergo Filius est Pater. Quod pariter cum dici possit de Spiritu Sancto; vel igitur tres dicendi sunt Dii, vel Trinitatis dogma deserendum.

R. dist. maj Deus ille unus est Pater, si vox *Deus* accipiatur pro Natura Divina per Paternitatem completa; utique: non autem si accipiatur pro Natura Divina, quatenus complectitur omnes subsistendi modos, hoc enim sensu Pater non est ille unus Deus, nisi simul cum Patre intelligatur quoque Filius, et Spiritus Sanctus. Hinc en quomodo ex adverso argumentandum est: Deus ille unus est Pater, prout Deus est Natura Divina completa per Paternitatem. Filius autem non est Deus ille unus, prout Deus est Natura Divina per Paternitatem completa: Ergo Filius non est Pater.

Instant. Unus ille verus Deus est Pater. Filius autem non est Pater: Ergo Filius non est Deus ille verus. Item unus ille verus Deus est Filius. Pater autem non est Filius: Ergo Pater non est ille verus Deus. Quod cum idem de Spiritu Sancto, dici possit, rursus proinde vel tres dicendi sunt Dii, vel Trinitatis dogma deserendum.

R. dist. etiam maj. Unus ille verus Deus est Pater, quatenus Dei Nomine intelligimus Naturam Divinam, et unum dumtaxat subsistendi modum; utique: non autem, quatenus Dei Nomen tum Naturam Divinam, tum modum omnem, quo subsistit, complectitur.

Instant. Deus ille unus est trinus in Personis. Quaelibet autem ex illis Personis est Deus ille unus: Ergo quaelibet ex iisdem est quoque trina in Personis; ideoque rursus vel tres dicendi sunt Dii, vel deserendum Trinitatis dogma.

R. dist. pariter maj. Deus ille unus est trinus in Personis, si Deus ille unus accipiatur adaequate, et prout omnem subsistendi modum complectitur; non autem si

accipiatur inadaequate, ac citra subsistendi modos, quos comprehendit.

Instant. Unius tantum substantiae intelligentis una est persona; monstretur namque vel unicum exemplum sive hominis, sive Angeli, qui non sit una persona, sed plures. Vel ergo in Deo tres substantiae, ideoque tres Dii: vel si una in eo creditur substantia, unam quoque in eo credendam esse Personam, consequens est; ideoque rursus vel tres dicendi sunt Dii, vel deserendum Trinitatis dogma.

R. neg. paritatem; ideo namque in creatis unius substantiae intelligentis una est Persona, quia in creatis omnis substantia intelligens est finita, ex quo sequitur, quod plures habere nequeat subsistendi modos. Cum tamen substantia Divina sit infinita, potest plures habere subsistendi modos; atque hinc patet disparitas, et solutio.

Instant. Quid persona, nisi substantia intelligens completa? Tres igitur Personae tres substantiae; ac rursus recurrit, quod vel tres dicendi sunt Dii, vel Trinitatis dogma deserendum.

R. revocando Adversarios ad accuratiorem personae notionem, est haec namque substantia intelligens, incommunicabilis alteri, et completa. Porro quid repugnat, quod una, eadem, atque individua substantia plures habeat proprietates incommunicabiles alteri, quodque eae proprietates pluribus modis eam compleant? Neque ergo repugnabit in una, eadem, atque individua substantia plures personas adesse.

Instant demum. Si quaelibet ex Personis Divinis est ipsa Dei substantia, quae tres Personas habet realiter distinctas, quaelibet etiam ex Personis Divinis erit tota Trinitas. Rursus ergo vel tres dicendi sunt Dii, vel Trinitatis dogma deserendum.

R. neg. sequ. ant.; cum enim dicitur, quamlibet ex Personis Divinis esse ipsam Dei substantiam, Divinitas inadaequate accipitur, non adaequate, prout nempe complectitur omnem subsistendi modum: ex quo sequitur, circumissessionem, et immanentiam Divinarum Personarum in eo sitam esse, quod ratione unius numero substantiae sint individuae; non autem in eo, quod proprietas unius Personae, quatenus est Personae, sit proprietas alterius. Sed fusius hac de re suo loco.

TRACTATUS V.

CAPUT UNICUM.

De simplicitate Dei.

Intelligitur per simplicitatem *negatio compositionis.* Porro contra Dei simplicitatem erraruut 1.° veteres Philosophi, qui Deum cum hoc adspectabili Mundo confuderunt: quo sensu ait Virgilius: *Jovis omnia plena*, Ecloga 3.; et Lucanus l. 9.: *Jupiter est quodcumque vides*, *quocumque moveris.* Eorum autem errorem postmodum renovavit Spinoza, ac nos tract. 1. c. 2. confutavimus. 2.° Idololatrae, qui vana eorum simulacra pro Diis colebant. 3.° demum inter Judaeos Sadducaei, qui nullam substantiam pure spiritualem admittebant, ut patet ex *c.* 23. *Act.*; et inter Christianos tum Manichaei, ut testatur D. Aug. l. *de Haeresibus haer.* 46., et Monachi quidam in Aegypto qui humanam formam Deo affigebant, ideoque Anthropomorphitae appellati: contra quos sit

Prop. = Deus est Ens simplicissimum. Est de fide.

Prob. = Et 1.° ex Script., ut ex Jo. 4: *Spiritus est Deus*; *et eos*, *qui adorant eum*, *in spiritu*, *et veritate oportet adorare*: ubi per Spiritum significari substantiam immaterialem, ac nullo corpore, aut terminis circumscriptám, ex eo patet, quod idcirco dicitur, ejus cultum nec certo loco, nec certis coeremoniis alligari, ut falso putabant Samaritani, sed ubique erga eum exerceri posse, et deberi. 2.° ex Js. 40., ubi: *Cui ergo similem fecistis Deum*, *aut quam imaginem ponetis ei?* Ex Jer. 23., ubi: *Coelum*, *et Terram Ego impleo.* Ex *l.* 3. *Reg. c.* 8., ubi: *Si Coeli Coelorum te capere non possunt*, *quanto magis domus haec*, *quam aedificavi?* Et ex 1. *ad Tim. c.* 1., ubi: *Regi saeculorum immortali*, *et invisibili*: quae omnia nonnisi de puro Spiritu praedicari possunt, Hinc D. Greg. Naz. or. 34: *An Corpus eum dices? Quonam ergo modo immensus*, *infinitus*, *figurae expers est*, *ac denique ejusmo-*

di, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An vero Corpus quidem esse statues; immensum vero, atque infinitum, caeteraque hujus generis esse negabis?

2.° Ex Conc. Lat. IV. c. 1., ubi definitum fuit, tres Personas Divinas esse *unam essentiam, substantiam, seu naturam simplicem omnino.*

3°. Multiplici ratione. Et 1.° est Deus *totus mens*, ut eum Orig. appellat *l.* 1. *de Principiis c.* 1., utque opificium, ac regimen Mundi evidenter ostendit. Si autem totus mens, totus quoque simplicitas, nihil enim simplicius, quam cogitatio: Simplex igitur. 2.° Quocumque excogitato Corpore, majus, ac majus semper sine fine cogitari poterit, nulla enim cogitari potest moles corporea, licet ingentissima, cui amplior magnitudo superaddi nequeat. Deo autem nihil majus cogitari potest: Non ergo corpus, sed simplex. 3.° Idem dictu est, Deum esse Ens compositum, ac partibus constare, quae separari possunt. Id autem cum idea Entis perfectissimi omnino pugnat: Non ergo Ens compositum, ideoque simplex.

Diximus autem cum Conc. Lat., quod Natura Dei est omnino simplex, procul namque ab eo cujusvis generis compositio. Et sane non datur in Deo compositio ex corpore, et Spiritu, quia caret corpore. Neque etiam compositio ex substantia, et qualitatibus, quia vi essentiae est ipsa bonitas, sapientia, justitia, etc. Neque etiam compositio ex natura, et personis, quia hae distinguuntur quidem ab invicem, sed sunt eadem omnino Divinitas, et substantia. Neque demum compositio ex essentia, et existentia, quia in Deo non est aliud esse, aliud existere. Omnino igitur simplex, quia expers cujusvis compositionis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objiciuntur 1.° tot obvia Scripturae loca, quibus Deo tribuuntur quae corporum, hominumque sunt propria: Non ergo simplex, sed corpus habens.

R. dist. ant.; seu illi ea tribui in sensu metaphorico, et improprio, non vero in sensu litterali, et proprio: quia enim sic facti sumus, ut, quae pure spiri-

tualia sunt, non possimus, nisi sub involucro corporeae cujusdam imaginis concipere, hinc Deus nostrae infirmitati sermones accommodans, ita locutus est, ut dimensio, et magnitudo extensionis significet ejus immensitatem, situs immutabilitatem, solii celsitudo majestatem, oculi perspicuitatem, et scientiam, manus omnipotentiam, aures benignitatem, et misericordiam, etc. Et sane, ut advertit D. Aug. ep. ad Fortunatianum, nonne *et eadem Scriptura alas habere Deum dixit, quos nos utique non habemus? Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus; sic et cum audimus manus, operationem intelligere debemus; et cum audimus pedes, praesentationem, etc.* Humani vero affectus illi tribuuntur quoad effectum, non quoad interiorem animi motum. Sic per iram, ut laud. D. Aug. explicat, *non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis, sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quae nonnisi justa est, irae nomen accepit* (*In Enchir. c.* 33.). Per poenitentiam *solum velle, non esse aliquid, sicut fecerat, ut esset. Sed tamen et cum ita esset, ita esse debebat, et cum ita esse, jam non sinitur, jam non debet ita esse; perpetuo quodam, et tranquillo aequitatis judicio. quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit* (*l.* 2. *ad Simplic. qu.* 2.). Ubi etiam S. D. addit: *Quis est hominum, cui non occurrat, in Deo cuncta praesciente poenitentiam esse non posse?*

Objic. 2.° , quod homo dicitur factus *ad imaginem, et similitudinem Dei* (*Gen.* 2.). Homo autem constat anima, et corpore: Ergo et Deus.

R. dist. maj.; quod nempe homo dicitur factus ad imaginem, et similitudinem Dei ratione animae, non vero ratione corporis. Et sane indene quis inferet, hominem esse omnipotentem, immensum, aeternum, etc., quia Deus est omnipotens, immensus, aeternus? Neque ergo inde infertur, Deum constare anima, et corpore; quia nempe identitas quidem constituitur per convenientiam in omnibus, non vero simplex similitudo, ad quam sufficit aliqua tantum convenientia.

Objic. 3.° Melito Sardendis, Tertullianus, et Lactantius, qui videntur contrarium docuisse.

Respondet quoad 1.m Sixtus Senensis: *Numquam*

ausim credere, *quod vir sanctitate*, *et eruditione maximus*, *quem Tertullianus*, *ut Prophetam a Christianis habitum*, *asseverat*, *in talem amentiam decidisset* (*Bibl. Sanctae l.* 5. *ann.* 18.). Quoad 2.m, Tertullianum per corpus intellexisse substantiam, patet ex ejus verbis: *Quis negabit Deum esse corpus*, *etsi Deus Spiritus est*, *spiritus enim est corpus sui generis* (*l. cont. Praxeam c.* 7.)? Quoad 3.m, dicimus, quod Lactantius tribuit quidem Deo figuram *l. de ira Dei c.* 18.; sed quaenam haec sit, non explicat; et aliunde Deum incorporeum credidisse, manifeste patet ex *l.* 7. *Inst. c.* 9., ubi: *Quod si est Deus*, *et incorporalis*, *et invisibilis*, *et aeternus*.

TRACTATUS VI.

CAPUT UNICUM.

De Immensitate Dei.

Praenotandum 1.° hic est, idem non esse immensitatem, et ubiquitatem, sive omnipraesentiam Dei. Immensitas enim, utpote ejus attributum, aeterna, absoluta, et necessaria est quoad Deum; et definitur *illa Dei perfectio, qua Deus vi suae essentiae determinatur, et exigit, ut rebus omnibus quoad ipsam suam substantiam intime praesens sit.* Ejus vero ubiquitas, sive omnipraesentia coepit in tempore, et creaturas connotat, quibus coexistit; et definiri potest *illa Dei perfectio, qua Deus vi suae essentiae actu rebus omnibus intime praesens adest*: ex quo sequitur, immensitatem Dei esse ad ejus ubiquitatem, seu omnipraesentiam, ut actus primus ad actum secundum, illa enim abstrahit ab actuali rerum creatarum coexistentia, haec actualem rerum creatarum coexistentiam includit.

Praenotandum 2.°, nefas esse cum Moro, Newtono, Clarkio, et Raphson eam cum spatio confundere. Et 1.° constituitur Deus per suam immensitatem *ubique totus*, ut loquitur D. Ambr. *l.* 1. *de fide c.* 16.; ac fide cavemur, ut pergit D. Aug. *ep.* 187. c. 4., ne ejus immensitatem ita concipiamus, *ut in dimidio Mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, sed in solo Coelo totus, et in sola terra totus, et in seipso ubique totus.* Si autem ejus immensitas idem esset, ac spatium, esset quidem Deus totus in toto spatio, sed divisus in quavis parte ipsius, eo fere modo, quo aer totus est in tota atmosphera, sed divisus in quavis atmospherae parte: Non ergo ejus immensitas idem ac spatium. 2.° cum Dei immensitas non sit quid ab eo realiter distinctum, sed ipse Deus, cujus est necessarium attributum, debet profecto esse quid simplicissimum, perinde ac Deus, non vero quid extensum. Hinc laud. Aug. l. cit.: *In eo, quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda, ne opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut*

humor , aut aer , aut lux ista diffunditur. Spatium autem non est aliud , nisi quid extensum continuum : Non igitur Dei immensitas cum spatio confundenda. 3.° possibilitas mera , idest interna , a Deo non dependet , sed est cuivis rei insita , tum quia aliud non est , nisi *habilitas ad existendum in eo fundata , quod notae essentiales rei contradictionem non implicant* ; tum quia , si ideo solum posset aliquid existere , quia Deus posset illud efficere , ideo solum etiam existere aliquid non posset , quia Deus non posset illud efficere ; ac ratio impossibilitatis cujusvis rei non esset in re ipsa , sed in Deo ; quod Dei Omnipotentiam limitibus coercere , nemo est , qui non videat. Quod cum ita sit , neque etiam spatium dicendum est a Deo dependere , cum ipsum quoque mera possibilitas sit collocandorum corporum ; a quo tamen dependeret , si per ejus immensitatem constitueretur : Et ob hoc igitur non est spatium cum Dei immensitate confundendum. 4.° Tempus non est Dei aeternitas , secus namque res , quae sunt in tempore , essent in Dei aeternitate ; quod repugnat , in tempore enim dicuntur , quae initio circumscribuntur , et fine , in aeternitate vero , quae nec initii , nec finis limitibus circumscribuntur. Quod cum ita sit , neque etiam spatium dicendum est Dei immensitas , aeque enim absurdum est , ut entia , quae sunt in spatio , sint in immensitate Dei ; hoc enim posito , quid Dei immensitas , nisi possibilitas quaedam locandorum corporum , utpote quae definitio spatii ? Ex fide tamen immensitas Dei ipsa est Dei substantia , quia cum ea realiter identificatur. Sive, ut idem diversimode dicamus , Dei immensitas est ipse Deus , cujus est necessarium attributum , ut supra diximus ; quare si spatium idem esset , ac Dei immensitas , illud quoque idem esset , ac ipse Deus. Spatium autem non est quid reale : Nec ergo Deus esset quid reale ; quod cum sit nefas , ac blasphemum dictu , nefas quoque , ac blasphemum dicendum est Dei immensitatem cum spatio confundere.

Praenotandum 3.° , juxta dogma Catholicum , nedum Deum ubique esse *per potentiam* , quemadmodum nempe Sol in Coelo existens dicitur per potentiam Terrae adesse , quia virtute sua illam illuminat ; nedum etiam ubique esse per *praesentiam* , quia videt omnia , quae fiunt ; sed ubique etiam esse *per substantiam* , quia nempe sua-

met substantia omnia imple· ubique nempe est *per potentiam*, ait namque Ap. Act. 17., quod *in ipso vivimus, movemur, et sumus.* Idest *vivimus*, non localiter, sicut aves in aere, aut pisces in aqua, sed efficienter quia nempe sicut anima efficit, ut corpus vivat, ita Deus efficit, ut nos vivamus. *Movemur*, quia vim agendi Ipse nobis et tribuit, et conservat eo ipso momento, quo illam exerimus. *Sumus*, quia per continuatam conservationem continuo etiam existentiam ab Eo accipimus, est enim conservatio quaedam continuata productio. Ubique est *per praesentiam*, ait namque idem Ap. ad Heb. 4., quod *non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus*; cum enim ipse sit, ut ait idem Ap. 1. ad Cor. 12., *qui operatur omnia in omnibus*, quomodonam potest aliquid eum latere? Ubique demum est *per substantiam*; in quo praecise cum consistat immensitatis attributum, primo enim modo esse ubique pertinet ad omnipotentiam, altero vero modo ubique esse ad omniscientiam, id quoque hic loci peculiariter demonstrandum suscipimus, suntque circa id tria in aperto ponenda: 1. dogma Catholicum de immensitate Dei; 2. per quod Deus sit formaliter omnipraesens; 3. an Deus praesens quoque adsit in spatiis extramundanis, seu immaginariis.

Quoad 1.m autem errarunt olim quotquot cum Gentibus vel in Olympi recessu, vel in superiori sphaera Deum constituebant, vel Diis suis peculiarem tribuebant locum, puta Coelum Jovi, aerem Junoni, mare Neptuno, inferorum sedem Plutoni: nec non qui ex Hebraeis in Jerosolymitani Templi angustiis Deum coarctabant. Errant vero modo Sociniani, arbitrantes, Deum proprie quoad essentiam Supremum Coelum inhabitare, unde infinita ejus vis, et potentia dimanat in omnes partes, in quibus eam vult exercere. Quoad 2.m opinantur Thomistae, rationem formalem, per quam Deus est actu praesens, et existens ubique, esse ejus operationem, qua omnia producit, vel conservat; ut enim ait D. Th. l. 3. contra Gent. c. 68., nec non 1. p. qu. 8. art. 2. ad 1., *incorporalia non sunt in loco per contactum quantitatis dimensivae, sicut corpora, sed per contactum virtutis.* Contra quos docent caeteri Theologi, rectius dici Deum formaliter ubique praesentem, et existentem esse per suam immediate substantiam. Quoad 3.m, in spatiis quo-

que extramundanis, seu immaginariis Deum esse actu, et positive praesentem, docent Suaresius, Antoine, L'Herminier, aliique; negant vero Tourn., Berti, etiamque alii. Quibus praenotatis, sit

Prop. I. Deus substantialiter praesens adest ubique. Est de fide.

Prob. 1.° ex Script., ut ex Job. II. *Excelsior Coelo est, profundior Inferno, longior terrae mensura ejus, et latior mari.* Ex Jer. 23.: *Numquid non Coelum, et Terram Ego impleo, dicit Dominus?* Ex Baruch 3.: *Magnus est, et non habet finem, excelsus, et immensus.* Ex Ps. 138.: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in Coelum, tu illic es; si descendero in Infernum, ades, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Ex Act. 17.: *Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Haec autem omnia ipsa ejus substantia Deum ubique adesse, manifeste indicant: Ergo.

2. Ex PP.; accedunt namque Ambrosio, et Augustino, quos supra laudavimus, D. Chrysost, in Ps 112.: *Quomodo in Coelis habitat, qui Coelum, et Terram implet? Qui ubique praesens est? qui dicit: Deus appropinquans Ego sum, et non Deus procul? Qui continet ambitum terrae? Postquam enim dixit: Qui in altis habitat, et humilia respicit, rursus ad altiora orationem extollens, dicit, in Coelo, et in Terra, ostendens, Eum esse ubique, et hic, et illic. Non enim tamquam in Coelo inclusus respicit eminus, quae fiunt in Terra, sed ubique praesens.* D. Cyrill. Hieros. Cat. 6. *In loco minime definitus, unus est ubique praesens.* D. Hilar. l. 1. ad Const. *Deus et ubique est, et totus ubique est.*

3.° Multiplici ratione. Et 1.° si Deus non est ubique, vel nullibi est, vel cuidam tantum loco determinatus. At dici nequit nullibi esse, quidquid enim est, alicubi esse, necesse est. Nec etiam dici potest, determinatum tantum esse alicui loco, id enim cum summa ejus infinitate manifeste pugnat, quia nimirum loco finito circumscriptus esset: Ubique igitur.

2.° Ita aliquid alicubi existere, ut simul alibi non sit, est quaedam profecto perfectionis, et existentiae limitatio, quemadmodum esse tantum aliquo tempore similem limitationem arguit; dum e contrario ubique exi-

stere est vera, ac summa perfectio. Sunt autem Deo omnes perfectiones tribuendae, cum sit Ens perfectissimum, et infinitum: Ergo et ipsi tribuendum ubique existere.

3.° Ubicumque est Dei potestas, est et substantia, cum enim Deus sit Ens simplicissimum, ipse quoque est suamet operatio. Ejus autem potestas ubique est, per ipsum namque omnia producuntur, et conservantur: Ergo ubique et substantia. Sive, ut idem divers mode dicamus, est Dei substantia ab ejus operatione realiter indistincta. Ubique autem Deus operatur: Ubique igitur substantialiter praesens. Hinc Petavius Theol. Dogm. l. 7. c. 7.: *Qui Deum ubique esse negant hoc sensu, quod vel totum, quam late patet, universitatem rerum occupari ab illius substantia non credunt; vel a quibusdam ob foeditatem, ac turpitudinem eximunt; atque, ut verbo dicam, si alicubi esse substantiam Dei, velut in Coelo, statuunt, alibi non esse docent, manifestae haeresis tenentur.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illa Scripturarum testimonia, quibus dicitur, Deum in Coelis habitare, ut Ps. 2. *Qui habitat in Coelis, irridebit eos.* Et Ps. 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Coelis.* Et Matth. 5. *Et glorificent Patrem vestrum, qui in Coelis est.* Nec non, quibus dicitur, Deum accedere, et recedere, ut Gen. 11. *Descendit autem Dominus, ut videret Civitatem, et turrim,* etc.: habitare in animabus justis, ut Jo. 14. Quod demum Verbum e Coelis descendisse dicitur, ut homo fieret. Non ergo ubique.

R., quod haec omnia non litteraliter, sed metaphorice accipienda sunt. Dicitur nempe in Coelis habitare, quia ibi conspiciendum se praebet, *sicuti est*, et *facie ad faciem*; simul enim dicitur, quod Coelum, et Terram implet, quod excelsior est Coelo, et Inferno profundior. Dicitur accedere, ac recedere, ut significetur, dona sua aliquando hominibus largiri, aliquando subducere, aliquando peculiarius inspicere, aliquando dissimulare, utque se captui nostro accommodet. Dicitur habitare in animabus justis, quia, ut loquitur D. Aug. ep. 57. ad Dardanum, *fatendum est, Deum esse ubique*

per Divinitatis praesentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Ac demum, de Coelis descendisse, dum Verbum caro factum est, quia hanc assumendo, *semetipsum* (ut ait Ap. ad Phil. 2.) *exinanivit, formam servi accipiens.*

Objic. 2.° Tatianus, et Clem. Alex., qui videntur negasse Dei immensitatem, ille nempe *or. cont. Graec.*, hic *l. 2. Strom.*: Lactantius, qui *l. de opif. Dei c.* 16. ait de mente humana, quod *videtur in summo capite constituta, sicut in Coelo Deus*: ac plerique alii ex PP., dicentes, Deum *nullibi esse, non esse in loco, alicubi non esse*, ut scribere videntur D. Greg. Nyss. *l. de an.*, D. Aug. *l.* 38. *quaest.*, D. Chrys. *hom.* 5. *in ep. ad Col.*: Ergo.

R., Tatianum, et Clem. Alex. illam negasse in sensu erroneo Stoicorum, quos insectabantur, quique ajebant, Deum instar animae totam rerum universitatem permeare. Lactantium vero Deum locare in Coelo juxta sensum, quo loquuntur Scripturae, ut supra diximus, clare enim Dei immensitatem adstruit sequentibus verbis: *Et miratur aliquis, si Divina Mens Dei per universas Mundi partes intenta discurrit, et omnia regit, ubique praesens, ubique diffusa?* Reliquos demum id unum asserere, quod Deus non est ubique ad instar corporum, quasi per partes locum occupet, sitque in eo definitus, et circumscriptus.

Objic. 3.° Si Deus ubique esset, non esset Ens simplex, sed extensum. Est autem Ens simplicissimum: Non ergo ubique.

R. dist. maj., quod nempe non esset Ens simplex, si ubique esset *circumscriptive*, idest per varias sui partes variis spatii partibus applicatas; sive, quod idem est, si ubique esset per molis quantitatem, et corporum instar, quae partes habent extra partes, et per majores majus occupant spatium, minus per minores. Non ita tamen Deus est ubique, sed *repletive*, ut ajunt, omnia scilicet replens, et continens, nullo loco ipse contentus, et inclusus.

Objic. 4.° Summam Dei Majestatem dedecere, quod praesens adsit suamet substantia locis ipsis sordidis: Non ergo ubique.

R. neg. ant., Deum namque incommutabilem lucem nihil prorsus id inficit; sicut nec lux Solis a ster-

quilinio, nec hominis anima a leprosi corporis sordibus foedatur.

Prop. II. Dei omnipraesentia efficaciter probatur per ejus operationem. Ita communiter. Per eam tamen formaliter non constituitur, sed per ipsius substantiae immensitatem. Ita probabilius contra Thomistas.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Script., ut ex Ps. 138. : *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in Coelum, tu illic es; si descendero in Infernum, ades. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.* Et Act. 17, : *Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* His autem in locis ratio, ob quam Deus dicitur tam a Psalmista, quam ab Apostolo ubique praesens, est ejus operatio: Efficaciter ergo per hanc probatur Dei omnipraesentia.

2.° Ex D. Aug. *l. 4. de Gen. ad lit. c. 12.*, ubi: *Cum aliud simus, quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur.* Nec non ex D. Anselmo *Monol. c. 22.*, ubi: *Quoniam nihil sine Deo potest esse, et conservari, dicere cogimur, Deum ubique esse, et semper esse.*

3.° Quia, ut supra disseruimus, cum Dei operatio ab ipso Deo realiter non distinguatur, ut ex relatis etiam Scripturae testimoniis non obscure colligitur, sed sit ipse Deus, ubicumque idcirco Deus operatur, debet quoque ibi adesse. Ubique autem operatur, per ejus namque operationem omnia vel producuntur, vel conservantur: Et ubique ergo adesse debet.

Prob. 2. pars., 1.° enim constitui nequit formaliter Dei omnipraesentia per id, quod ipsam supponit. Dei autem operatio in omnibus rebus supponit ipsius omnipraesentiam, sicut enim operari sequitur esse, ita operari in loco sequitur esse in loco: Dei ergo omnipraesentia non constituitur formaliter per ipsius operationem.

2. Quod est Deo necessarium constitui nequit formaliter per id, quod ipsi est liberum. Dei autem omnipraesentia, supposita rerum existentia, est de necessitate ipsius essentiae; omnis vero operatio ad extra est ipsi libera: Per hanc igitur ejus omnipraesentiam non constitui, consequens est.

Prob. 3. pars., 1. enim si non constituitur omni-

bus rebus intime praesens per ejus operationem, dicendum est, ipsis praesentem constitui per sui ipsius substantiae immensitatem. Praesens autem omnibus rebus non constituitur per ejus operationem: Per sui ipsius ergo substantiae immensitatem.

2. Si per aeternitatem ejus substantiae est, quod omni tempore coexistit, per ipsius substantiae immensitatem dicendum quoque est omnibus rebus coexistere. Est autem per aeternitatem ejus substantiae, quod omni tempore coexistit: Per ipsius igitur substantiae immensitatem dicendum quoque est omnibus rebus coexistere.

Nec quidquam facessit, quod Deus ab aeterno est immensus. Ab aeterno autem non est in loco: Non igitur per sui immensitatem formaliter in loco constituitur. Respondetur enim, quod ab aeterno est immensus, hoc sensu, quod vi suae essentiae semper exigit, ut rebus omnibus quoad ipsam suam substantiam intime praesens esset; non vero, quod rebus nondum existentibus coexisterit, quomodo enim poterat nihilo coexistere? Ex quo patet, quomodo etiam distinguenda sit minor.

Prop. III. Deus actu, positive, et quoad substantiam dicendus quoque est in spatiis extramundanis, seu imaginariis. Ita quoque probabilius adversus Tourn., etc.

Prob. . Et 1.° ex illis Scripturae testimoniis, quibus dicitur, quod *Coeli Coelorum* illum *capere non possunt*, ut 3. Reg. c. 8.; quodque *excelsior est Coelo*, et *profundior Inferno*, ut Job. 11. . Si autem actu, positive, et quoad substantiam non adesset in spatiis quoque extramundanis, seu imaginariis, quis non videt, quod Mundi ambitu coerceretur, ac intra ejus limites conclusus foret, ac definitus? Actu igitur, positive, et quoad substantiam in iis esse, consequens est.

2.° Ex PP., pro quibus sufficiant D. Greg. Naz., et D. Aug.; ita enim ille Apol. 1. *Deus in Universo est, et extra Universum.* Hic vero de spatiis illis extramundanis nominatim scribens l. 11. de Civ. Dei c. 5., *an forte* (inquit) *substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed eam, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea praesentia ubique totam, a tantis locorum extra Mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, et uno tantum, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo Mundus est, occupatam? Non opinor eos in haec*

vaniloquia progressuros. Si autem vaniloquium appellat eorum sermonem, qui dicerent substantiam Dei tam exiguo loco, in quo Mundus est, contentam, et a tantis locorum extra Mundum spatiis absentem, nonne aperte docet, in spatiis quoque illis extramundanis Deum praesentem adesse?

3.° Ex ratione; si enim entitas Divina non esset infinite diffusa extra Mundum, sed diffusionem tantum haberet huic Mundo respondentem, quis non videt, quod esset, aeque ac Mundus, limitata? Id autem cum notione ejus immensitatis pugnat: Ergo.

Cui accedit, quod si Deus per suam aeternitatem ante omne tempus reale revera extitit, dicendum quoque est, per ejus immensitatem extra omne spatium reale revera existere. Per suam autem aeternitatem ante omne tempus reale revera extitit: Dicendum ergo est, per ejus etiam immensitatem extra omne spatium reale revera existere.

Nec quidquam facessit, quod, ut supra diximus, nequeat nihilo coexistere. Spatia autem extra Mundum, et imaginaria sunt merum nihil: Non igitur Deus iis coexistit. Respondetur enim dist. maj., quod Deus nempe nequit nihilo coexistere hoc sensu, tamquam si nihil esset aliquid; non vero hoc sensu, quod actu, positive, et quoad substantiam intra rerum ambitum contineatur. Aliud namque est, quod revera Deus non est in spatiis imaginariis, tamquam in loco positivo, et rebus positivis correspondens; quod ultro concedimus: aliud quod vere in iis non est actu, positive, et quoad substantiam; quod negamus, quia foret alioquin intra Mundi limites conclusus.

At quomodonam ibi existit? In seipso, idest in sua immensitate, quae nullo creatarum rerum ambitu concludi potest. Hinc D. Aug. l. 11. de Civ. Dei c. 5.: *Dicet aliquis: Antequam Deus faceret Coelum, et Terram, ubi habitabat? In se habitabat Deus; apud se habitabat, et apud se est Deus.* Praeiverat Tertullianus l. cont. Praxeam c. 5.: *Ante omnia Deus erat solus, et ipse sibi et Mundus, et locus, et omnia.* Fatendum tamen est, in spatiis illis extramundanis, seu imaginariis per solam substantiam esse, non vero simul per potentiam, seu operationem, et per praesentiam, seu cognitionem, cum nihil ibi vel operari dici possit, vel cognoscere.

TRACTATUS VII.

CAPUT UNICUM.

De immutabilitate Dei.

Intelligitur per immutabilitatem *illa Dei perfectio, qua vi suae essentiae nullam prorsus entitatem, aut perfectionem vel acquirere, vel amittere, vel modificare potest.* Quo posito, sit

Prop. Deus est omnino immutabilis. Est de fide.

Prob. Et 1. ex Script., ut ex Malach. 3. *Ego Dominus, et non mutor.* Ex Sap. 7. *In se permaneus omnia innovat.* Ex Jac. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Qu bus accedunt, non esse mutabilem ratione durationis; dicitur enim Deut. 32. *Vivo Ego in aeternum.* Nec ratione substantiae; dicitur enim Ps. 101. *Sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es.* Nec ratione loci; dicitur enim Jer. 23. *Coelum, et Terram Ego impleo.* Nec ratione cognitionis; dicitur enim in ep. ad Heb. 4. *Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus.* Nec ratione consilii, et voluntatis; dicitur enim Js. 46 *Consilium meum stabit*; et Prov. 19 *Multae cogitationes in corde viri; voluntas autem Domini permanebit.* Omnino ergo immutabilis.

2.° Ex PP.; nam *immobilem Deus habet naturam*, ait Chrysost. in Ps. 1. *Non novus est, qui origine caret*, ait D. Hil. in Ps. 2. *Mutari nescit; nec proficit, quia perfectum, nec deficit, quia aeternum est*, ait D. Aug. l. 1. Conf. c. 4. Quibus caeteri PP. concinunt.

3.° Ex ratione; intelligitur namque, ut diximus, per immutabilitatem *illa Dei perfectio, qua vi suae essentiae nullam prorsus entitatem, aut perfectionem vel acquirere, vel amittere, vel modificare potest.* Deus autem cum vi suae essentiae ex alibi ostensis sit Ens perfectissimum, et infinitum, nullam prorsus entitatem, aut perfectionem potest de novo acquirere, quia hoc posito, non fuisset antea perfectissimus, et infinitus; nullam quoque amittere potest, quia hoc posito, perfectissimus, et infinitus esse desineret; nullam denique modificationem suscipere, quia Ens absolute, et in om-

nibus necessarium : Immutabilis igitur. Sive, ut idem diversimode dicamus : Quidquid mutatur, transit vel a meliori in deterius, vel a deteriori in melius. Deus autem, utpote Ens perfectissimum, et infinitum, transire nequit a meliori in deterius, neque a deteriori in melius : Ergo immutabilis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod dicitur Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia.* Sermo autem ibi fit de Deo : Mutabilis igitur.

R. dist. maj, quod nempe omnibus mobilibus mobilior dicitur ratione effectuum, ut ex contextu arguitur, *omnium enim* (subditur) *artifex docuit me Sapientia*; non vero ratione substantiae, quare etiam subditur : *Et cum sit una, omnia potest; et in se permanens, omnia innovat.*

Objic. 2.° Deus Mundum creando, de non operante factus est operans, ac novam acquisivit denominationem Creatoris, Domini, Iudicis, etc. Haec autem veram mutationem in eo arguunt : Ergo mutabilis.

R. dist. maj., quod scilicet factus non est de non operante operans immanenter, et intra seipsum, sed tantum extra : quia enim, non novo consilio, nec nova voluntate, sed aeterno consilio, et incommutabili voluntate Mundum in tempore creare voluit, hinc quum Mundum creavit ; nulla in ipso mutatio accidit, sed tantum in rebus creatis, quae e statu possibilitatis transierunt ad statum actualitatis. Sive, ut clarius cum Laur. Berti id explicemus, in tempore quidem peracta est creatio terminative accepta, et quantum spectat ad productionem rerum creatarum; non vero considerata ex parte Dei Creatoris : nam si in nobis distinguuntur consilium, voluntas, et operatio, est enim aliquando sine consilio voluntas, sine operatione consilium, haec tria in Deo ob perfectissimam simplicitatem sunt idem, neque potest consistere unum absque altero. Quemadmodum proinde intelligimus opus perfici in tempore a sempiterno consilio, ita debemus asserere effici temporaliter aeterna, ac immutabili operatione, ita ut mutabilitas tota rei, quae perficitur, sit permixta. Apposite D. Aug. l. 12 De Civ. Dei c. 17. *Hoc, quod dicitur prius, et posterius, in*

rebus prius non existentibus, et posterius existentibus fuit. In illis autem non alteram praecedentem ultera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una, eademque sempiterna, et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt. Novam vero denominationem, dum Mundum condidit, acquisivit Creatoris, Domini, Iudicis, etc.: cum tamen quaevis ex iis denominationibus non sit, nisi connotative ad creaturas, ideoque externa, hinc ejusmodi denominationibus nullam internam entitatem, ac perfectionem comparavit, ex quo sequitur, quod nulla in eo mutatio inferri inde potest.

Objic. 3.° Deus in incarnatione de non homine factus est homo; et quidem non per externam denominationem tantum, sed vere, et proprie. Id autem veram, et propriam mutationem arguit: Ergo.

R. dist. maj., quod nempe factus est homo per assumptionem humanitatis in unitatem personae, ex quo perfectionum thesauri in humanitatem redundarunt; non vero per conversionem Divinitatis in humanitatem, vel per acquisitionem alicujus perfectionis, nihil enim novi Divinitas vel acquisivit, vel amisit. Hinc, laud. D. Aug. ser. 12.: *Non solum non eum mutavit in deterius infirmitas carnis, sed ab eo in melius ipsa mutata est.*

Objic. 4.° Amor, quo justos diligit, et odium, quo peccatores prosequitur, est quid profecto Deo intrinsecum. Unum autem alteri in Deo succedit, dum homo e statu justitiae in peccatum labitur: Tunc ergo intrinsece mutatur.

R. dist. min., quod nempe unum alteri succedit ratione diversorum effectuum; non vero ratione affectuum, quasi de uno affectu transeat ad alium: unico enim, simplici, et invariabili actu amat Deus hominem pro tempore, quo justus est, et eum odit pro tempore, quo peccator est; ex quo sequitur, quod omnis mutatio non est umquam ex parte Dei, sed ex parte hominis, qui modo objectum amoris est, modo odii. Hinc etiam quos volebat salvos fieri, immutato prorsus consilio, reprobat, damnat, et addicit gehennae ob perpetrata ab iis crimina, quia nempe eos volebat salvos fieri, ipsis ejus obtemperantibus legi, et ex opposito gehennae addictos, ipsis ejus legem spernentibus.

Objic. 5.° Deum consilium suum quandoque retractas-

se, ac poenitentia, dolore, ira, aliisque id genus affectibus motum fuisse, testantur passim Scripturae: ut quum aquis Diluvii Mundum obruit; Ezechiae mortem propinquam denuntiavit, quam deinde non subiit; ac Ninivitis futuram intra 40. dies urbis subversionem, quae tamen post 40. dies non est subversa, etc. Haec autem veram mutationem in eo arguunt: Ergo.

R. negando, quod Deus consilium suum retractaverit in casu tum Diluvii, tum Ezechiae, tum Ninivitarum: quoad 1.m namque, hominem, quem condidit, et subinde delevit aquis Diluvii, ab aeterno et creare statuit, et subinde delere. Quod vero Ezechiae, ac Ninivitis denuntiavit, non fuit, nisi quaedam tantum periculi admonitio, neutrum tamen lato voluntatis suae decreto statuerat futurum, siquidem Deus illud non decreverat futurum, quod reapse non erat futurum; sed potius quia Ezechias illum rogavit, ut sineret eum adhuc vivere (Is. 38.), ac Ninivitae, relicta via sua mala, in cinere, et cilicio poenitentiam egerunt, illi vitam prolungaturum, his veniam daturum fore, decreverat. Affectus autem poenitentiae, doloris, irae, etc. Deo diximus tribui, ubi de ejus simplicitate, quoad effectum dumtaxat, non quoad interiorem animi motum: qua super re advertit doctissimus Petavius l. 3. de Deo c. 2., iram a Deo rejiciendam, non ea solum ratione qua perturbatio quaedam est animi, sed etiam quatenus affectus, quamlibet pacatus, et tranquillus, quia in Deo nihil novum, nihil non aeternum est. Quod proinde de aliis quoque affectibus est dicendum.

Objic. 6.° Qui liber est, potest aliquid de novo velle, tam enim potest aliquid de novo velle, quam id, quod voluit, potuit noluisse. Deus autem est liber quoad omnia, quae sunt extra se: Quoad haec igitur potest aliquid de novo velle: cumque volitio sit quid intrinsecum, intrinsecus quoque mutari posse, est dicendum.

R. dist. maj., quod nempe Ens liberum potest aliquid de novo velle, si sit creatura, homo scilicet, vel Angelus, cum creatura sit ex sese imperfecta, ideoque mutabilis; non vero Deus, qui cum sit infinite perfectus, quod proinde vult, ab aeterno voluit. Nec non posse nolle, quae ab aeterno voluit, ejus libertati quidquam officit; non enim id oritur ex libertatis defectu, sed et quia perfectus est, immutabilis, firmus, ac constans in proposito; et quia,

cum ab aeterno omnia cognoverit, quae facere decrevit, nulla proinde ei suppetit nova ratio, ut quod ab aeterno voluit, deinde nolit. Et sane undenam oritur voluntatis mutatio, nisi vel ex ignorantia futurorum, vel ex levitate, atque inconstantia animi? Cum itaque in Deo nec futurorum ignorantia, nec levitas, atque inconstantia sit, vel esse possit, neque etiam umquam voluntatis suae Decreta mutari posse, consequens est.

Instant. Est de essentia actus liberi, ut possit aeque esse, ac non esse. Quidquid autem Deus extra se operatus est, ac operatur, voluit, ac vult actu libero: Ita ergo voluit, ac vult, ut aeque potuerit, ac possit nonvelle. Cumque actu intrinseco, qualis est volitio, potuerit, ac possit carere, intrinsecus quoque mutari posse, est dicendum.

R. dist. maj., quod nempe est de essentia actus liberi, ut possit aeque esse, et non esse, ita tamen, ut dum de Deo sermo habetur, contingentia essendi, vel non essendi intelligatur quantum ad meram connotationem, et terminationem ad creaturas, quae cum sint finitae, rapere ad se nequeunt, atque invincibiliter determinare voluntatem perfectissimam; non vero quantum ad substantiam, et entitatem Divinam, quidquid enim in Deo est, ab ipso Deo realiter non distinguitur, sed est ipse Deus; ex quo sequitur, quod ita est, ut prorsus nequeat non esse; quod omnem contingentiam excludit. Sed de Dei libertate fusius suo loco.

TRACTATUS VIII.

CAPUT UNICUM.

De aeternitate Dei.

Est haec *illa Dei perfectio, qua Deus vi suae essentiae nec initium umquam habuit, nec finem umquam habiturus est.* Haec definitio aeternitatis in concreto. In abstracto autem definitur passim a Theologis cum Boethio l. 5. de Consol. Philos. prosa 6. *Interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio:* qua super re recte advertit Nicolaus L'Herminier, duplici modo intelligi posse, quod aeternitas Dei successionem non habet, sed est tota simul, duplicem namque sensum habere potest, aeternitatem Dei successioni subjacere; 1.° nempe, si dicatur, aeternitatem Dei eo sensu esse successivam, quod Deus totus non sit, et aeque perfectus in quolibet durationis suae momento; quemadmodum vita hominis proprie successiva est, quia alius in infantia, alius in senectute est; et hoc sensu impium profecto, atque haereticum esset asserere, aeternitatem Dei esse successivam, cum Deus semper idem sit sine ulla mutatione, nihil umquam perfectionis acquirens, aut deperdens, vel novi aliquid, quodque aeternum non sit, in se admittens. 2.° si dicatur, quod aeternitas Dei solum, prout duratio est, infinitis constat instantibus, quorum unum alteri succedit, tametsi Deus in quolibet instanti idem semper maneat: et hoc sensu, licet laudatus L'Herminier non renuat eam successivam dicere, repugnant tamen fere omnes Theologi, a quibus Dei aeternitas etiam sub tali respectu absque ulla divisione, ac successione praedicatur. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Deus nec initium umquam habuit, nec finem umquam habiturus est. Est de fide.

Prob. I. ex Script., ut ex Deut. 32. *Vivo Ego in aeternum.* Ex Ps. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur Terra, et Orbis, a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus.* Ex Dan. 6. *Ipse est Deus vivens aeternus in saecula.* Ex 1. ad Tim. 6. *Solus habet immortalitatem.*

2.° Ex Patribus infra opportunius laudandis.

3.° Ex ratione; est enim Deus Ens rationem suae existentiae, non in alio habens, sed in sui ipsius essentia; ex quo sequitur, Eum ita existere, ut non possit non existere, quemadmodum enim non semel diximus, praedicatum Enti conveniens ratione essentiae, ut rotunditas circulo, rationalitas homini, etc., ita ei convenit, ut ipsi nequeat non convenire. Quod cum ita sit, nec umquam existentiae principium habuisse, nec umquam existentiae finem habiturum esse, consequens est: Ergo.

Prop. II. Aeternitas Dei, etiam prout est duratio, absque ulla divisione, ac successione praedicanda est. Ita communis sententia.

Prob. Et. 1.° ex Patribus, quorum dici potest communis dicendi ratio. Ità enim Tertullianus l. contra Hermogenem c. 4. *Quis alius Dei census, quam aeternitas? Quis alius aeternitatis status, quam semper fuisse, et futurum esse, ex prerogativa nullius initii, et nullius finis?* Ex l. 1. contra Marcionem c. 8. *Non habet tempus aeternitas, omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret aetate, quod non licet nasci. Deus, si est vetus, non erit; si est novus, non fuit.*

D. Greg. Naz. or. 38. *Deus et erat semper, et est, et erit: vel, ut rectius loquar, semper est. Nam erat, et erit, nostri temporis, fluxaeque naturae segmenta sunt. Ille autem semper est, universum enim id, quod est, in se complectitur.*

D. Hilar. l. 3. de Trin. *Demutabilis Deus non est neque in aeternitatem cadit vitium, aut emendatio, aut profectus, aut damnum; sed quod est, semper est.*

D. Aug. l. 11. conf. c. 13. *Praecedis omnia praeterita celsitudine semper praesentis aeternitatis, et superas omnia futura, quia illa futura sunt, et cum venerint, praeterita erunt; Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Anni tui nec eunt, nec veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant.* Et lib. cont. Maximin. c. 12. *Quod incommutabile est, aeternum est, quod enim mutatur, non manet; quod non manet, non est aeternum. Idque inter immortale, et aeternum interest, quod omne aeternum immortale est, non omne immortale satis subtiliter aeternum dicitur, quia etsi semper aliquid vivat, tamen si mutabilitatem patiatur, non proprie aeternum appellatur, quia non semper ejusmodi est.*

D. Anselmus in Prosologio.: *Nec tu habes partes, nec tua aeternitas . . . Sed. ubique totus ès, aeternitas tua tota est semper.* Ac ita fere omnes caeteri.

2.° Ratione; est enim aeternitas Dei Attributum. Haec autem unum, idemque realiter sunt cum Dei Essentia: Sicut ergo haec absque ulla divisione, ac successione est, ita et ejus aeternitas. Sive, ut idem diversimode dicamus, aeternitas Dei realiter, et entitative sumpta, idest Deus ipse durans, et vivens in aeternum totus est simul, nec alius est in uno instanti, et alius in altero. Quare et Laur. Berti explicans definitionem, quam Boethius de aeternitate tradidit: *Interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio*, ita pergit: *Idest duratio permanens, et expers successionis in substantia spirituali, ac vivente.* Fuit autem Gilberti Porretani error, ut diximus tract. 3. pag. 38., realiter distinguere in Divinis concretum ab abstractis, ut Deum ab ejus Omnipotentia, Deum ab ejus Sapientia, etc.: Si igitur Dei aeternitas realiter, et entitative sumpta, idest Deus ipse durans, et vivens in aeternum totus est simul, nec alius est in uno instanti, et alius in altero, idem quoque de ejus aeternitate est dicendum, quae proinde absque ulla divisione, ac successione praedicanda est.

Nec facessit, quod Herminerius opponit: 1.° scilicet, quod duratio, prout duratio est, ita essentialiter, et in suo conceptu formali coalescit ex variis instantibus, quorum unum alteri succedit, ut qui hanc durationis notionem tollere voluerit, omnia vel certissima pervertat, necesse est: ex quo infert, vel dicendum, aeternitatem Dei non esse durationem, vel durationem illam non esse totam simul, sed ex diversis instantibus coalescere. 2.° quod si aeternitas Dei esset tota simul hoc sensu, quod ex diversis instantibus non constat, sed est veluti unum momentum, quaevis creatura per unum momentum existens existeret simul cum tota Dei aeternitate, ideoque, perinde ac Deus, esset aeterna. 3.° quod ut aeternitas Dei, prout duratio est, foret tota simul, omnia instantia deberent esse simul in eodem instanti; quod contradictionem implicat. Ita laudatus Auctor.

Sed respondetur, haec omnia infirmitatem tantum nostram probare, qui de aeternitate, nonnisi per ordinem ad tempus, cogitare, ac loqui possumus; nec non, quod aeternitas Dei, licet tota simul formaliter, et in-

trinsece, extrinsece tamen, et connotative d'ci potest successiva; quatenus nempe rerum omnia tempora, quae successiva sunt, ipsi correspondent; quo etiam sensu de Deo dicitur Apoc. c. 1. *Qui est, et qui erat, et qui venturus est*, extrinsece scilicet, et connotative, ut explicat D. Aug. tract. 99. in Jo., ubi: *Quamvis Natura illa ineffabilis non recipiat fuit, et erit, sed tantum est, ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest; tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, et nostra mobilitas, non mendaciter dicimus fuit, erat, et est. Fuit in praeteritis saeculis; erit in futuris; est in praesentibus. Fuit, quia numquam defuit; erit, quia numquam deerit; est, quia semper est. Neque enim, velut qui jam non sit, cum praeteritis occidit; aut cum praesentibus, velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris, velut qui non fuerit, orietur. Proinde cum secundum volumina temporum locutio humana varietur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujusvis temporis verba.* Id vero praeclare illustrat, quantum fas est, Ludovicus Habert 1. De Deo uno c. 13. in fine exemplo arboris stantis in littore alicujus fluminis: *quemadmodum enim arbor illa, variis partibus fluminis paullatim labentibus, eadem semper manet, nec quidquam acquirit, nisi diversos respectus, seu relationes praesentiae ad diversas fluminis partes, quae successive fluunt ad illius radices; ita creaturae successive correspondent aeternitati Dei, realiterque mutantur; Deus autem semper idem est, immotusque manens, dat cuncta moveri.*

6

TRACTATUS IX.

CAPUT UNICUM.

De Dei Omnipotentia.

Intelligitur per hanc *illa Dei perfectio*, *qua vi suae essentiae potest efficere quidquid non repugnat aut in se, aut respectu ipsius.* Potest enim aliquid vel repugnare absolute, ut ex. gr. praeteritum non esse praeteritum, etc.; vel respectu Dei, ut peccare, mentiri, fallere, etc. Quo posito, sit

Prop. Deus est omnipotens. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex illis Scripturae locis, ubi absolute dicitur, quod potest omnia; ut ex Gen. 18. *Numquid Deo est quidquam difficile?* Ex Job. 42. *Scio, quia omnia potes.* Ex Eccl. 1. *Unus est Altissimus Creator omnipotens.* Ex Jer. 32. *Non erit tibi difficile omne verbum.* Ex Matth. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Ex Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Item ex illis Scripturae locis, ubi dicitur posse etiam alia, quae non fecit, iisque perfectiora, quae fecit; ut Sap. 11., ubi: *Non impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes, etc.*. Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Et c. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Porro neque immisit Deus in Aegyptios multitudinem ursorum, aut leonum, neque Angelorum legiones in Christi defensionem adscivit. Apostolus vero ad Eph. 3. ait, quod *potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Et igitur perfectiora.

2.° Ex PP., pro quibus sufficiat unus Aug. ser. 139, de Temp.: *Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judaeum; sed da mihi Paganum, idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest; negare omnipotentem Deum non potest.*

3.° Ex ratione ; 1.° enim Deus est Ens perfectissimum, et infinitum, ex alibi ostensis tract. 1. pag. 12., nec non tr. 2. c. unic. Hujusmodi autem non esset, si quod nec in se, nec respectu ipsius repugnat, efficere non posset: Ergo: Cui accedit, quod ex ostensis quoque tr. 1. ipse est Universi opifex ex nihilo. Ad efficiendum autem aliquid ex nihilo requiritur potentia infinita; cum enim, ut diximus tract. 2. pag. 30. nullum possibile aut aliquid conducere, aut repugnare sui effectioni possit, quippe quod aeque omnia sunt indifferentia, ut producantur, vel non producantur, hinc potentia aliquid efficiendi ex nihilo omnibus possibilibus, quae sunt numero infinita, ex nihilo efficiendis sufficit: Infinita igitur potentia pollet, ideoque omnipotens.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° ex illis Christi verbis: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* 26.). Ait autem ipse Christus Jo. 14. *Pater, sciebam, quia semper me audis*; nec tamen ab eo transiit Passionis calix: Erat igitur id impossibile. Cumque impossibile dicendum non sit, nisi quia Pater pro humani generis Redemptione ejus mortem decreverat, impossibile idcirco dicendum est, quod Deus facere non decrevit, ideoque Deum non posse, nisi quod decrevit facere.

R. dist. cons.; impossibile scilicet hypothetice ob Divinam immutabilitatem; quia nonnisi per ejus mortem decretum ab aeterno fuerat, homines fore Deo reconciliandos; non vero absolute, idest ex virium defectu; quare ait Christus: *An non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* (Matth. 26). Et Marci 14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt*; ex quo sequitur, quod in ejus voluntate positum erat, Christum a morte eximere; a qua tamen illum non exemit ob decretum humanae Redemptionis per ipsius mortem.

Objic. 2. Deus non potest quod repugnat vel in se, vel respectu ipsius. Potentia autem, quae exceptionem patitur, non est omnipotentia: Non omnipotens igitur.

R. dist. min.; quod scilicet potentia, quae exceptionem patitur ex defectu virium, non est omnipotentia;

non vero potentia, quae exceptionem patitur ex defectu possibilitatis, vel quia Dei perfectionibus repugnat. Porro quod repugnat in se, Deus non potest ex defectu possibilitatis; quam ab eo non dependere, sed esse cuivis rei insitam, tantum abest, ut ejus omnipotentiae sit adversum, quin potius, oppositum, ut ostendimus, ubi de ipsius immensitate pag. 62., ejus omnipotentiam destrueret. Quod vero repugnat respectu sui ipsius, non potest, quia pugnat cum notione Entis perfectissimi, quae ei convenit, ideoque si posset, esset simul, et non esset Deus; esset nempe ex suppositione; revera autem non esset Deus, quia non Ens perfectissimum. Hinc. D. Aug. ser. 109. de temp.: *Non potest Deus mori, nec potest peccare non potest mentiri, non potest falli; tanta non potest quia si posset, non esset Omnipotens.*

Objic. 3° Nihil potest Deus de novo velle, quia esset mutationi obnoxius. Si autem nihil potest de novo velle, nec etiam potest alia, nisi quae reipsa voluit. Non igitur potest alia, nisi quae reipsa voluit, ideoque non est omnipotens.

R. neg. sequ. min.; si enim nec posset, nec potuisset alia velle, nisi quae reipsa voluit, in hoc casu verum esset, quod alia non posset, nisi quae reipsa voluit. Porro Deus aliud quidem non potest, nisi quae reipsa voluit, nec aliud de novo velle, quia immutabilis; sed alia velle potuisset praeter ea, quae reipsa voluit, ideoque immutabilis simul, et omnipotens.

Objic. 4° Omnia in Deo sunt in actu, ex dictis de ejus immutabilitate, si enim Deus e potentia transiret in actum, non esset immutabilis. Hinc autem sequitur, relate ad Deum nihil esse possibile, possibile enim non est in actu: Nihil igitur relate ad Deum est possibile. Cumque idem dictu sit, relate ad Deum nihil esse possibile, ac Deum nihil efficere posse praeter jam facta, ipsum proinde nihil praeter jam facta efficere posse, ideoque Omnipotentem non esse, consequens est.

R. dist. maj.; quod nempe omnia in eo sunt in actu hoc sensu, quod nihil in eo sit in potentia, quod aliquando venturum sit in actum, quia immutabilis; non vero hoc sensu, quod nihil possit, nisi quod actu efficit; ad id enim necesse esset, quod Deus, ut supra diximus, nec possit, nec potuerit alia velle, nisi quae reipsa voluit, quod falsum est; et alia enim velle po-

tuisse, manifeste ostendit tum notio Entis perfectissimi, et infiniti, quae ei convenit, tum ipsa vis creatrix, qua Mundum condidit, quae cum sit infinita, aliis quoque rebus sine fine efficiendis par erat.

Objic. 5.° Potentia, et voluntas Divina sunt unum, idemque. Si autem unum, idemque, ad ea solum dicendum est, quod se extendit Dei potentia, quae ipse vult, non ad alia: Non ergo omnipotens.

R. dist. maj., quod nempe unum, idemque sint realiter, non vero formaliter; Dei namque potentia habet pro objecto omnia possibilia, ejus vero voluntas tantum definita, et volita. Id porro sufficit, ut potentia Divina se extendat non solum ad definita, et volita, sed et ad caetera possibilia, cum aeque omnia sint illius objecta.

Objic. 6.° Potentiae infinitae terminus quoque, sive effectus infinitus assignari debet. Nullus autem hujusmodi terminus illi assignari potest, cum praeter Deum nihil aliud sit, ac esse possit infinitum: Non igitur ejus potentia infinita.

R. dist. maj.; quod nempe potentiae infinitae terminus quoque infinitus assignari debet hoc sensu, quod numquam tot producit creaturas, quin plures semper, ac plures producere possit; numquam enim ejus potentia, utpote infinita, exhauriri potest; non vero hoc sensu, quod terminus creationis debeat esse infinitus, non enim praeter eum aliud Ens infinitum vel datur, vel dari potest.

Objic. 7.° Deus non potest facere, nisi ea, quae praevidit; nam si posset facere, quae non praevidit, posset quoque aliquid ab ejus praescientia subtrahi. Praevidit autem ea sola, quae facit: Ea sola ergo, quae facit, haec potest.

R. dist. maj.; quod nempe ea sola potest potentia ordinaria, qua non facit, nisi ea sola, quae praeordinavit, ut faceret, et praevidit facturum; non vero absoluta, qua potest quidquid non repugnat. Quare ex praescientia infertur quidem, ea non esse futura, quae non fuerunt preevisa, minime vero non esse possibilia, nam poterat Deus alia quoque praeordinare, et praescire.

Objic. 8.° Agens perfectissimum debet semper id, quod perfectius est, operari; nec ulla proferri potest ratio, cur, omisso perfectiori, minus perfectum produ-

ceret. Est autem Deus Agens perfectissimum: Non igitur, nisi id, quod perfectius est, operari potest, non autem caetera etiam, quae non repugnant.

R. neg. maj.; ut enim sit perfectissimum Agens, sufficit, quod agat modo perfectissimo, et ad finem, quem sibi proponit, aptissimo, et maxime idoneo: qui cum sit, nec alius esse possit, nisi ipsius manifestatio, quia agere nequit, nisi ob finem ipso dignum, nec aliud esse potest Deo dignum, nisi Deus ipse; hinc non tantum, quae magna sunt, sed minima quoque opera objectum esse possunt ejus Omnipotentiae, quippe quod et haec ad manifestationem ejus perfectionum possunt conferre.

Instant. Artifices humani eo peritiores existimantur, quo perfectiora edunt artis suae opera. Est Deus Artifex perfectissimus: Et perfectissima igitur ejus opera, cujusmodi plane non sunt minima; quae proinde non potest.

R. neg. cons.; lata enim adest disparitas Deum inter, humanosque artifices. Hi quidem eo perfectiores existimantur, quo perfectiora edunt artis suae opera, quia omnis eorum perfectio, qua Artifices, ex perfectione operum, circa quae versantur, arguitur. Non ita tamen infinita virtus Divina, quae in creatis rebus, non tam ex eorum substantia, quae finita est, et in comparatione Auctoris sui, tamquam nihilum, elucescit, sed ex earum productione ex nihilo, ideoque ex modo, et ratione producendi. Hinc cum aeque omnia produxerit; absque eo quod vel materia, vel temporis intervallo, vel causarum aliarum subsidio opus habuerit, ait proinde D. Aug. l. 11. de Civ. c. 22. *Deus ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis.*

TRACTATUS XI.

De visibilitate Dei.

CAP. I.

De possibilitate, ac veritate visionis Dei.

Non parum super Dei visibilitate est immorandum, agendum namque est 1. de ejus possibilitate, ac veritate. Deinde vero tempus, objectum, modus, medium, ac inaequalitas visionis Dei beatificae pleraque etiam pertractanda subministrabunt, eaque non minus scitu necessaria, quam obvoluta, et implexa. Et 1. in hoc capite de possibilitate, ac veritate visionis Dei agendum suscipimus.

Quamvis visionis nomen actionem oculorum, qua conspiciuntur corpora, passim significet; non raro tamen ad mentis quoque cognitionem refertur; et mente enim res videri dicuntur. Utroque autem modo, et per oculos scilicet, et per intellectum, potest aliquid videri vel *abstractive*, idest *per aliud, seu intermediam speciem*; *vel intuitive*, idest *per se, et per propriam speciem*. Quibus praejactis, nullatenus in quaestionem vocatur, num Deus videri possit visione abstractiva; nullatenus enim dubitari potest, quod a nobis cognoscitur per creaturas; quodque, ut ait Ap. ad Rom. 1., *per ea, quae facta sunt, intellecta conspicitur sempiterna ejus virtus, et Divinitas*: sed quaestio agitur de visione intuitiva, hac enim ratione posse a nobis Deum videri, negarunt nonnulli, ajentes, teste D. Greg. M. l. 18. Mor. c. 28., Deum in Coelo *in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri*; non intelligentes, quod *illi simplici, et incommutabili essentiae non est aliud claritas, aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est.* Eumdem errorem tenuerunt quoque Armeni; eidemque adhaesit Abailardus, Arnaldus Brixiensis, et Almaricus. Oppositum tamen fides docet: cumque Scripturae modo Deum praedicent invisibilem; modo visibilem; sub quo respectu idcirco sit invisibilis, et sub quo visibilis, sequentes propositiones declarent.

Prop. I. Invisibilis Deus est oculis corporis. Ita communiter.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ait namque Ap. 1. ad Tim c. 1. *Regi saeculorum immortali, et invisibili.* Et c. 6 *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Nequit autem intelligi, quod sit invisibilis per mentem, dicitur enim 1. Jo c. 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est:* Invisibilis ergo per oculos corporis dicendus est.

2.° Ex PP. relatis ubi de Dei simplicitate; quibus hic addimus D. Cyrill Jeros. cath. 9, ubi: *Carneis quidem oculis cerni Deus non potest, nam incorporeum sub corporeis oculis cadere nequit, etc.* D. Aug. ep. ad Italicam n. 3. *Omne, quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit, necesse est, nec ubique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, et majore majorem. Non ita autem est Deus.* Et ep. 148. n. 2, *Istius corporis oculos dixi, non visuros Deum, hoc intuens, quod istius corporis oculi omnino non possunt cernere, nisi corpora, quae ab eis aliquo loci intervallo separata sunt; nam si nullum intervallum sit, nec ipsa corpora per eos videmus.*

3.° Multiplici ratione ex relatis Patrum textibus ducta: 1.° enim visio per oculos corporis non fit, nisi per imaginem in retina depictam, ideoque objectum corporeum necessario postulat. Deus autem nequit sui imaginem in retina pingere, cum sit expers corporis, et Ens simplicissimum: Ergo. 2.° visio per oculos corporis, cum non fiat, ut diximus, nisi per imaginem in retina depictam, postulat quoque, ut objectum sit finitum. Deus autem est Ens infinitum: Ergo. 3.° visio per oculos corporis attingere nequit, nisi objecta, quae fuerint aliquo intervallo dissita, non vero, quae sint intime praesentia. Hujusmodi autem est Deus ob suam immensitatem. Ergo.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Quod ait Jacob Gen. 32. *Vidi Deum facie ad faciem*; quod et legitur de Moyse Ex. 33. Job quoque ait c. 10. *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.* Et c. 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Ait denique Ap. 1. ad Cor. 13., quod in Coelo *Deum vi-*

debimus facie ad faciem. Est ergo per ipsos oculos corporis visibilis.

R. neg. cons. Et quoad 1.m , non videtur utique negandum, Deum ipsum in veteri Testamento priscis illis Patriarchis apparuisse : siquidem , purum fuisse Angelum , qui illis apparuit , obstat 1.° et pactum ab eo initum cum populo Jsrael, quem et ait eligere in populum sibi peculiarem ex cunctis terrae gentibus ; et praeceptum ipsum solum adorandi, nec, nisi ipsi soli, serviendi ; et quod interrogatus Ex. 3., quodnam nomen ejus esset , *Ego sum* (respondit) , *qui sum* ; et quod dixisse legitur Ex. 20 *Ego sum Deus Abraham* , *Deus Jsaac* , *et Deus Jacob.* Quae verba non Angelum , sed Deum ipsum protulisse , diserte ipse Christus testatur Matth. 22. Quare , ut subdit Habertus Theol. t. 1. tract. De Deo trino cap. 3. , *merito Patres Ariminenses dixerunt anathema iis , qui illud ipsum negaverint.* Nec facessit, quod dicatur Actuum 7. , legem datam fuisse per Angelos ; et ad Heb. 2., sermonem legis factum esse per Angelos ; hoc enim dicitur, quia Deus daturus legem , choris Angelicis stipatus apparuit ; ut habetur Deut. 33. Obstat 2.° quod legitur Num. 21., Hebraeos nempe tentasse Dominum , qui eos eduxerat de Aegypto, eamque ob rem misisse Dominum in populum ignitos Serpentes. Subdit autem Apostolus 1. ad Cor. 10, eos tentasse Christum ; ex quo sequitur , quod Christus erat Angelus , qui Moysi apparuit , ut eos educeret de Aegypto , et de quo Deus Pater dixerat Ex. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum , qui praecedat te , et custodiat in via* ; cumque Angelus interpretetur *Nuncius* , dictum fuisse Angelum , quasi missum a Patre ; ob quam forte rationem taliter quoque appellatur , ubi dicitur *Magni consilii Angelus.* Obstat demum aliorum Patrum auctoritas ; ita enim D. Justinus *Dial. cum Tryphone* , D. Irenaeus *l.* 4. *passim* ; Clemens Alex. *l.* 1. *Paedagogi c.* 7. , Tertull. *contra Praxeam c.* 14 , *et l.* 2. *cont. Marcion. c.* 23. , Origenes *cont. Celsum l.* 3. , *et* 6. , Synod. Antioch. *in ep. Synodica adversus Paulum Samosatenum*, D. Athan. *or.* 4. *cont. Arianos* , D. Hilarius *l.* 4. , *et* 12. *de Trinit.*, D. Basilius *l.* 2. *cont. Eunomium* D., Greg. Nazianz. *orat.* 49., aliique, asserentes, ipsum Verbum Divinum apparuisse Patriarchis. Caeterum, si non videtur negandum , Deum ipsum in veteri Testamento priscis illis Patriarchis

apparuisse, habendum quoque procul dubio est, iis apparuisse *in ea specie* (ut ait D. Aug. ep. 147.), *quam voluntas elegit, non natura formavit, vel per mentem divinitus raptum in Angelicam vitam.* Dum vero dicitur, quod Deus est invisibilis oculis corporis, his intelligitur cerni non posse in propria natura, non autem speciem visibilem assumendo.

Job vero verba relata idem S. D. explicans, observat l. 22. de Civ. Dei c. 29., dixisse Job: *Videbo Deum in carne*, non *per carnem*; quia nempe, resumpto corpore, Deum sperabat visurum, non per carnem, sed per mentem. *Quod si dixisset per carnem meam* (pergit S. D.), *posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur.* Quoad aliud vero ejusdem testimonium c. 42., non loquebatur S. Vir de visione substantiae Divinae, sed de effectibus providentiae Dei, quos ipse adeo expertus fuerat, ut eos quasi ad oculum viderat.

Demum Ap. verba, quod in Coelo *videbimus Deum facie ad faciem* exponenda esse de visione per mentem, ex eo patet, quod, ut disserit idem Aug. ep. 92., *si corporalem faciem voluerimus accipere, consequens erit, ut etiam Deus talem habeat faciem.*

Objic. 2.° laud. Augustinus, qui docet quidem, Deum videri non posse oculis corporis, quales nunc habentur, non tamen iis, quales electi in futura Resurrectione habebunt. Ita in ep. 92. et 147.

R., quod id S. D. dixit anceps, et valde dubius; utque ait in cit. ep. 147., *cum pace dilectionis audire paratus, et in commune conferre*; atque, ut D. Th. ejus mentem explicat, non quidem per se, et immediate, sed mediate, et in ejus effectibus, quemadmodum in hoc statu videmus vitam viventium, hoc enim ipse utitur exemplo, quam profecto non videmus per se, et immediate, sed solum in effectibus. Ideam autem oculorum spiritualium, quos electi in futura Resurrectione habebunt, ideam esse, quae secum pugnat, nemo est, qui non videat; potestne enim ullum Corpus in spirituale converti, salva ejus essentia?

Objic. 3.° Potest Deus quamlibet creaturam assumere ad effectus, cum quibus nullam proportionem habet, ut aquam in Baptismo ad producendam gratiam, ignem apud inferos ad torquendos spiritus, etc. Ergo et oculos corporeos ad ipsum videndum.

R. neg. cons., non enim potest Deus quod in se repugnat. Porro non repugnat, quod Deus creaturas quaslibet adhibeat, tamquam instrumenta, ad producendos vi ejus Omnipotentiae effectus, cum quibus nullam proportionem habeant; repugnat tamen, quod Ens simplicissimum, quale ipse est, imaginem sui in oculi retina depingat.

Prop. II. Invisibilis est quoque Deus ab intellectu creato per solas naturae vires. Est de fide contra haereticos Beguardos, et Beguinas.

Prob. Et 1.° ex locis Scripturae supra relatis, quibus Deus *invisibilis* dicitur, ut 1. ad Tim. 1.; quódque eum *nullus hominum vidit*, *sed nec videre potest.* Iis autem non excluditur futura Dei visio per gratiam, dicitur namque 1. Jo. c. 3., *quoniam*, *cum apparuerit*, *similes ei erimus*, *quoniam videbimus eum*, *sicuti est*: Excluditur ergo ejus visio tam per oculos corporis, quam per mentem solis naturae viribus. Nec non ex iis locis, quibus Dei visio dicitur Dei donum, et gratiae finalis effectus; ut Ps. 83., ubi: *Gratiam*, *et gloriam dabit Dominus.* Et ad Rom. 6. *Gratia Dei vita aeterna.* Idem autem dictu, quod futura sit Dei donum, et gratiae finalis effectus, ac non posse solis naturae viribus obtineri: Ergo.

2.° Ex Concilio Viennensi sub Clem. V., ubi anathemate perculsus fuit error Beguardorum, et Beguinarum ajentium, quod *quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata; et anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum.*

3.° Ex PP.; ut Orig., qui l. 1. Periarchon c. 1. *Mens* (inquit) *nostra ipsum per se Deum*, *sicuti est*, *non potest intueri.* D Epiph haer. 70. *Deum quidem videri*, *praesertim ab humana natura*, *non posse*, *fatemur.* D. Ambr. comm. in Luc. c. 1. *In potestate nostra non est Deum videre, sed in potestate illius est apparere.*

4.° Ex ratione; 1.° enim quod Dei visio sit aliquid supernaturale, et fides docet, et patet quoque ex eo, quod, etsi Deus ob suam immensitatem sit semper intime praesens nostro intellectui, tamen videtur ne umquam? Ad id autem, quod est supernaturale, solis naturae viribus perveniri posse, et fides, et ratio aversatur: Solis ergo naturae viribus ad illam perveniri non posse, consequens est.

2.º Nihil boni, quod ad vitam aeternam quidquam conducat, a nobis fieri posse sine speciali gratiae auxilio, docet fides contra Pelagianos. Quod cum ita sit, neque etiam ipsam vitam aeternam, quam intuitiva Dei visio constituit, dicendum est, nos assequi posse absque speciali Dei auxilio; secus namque finis, et media non essent in eodem ordine, sed finis in inferiori ordine poneretur, et media in superiori; quod plane repugnat: Eam igitur absque speciali Dei auxilio assequi nos posse, fides proscribit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Quaelibet facultas naturaliter, et sibi relicta attingere potest sui ipsius objectum; ut visus colores, auditus sonum, etc. Est autem Deus intuitive videndus ex numero objectorum intellectus creati, tum quia omne intelligibile est intellectus objectum; tum quia secus nec etiam per gratiam posset elevari ad illum intuitive videndum, quippe quod nulla facultas elevari potest ad id, quod non continetur intra limites sui objecti, unde nec Divinitus visus potest percipere sonum, nec auditus colores: Naturaliter ergo, et sibi relictus potest intellectus creatus Deum intuitive videre.

R. dist. maj.; quod nempe id potest naturaliter, et sibi relicta, si objectum non sit ordinis superioris, non vero, si sit superioris ordinis; nam est quidem objectum alicujus facultatis, quod ab ea attingi potest; sed potest illud attingi propriis viribus, si sit ejusdem ordinis, non vero si sit ordinis superioris; in quo casu superiori, idest supernaturali, egere etiam debet auxilio. Hac porro ratione Deus intuitive videndus est intellectus creati objectum, ut et docet fides ex dictis, et ex eo patet, quod secus mens nostra semper eum videret, quemadmodum nempe semper illi est praesens. Addit Laur. Berti, quod quaelibet facultas naturaliter proprium objectum attingit, si istud naturaliter illam allicit, excitat, movet; non vero si objectum libere, et pro suo beneplacito illam alliciat, excitet, moveat. Hujusmodi autem est Deus respectu intellectus creati; etsi enim ubique praesens, non ubique tamen excitat, movetque specialiter intellectum, qui est veluti oculus spiritualis substantiae; et ubicumque illum excitat, id facit pro

suo lubitu, quoniam ad extra omnia libere operatur: unde praesens est damnatis, et daemonibus, nec tamen videtur, praesens Angelis, et Animabus Sanctorum, et videtur; quoniam horum quidem in Coelis, non illorum in Inferno degentium movet, et excitat spiritualem oculum, idest mentem, atque intellectum. Quare nec etiam, ut Auctorem Naturae, possumus eum intuitive videre; quia nempe, ut manifestetur facie ad faciem, absolute pendet a liberalissimo ipsius beneplacito. Hinc ait D. Irenaeus l. 4. c. 37. *Homines videbunt Deum, et vivent per visionem, immortales facti, et pertingentes usque ad Deum. Ille autem volens videtur ab hominibus, a quibus vult, quando vult, et quemadmodum vult.*

Objic, 2.° Quod naturaliter appetimus, naturaliter quoque consequi possumus. Naturaliter autem nostram beatitudinem appetimus; eaque sita est in intuitiva Dei visione: Naturaliter ergo hanc consequi possumus.

R. 1.° neg. maj.; appetimus namque perfectam beatitudinem; quam supernaturalibus tantum suffulti auxiliis consequi valemus. 2.° dist. min.; quod nempe naturaliter appetimus beatitudinem quamdam naturalem, non vero supernaturalem. Hujusmodi autem esse intuitivam Dei visionem, ex dictis patet: Non ergo eam naturaliter appetimus. In qua demum sitam esse perfectam nostram beatitudinem, cognoscimus quidem etiam supernaturaliter, idest ex fide; naturaliter tamen nec in ea sitam esse, nec ad eam nos esse ordinatos, nec vel ea frui posse, cognoscimus: ex quo factum, ut advertit D. Aug. l. 13. de Trin. c. 4., quod *cum capessendae, atque retinendae beatitudinis voluntas una sit omnium, ab aliis tamen putaretur sita in virtute animi, aliis in corporis voluptate, aliis in utraque, et aliis, atque aliis alibi, atque alibi.*

Objic. 3.° quod scribit D. Aug. l. 4. de Civ. Dei c. 27., solum peccatum in causa esse, cur Deum non videamus. Hoc igitur sublato, naturaliter illum videbimus.

R. dist. ant. quod nempe solum est causa *moralis*, cur Deum non videamus, quia per illud privamur gratia sanctificante, qua efficimur filii, et haeredes, et qua tantum praeditis visio Dei promittitur illis verbis ap. Jo. 14. *Qui diligit me, manifestabo ei meipsum*: non vero *physica*, quae est ipsamet impotentia naturalis.

Prop. III. Invisibilis quoque est Deus ab intellectu creato per ipsum lumen gloriae *adaequate* ; adeo nempe, ut perfecte comprehendatur. Est de fide contra haereticos Anomaeos, quorum duces Aetius, et Eunomius.

Prob. Et 1.° ex Scripturis ; ut ex Iob. 11. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Et Eccl. 35. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Et Jer. 32. *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu.* Ex ad Rom. 11. *Incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus.* Et 1. ad Tim 6. *Lucem inhabitat inaccessibilem.*

2.° Ex Conc. Lat. IV. c. *Firmiter*, ubi : *Credimus, quod unus solus sit Deus, aeternus, immensus, incomprehensibilis.*

3.° Ex D. Epiphaer. 70., cui caeteri omnes PP. concinunt, ut D. Chrysost. *hom.* 14. *in Jo.* ; D. Greg. Naz. *or.* 34. ; D. Cyr. Jeros. *cat.* 6. ; D. Ambr. in Luc. *l.* 1. *n.* 25. ; ac demum D. Aug. ep. 147., qui etiam errorem Eunomii, et Aetii blasphemantium, perfecte se Deum comprehendere, non modo ut dementiam, sed ut haeresim proscripsit haer. 70., ubi et docet, *Deum infinitum videri a Beatis, sed quomodo capere natura potest. Veluti si quis per angustum foramen Coelum aspiciat, et dicat, video Coelum, non utique mentitur, videt enim revera Coelum. Quod si quis ei dicat, Non vidisti Coelum, neque iste mentietur ; tam enim, qui ait vidisse non mentietur, quam qui ei dicit, non ipsum vidisse, vera loquitur, quippe non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem.* Qua super re addit quoque S. D. ser. 97. de Verbis Dom. : *Si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiae magis, quam temeraria professio scientiae. Attingere aliquantulum mente Deum magna beatitudo est ; comprehendere autem omnino impossibile.*

4.° Ex ratione ; 1.° enim quemadmodum res corporea dicitur comprehendi, quando tota intra magnitudinem capientis clauditur, ut globus ex. gr., quando totus intra manus capacitatem clauditur ; ita a corporalibus ad spiritualia translato vocabulo, comprehensio alicujus rei dicitur *adeo perfecta ejus cognitio, ut nihil ejus lateat.* Quamvis autem intellectus creatus elevetur per gratiam ad Deum intuitive videndum, ejusque Attributa, et Personas, haec tamen omnia, quia magnitu-

dinis ejus non est finis, nec videt, nec videre potest secundum omnem suam amplitudinem, et secundum omnes suos gradus; quem loquendi modum, etsi nec Tournelius, nec Bertius approbent, tamquam cum Dei simplicitate parum cohaerentem, approbant tamen, et Victoria, et Herminier. et Antoine; siquidem familiare est TT. quodlibet Dei attributum infinitum dicere in suo genere; quod commodius explicari nequit, quam si in illis admittantur infiniti gradus intensionis. Quamvis ergo intellectus creatus elevetur per gratiam ad Deum intuitive videndum, ejusque Attributa, et Personas, haec tamen omnia comprehensive nec videt, nec potest videre.

2.° Quia actus infiniti incapax est creatura quaelibet. Visio autem Dei comprehensiva esset actus infinitus, intellectio scilicet, quae Ens infinitum adaequaret: Visionis ergo ejusmodi incapax creatura quaelibet dicenda est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Ex Ap., qui 1. ad Cor. 13., *nunc* (ait) *cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* A Deo autem cognoscimur cognitione comprehensiva: Et hac igitur nobis paratum est Deum cognoscere.

R. neg. cons.; 1.° enim non ait Apostolus, *sicut a Deo cognitus sum*, sed *sicut et cognitus sum.* Quod si illud *sicut* ad Deum referre quis velit, ad rigorem tamen litterae accipiendum non esse, ostendit et contextus, in quo Ap. usurpat faciei vocabulum, quod ad rigorem litterae accipiendum non esse, nemo est, qui non videat, habetne enim faciem Deus? Et quod idem ait 1. ad Tim. 6., quod Deus *lucem inhabitat inaccessibilem*; et ad Rom. 11., quod *incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus:* ac demum, quia illud *sicut* ad rigorem litterae acceptum manifeste repugnat. Quare accipiendum non est, nisi cum quadam proportione, ac quatenus visio Dei in altera vita non erit qualis in hac vita *per speculum, et in enigmate*, idest mediate per creaturas, sed in se, et immediate.

Objic. 2.° Beati totum Deum vident, ita ut nihil

eos lateat, nequit enim Ens simplicissimum, et carens partibus in se, et dilucide conspici, quin totum videatur. Videre autem objectum, ita ut nihil lateat videntem, est illud comprehendere: Beati ergo Deum comprehendunt.

R. neg. maj., ac distinguendo rationem allatam, quod nempe nequit Ens simplicissimum, et carens partibus in se, et dilucide conspici, quin totum videatur, at non simul totaliter, utique; non vero, quin videatur totum simul, et totaliter. Quod, ut Petavius explicet, *eorum* (inquit l. 7. Theol. dogm. c. 3.), *quae inesse Deo cogitantur, quaedam per se, et proprie, idest formaliter, in ejus Natura continentur; alia non per se, sed vi sola, et efficientia, quateuus produci ab illo ista possunt. Atque hoc in Solis exemplo manifestum est. Hic enim uniusmodi forma, et qualitate praeditus est luce, et splendore, quam proinde formaliter habet in sese; calorem vero, et siccitatem, qualitatesque caeteras in sola virtute, ac potestate continet, hoc est effecta omnia, quorum causa est, et origo. Non enim exempli causa aurum est, aut lapis, quod in auri fodinis, ac lapidicinis illius vi, et efficacia corpora ista formantur. Quamobrem, qui Solem ipsum plene, et perfecte vel oculis videt, vel mente percipit, totum quidem intuetur, et substantiam ejus omnem intelligendo capit, ac quidquid est in eo, quo substantia ipsa formatur, ut formaliter inesse dicatur. Non omnia tamen necesse est distincte ab illo cognosci, quae vi ejus, et efficientia proferentur. Quod si assequi potuerit, tunc absolutam illius notitiam, idest comprehensionem erit adeptus. Ita Deum, qui mentis oculo perspicue, sive, ut Scriptura loquitur, facie ad faciem videt, totum id, quod Deus est, distincte cernit, non tamen universa cognoscit, quae infinita vi sua procreare potest.* Ita igitur Petavius; eique adhaeret Laur. Berti in suis Theol. Discipl., scribens, quod Beatos nihil latet earum perfectionum, quae sunt in Deo *formaliter*, non vero earum, quae sunt in Deo *eminenter*.

Cum tamen, ut laud. Petav. advertit c 9. ejusdem libri, *et virtus ipsa Dei, ac voluntas, ejusque proposita, decretaque omnia, et exemplares formae, quas ideas nominant, nihil ab Dei Natura discrepent,*

sed una sint cum ea , simplicissimaque res ; quomodonam quidquid in Deo vel in efficientia , vel eminenter comprehenditur ab eo non conspicietur, qui Dei Naturam intuitive videt ? Aliter proinde nobis videtur , explicandum esse , quomodo Deus , etsi Ens simplicissimum , et carens partibus , possit nihilominus a Beatis videri totus , et non simul totaliter; eoque magis , quia , et D. Greg. M. , et D. Prosper praefatae resolutioni contradicunt: *Qui Creatoris sui claritatem vident* (ait D. Greg.), *nihil in creatura agitur , quod videre non possint* (*hom.* 40.). Et clarius D. Prosper : *Perfecte Beati , non solum omnium creaturarum rationem , sed etiam ipsam sui Creatoris eminentiam facie revelata conspicient* (*l.* 3. *de vita cont. c.* 33).

Ita ergo nos disserimus. Quod nequeat Deus ab intellectu creato solis naturae viribus videri , patet , ut diximus in prop. ant. , tum ex Scripturis ; tum ex eo , quod, licet ob suam immensitatem sit semper intime praesens nostro intellectui , invisibilis tamen ei est : tum demum ex eo , quod omnium , quae operatur ad extra , libere operatur , ex quo sequitur , quod , ut alicui manifestetur facie ad faciem , absolute pendet a liberalissimo ipsius beneplacito. Cum autem ita res se habeat , nonne primum , dum libere se videndum exhibet , poterit omne id abscondere , quod in eo est connotativum , quippe quod juxta naturam connotativorum ab ipso simul, et termino constituitur , hique termini ab ipso realiter distinguuntur? Hinc testatur Ap. ad Eph. c. 3. , plura relate ad Incarnationis mysterium ignorasse Beatos Angelos : immo ex ipsius Christi verbis eruitur , quod omnia libera Dei Decreta citra ipsius Dei revelationem a Beatis ignorantur ; nonne enim Judicii dies liberis Dei Decretis adscribenda ? *De die autem illa* , *et hora* (ait Christus Matt. 24.) *nemo scit* , *neque Angeli Coelorum.* Quod si Judicii dies a Beatis ignoratur , aeque etiam citra Dei revelationem ab iisdem ignorari caetera libera Dei Decreta , consequens est , nulla enim ratio affulget , cur illud non cernant , reliqua vero cernant in intuitiva Dei visione : En igitur 1.° , quod dum Deus libere se videndum exhibet , potest nihilominus quidquid in eo est connotativum abscondere , cujusmodi sunt libera ejus Decreta.

Deinde nonne habent , ut diximus, Divinae perfectiones infinitos gradus , non quidem realiter , cogitationis

tamen vi inter se distinctos? Quod ut confirmemus, immo ob oculos ponamus, nonne considerans de Deo, quod creaverit corpus, perspicio in eo quemdam potentiae gradum; considerans postea, quod creaverit vivens, perspicio in eo superiorem potentiae gradum; sicque considerans deinde, quod creaverit animal irrationale, inde vero, quod creaverit hominem, etc., superiorem semper potentiae gradum in eo perspicio? Quod et dicendum de reliquis perfectionibus Divinis, nemo est, qui non videat. Quae autem cogitatione distinguuntur, intellectionis actum seorsim terminare posse, evidens est: Habitis itaque prae oculis, quod Deus libere se videndum sinit; quod ejus perfectiones infinitos habent gradus cogitatione distinctos; quod ea, quae cogitatione distinguuntur, intellectionis actum seorsim terminare possunt; quod tandem non videatur a Beatis, nisi per intellectum: habitis, inquam, his omnibus prae oculis, manifeste perspicitur, posse Deum plures, vel pauciores ex illis gradibus videndos Beatis exhibere, relinquendo quoad caeteros gradus, quod in confuso tantum eos videant, ita nempe, ut nihil aliud sciant praeter gradus exhibitos de ipsis suis perfectionibus, nisi quod ipse eas habeat sine ullo limite.

Praeterea an unum, idemque cognitio clara, distincta, et adaequata? Anne quia aliqua cognitio est clara, eadem idcirco est quoque distincta, et adaequata? Minime quidem, quippe quod cognitio distincta superaddit clarae, quod singulas objecti notas praecise apprehendat; cognitio vero adaequata superaddit distinctae, quod ipsas notarum notas praecise assequatur. Hinc rudes clare cognoscunt Solem, eum namque ab omni alio sidere discernunt; idque significat cognitio clara, cognitionem nempe, quae objectum ab omni alio discernat: at non cognoscunt distincte, non enim singulas Solis notas praecise adprehendunt, calorem nempe, splendorem, magnitudinem, etc.; ac multo minus adaequate, non enim rudes, quales sunt, caloris, splendoris, magnitudinis, etc. notiones assequuntur. Et Deus igitur non ideo, quia a Beatis clare, seu intuitive videtur, videtur simul distincte, et adaequate, prout ad comprehensionem requiritur.

Atque hic obiter advertendum, quod ex hac postrema ratione resolvitur etiam illa difficultas, quomodo Beati videant omnia Dei attributa, quae tamen cum sint infi-

nita, negandum videretur, quod omnia ab ipsis conspiciantur. Id namque repugnaret, si omnia singillatim, ac praecise conspicerent; quae tamen singillatim, ac praecise nec conspiciunt, nec conspicere possunt, tum quia ab ipso Deo realiter non distinguuntur, tum quia eorum visio eo ipso, quod non est comprehensiva, neque etiam est distincta, ac multo minus adaequata; *comprehendere enim rem aliquam* (ait Petav. l. 7. Theol. Dogm, c. 3. n. 8.) *est totam percipere, et cognitione clara, atque distincta magnitudinem assequi illius, et exaequare. Quam ego notionem comprehensionis esse communissimam, ac verissimam, arbitror.* Diutius immorandum duximus in hujus objectionis solutione, tum quia magni momenti, tum ad explicandam simul inaequalitatem visionis beatificae, de qua infra agendum erit.

Prop. IV. Possibilis est simplex intuitiva Dei visio per intellectum, modo hic speciali ipsius auxilio ad id elevetur; eaque Beatis conceditur, et nobis promittitur. Est quoque de fide; ac nonnisi ex fide ipsa ejus possibilitas poterat a nobis cognosci.

Prob. I. pars; ab actu enim ad posse, ut Scholae inquiunt, valet illatio. Non semel autem Scripturae intuitivae Dei visionis veritatem testantur; ut Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Jo. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Et 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et 1. Jo. 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Et Math. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Coelis est.* Quod et hominibus promittitur c. 22., ubi: *Erunt, sicut Angeli Dei in Coelo.* Et Apoc. 22. *Et videbunt faciem ejus.* Idem definiit Conc. Flor. sess. 26., ubi: *Credimus, illorum animas, qui post Sacrum Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae sunt purgatae, mox in Coelum recipi; et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Idem et docuerunt PP., pro quibus unus hic sufficiat D. Irenaeus l. 4. c. 37. *Homines videbunt Deum, et vivent per visionem, immortales facti, et pertingen-*

tes usque ad Deum . . . Ille autem volens videtur ab hominibus, a quibus vult, quando vult, et quemadmodum vult.

Prob. 2. pars; si enim intuitiva Dei visio per ipsum intellectum est impossibilis solis naturae viribus, dicendum profecto, possibilem quidem esse per intellectum, sed modo hic speciali ipsius auxilio ad id elevetur. Ex demonstratis autem prop. 2. impossibilis est per ipsum intellectum solis naturae viribus: Si ergo possibilis est per intellectum, nonnisi tamen, dum hic speciali Dei auxilio ad id elevetur.

Demum intuitivam Dei visionem Beatis concedi, ac nobis promitti, ex relatis supra testimoniis luculenter patet. Addidimus vero, quod *nonnisi ex fide* ipsa ejus possibilitas poterat a nobis cognosci, quippe quod nec a priori, nec a posteriori demonstrari potest. Non 1.m, quia id fieret vel ex Dei omnipotentia, vel ex activitate intellectus creati. Porro Omnipotentia Dei, ut diximus ubi de ejus immensitate, pag. 62., possibilitatem rerum supponit, non efficit. Activitas vero intellectus creati habere potest pro objecto juxta lumen naturale aliquod etiam naturalis ordinis, prout esset visio Dei abstractiva, non vero aliquod ordinis supernaturalis, qualis est Deus clare, et intuitive videndus: Non igitur intuitivae visionis Dei possibilitas demonstrari potest a priori. Sed neque etiam a posteriori; quia effectus tantum, qui videntur aliquam connexionem habere cum visione Dei intuitiva, sunt naturalis appetitus beatitudinis, ac videndi causam, visis effectibus. Porro beatitudo, quam naturaliter appetimus, est tantum beatitudo ordinis naturalis, quia hanc tantum naturali lumine cognoscimus. Visis autem effectibus, naturaliter appetimus causam videre cognitione abstractiva, non vero intuitiva. Quibus perpensis, patet, quod possibilitas visionis Dei intuitivae ex fide quidem constat, nec a priori tamen, nec a posteriori demonstrari potest.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. contra 1. part. Et 1. ex Script., quod Deus, ut dicitur 1. ad Tim. c. 1., *lucem inhabitat inaccessibilem*; quod, ut dicitur Matth. 11., *nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*; quod demum, ut dicitur 1. Pet. c. 1., *in eum desiderant*

Angeli prospicere, ex quo sequitur, quod illum non prospiciunt. Tantum ergo abest, ut ex Scripturis arguatur vel veritas, vel possibilitas ipsa visionis Dei intuitivae, quin potius utraque ex iis neganda est.

R. neg. cons.; quoad 1.m namque, dicitur Deus inhabitare *lucem inaccessibilem*, quatenus nec oculis corporis, nec solis naturae viribus videtur, nec omnino per ipsam gratiam comprehendi potest. Quoad 2.m, quod *nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*, idest suapte natura; subditur enim, *et cui voluerit Filius revelare*. In eum demum *desiderant Angeli prospicere*, non eo desiderio, in quo est anxietas, ut exponit D. Gr. M. *hom.* 8. *in Ezech.*, sed eo desiderio, quod in completa satietate semper accenditur.

Objic. 2. ex D. Chrysost., qui in verba *Deum nemo vidit umquam*, haec habet hom. 1. in Jo. *Nam id, quod Deus, non modo Prophetae non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli. Sed si eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantia audies.* Chrysostomo adjungit quoque Vasquesius Theodoretum, Basilium, Cyrill. Alex., et Hieros., aliosque.

R., Chrysostomum, aliosque relatos a Vasquesio id unum contra Anomaeos intellexisse, quod Deus nec ab hominibus, nec ab Angelis videri potest visione comprehensiva, non vero tantum intuitiva, qua conspicitur, ut in se est: simulque etiam cum decertarent cum haereticis, qui comprehensivam Dei visionem sibi arrogabant, ad extremas, ac penitus oppositas partes visos fuisse declinare, nec ita identidem accurate fuisse locutos. Eorum nempe mens ex eorumdem instituto, ac scopo assequenda est. Caeterum nec Chrysost., nec Theodoretus praetermiserunt alibi claram, et intuitivam Dei visionem adstruere; ita enim ille in Paraenesi ad Theodorum lapsum c. 2. *Quid dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit, quando apertis Regiis aedibus, ipsum Regem conspicere licebit, non ultra in aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem; non ultra per fidem, sed per speciem?* Et in expos. Ps. 41. in illa verba: *Quando veniam, et apparebo*, ita ait: *Vide ardentem hominem, vide inflammatum. Sciens enim se, cum hinc recesserit, Deum esse visurum, ne expectat quidem dilationem.* Similia habet Theoderetus in Comment. ep. ad Eph., et in vita S. Jac. Anachoretae.

Objic. 3.° Quemadmodum objectum supernaturale attingi nequit, nisi modo supernaturali, ita nec objectum infinitum, nisi modo infinito. Hujus autem incapax prorsus est potentia finita, qualis est cujusvis creaturae intellectus: Intuitivae igitur Dei visionis incapax dicendus est.

R. neg. sequ. maj.; repugnat enim, quod per media diversi ordinis ad aliquem finem perveniatur; minime tamen repugnat, quod per potentiam finitam apprehendatur objectum infinitum modo finito.

Objic. 4.° Ut Deus videri posset intuitive ab intellectu creato, aliqua Deum inter, et intellectum creatum proportio esse deberet. Nulla autem inter Deum, et intellectum creatum proportio adest, juxta tritum illud: *Finiti ad infinitum nulla est proportio*: Non igitur videri potest intuitive ab intellectu creato.

R. dist. min.; quod nulla nempe Deum inter, et intellectum creatum adest proportio *entitatis*, sed bene adest proportio *habitudinis*, qualis habetur inter intelligibile, et facultatem intellectivam, cognoscibile, et facultatem cognoscitivam. Caeterum et proportio aliqua entitatis asseri potest inter Deum, et intellectum creatum; proportionis enim nomine venit convenientia etiam imperfectissima in aliquo attributo; ac utique Deus, et intellectus creatus conveniunt in eo, quod sint spiritales. Hujusmodi autem proportio recte dicitur entitatis, quia nimirum consistit penes aliquod commune Deo, et creaturae spirituali, et ad ipsam utriusque entitatem pertinet.

CAP. II.

De tempore intuitivae Dei visionis.

Discussis, quae ad possibilitatem, et veritatem visionis Dei pertinebant, progredimur ad tempus, quo justorum animabus a Deo conceditur, ac nobis concedenda promittitur. Et 1.° agitur quaestio, num aliquis in hac mortali vita intuitiva Dei visione ad aliquod tempus fruitus fuerit? Qua super re; de fide est, Christi animae ab ipso ejus Conceptionis instanti concessam fuisse intuitivam, ac beatificam Dei visionem; quare et Viator simul fuit, et Comprehensor. Quoad alios vero, certum quidem est, ex potentia Dei absoluta, et lege extraor-

dinaria, posse aliquem adhuc viatorem ad visionem illam transeunter admitti. An vero aliquis adhuc viator ad illam admissus fuerit, quamvis de ipsa B. Virgine id, salva fide, negari possit; quippe quod nec ulli Ecclesiae definitioni id opponitur, nec pauci ex TT. id quoque ipsi denegant; cum tamen majorem absque ulla comparatione gratiarum copiam illi Deus contulerit, quam ulli mortalium, prout veram, ac dignam ejus Matrem decebat; hanc proinde quaestionem cum exceptione ipsius Dei Genitricis discutiendam esse, docet prae aliis Laur. Berti; hanc namque gratiam ei quoque collatam fuisse, tradunt et Rupertus, et Albertus M., et D. Th. De Villanova *serm. de Resurr.*, ac maxime D. Aug., qui *tr.* 24. *sup. Magnif.* in illa verba: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, ita ait: *Majestatem Divinam interna visione contuitam fuisse, manifeste declaravit.* Quare, ut idem Bertius cum Gavardo *qu.* 4. *de invisib. Dei art.* 4. observat, hanc de B. V. sententiam eruditissimi ex Theologis amplexati sunt. Beata tamen Virgine excepta, communior sententia docet, quod nec Moysi, nec Apostolo, de quibus caeterum quoque affirmat D. Th. 1. p. q. 12. a. 11., et 2. 2. q. 175. a, 3., nec ulli hominum concessum umquam fuit in hac mortali vita, Divinam essentiam vel etiam ad breve tempus intuitive conspicere.

2.º Quaeritur, num justorum animae, quibus adhuc aliquid expiandum superest, statim, mortali hac vita exacta, ad intuitivam Dei visionem admittantur. Qua super re, praeter Aetium, Valdenses, aliosque, de quibus D. Bern. *ser.* 66. *in Cant.*, qui Purgatorium sustulerunt, istud quoque sustulit Lutherus, inquiens, quod in hac vita luitur, quod luendum est; quodque horror, ac poena mortis purgat, si quid purgandum superest; nec non Calvinus, audacter scribens l. 3, Instit. c. 5., *Purgatorium exitiale esse Satanae commentum, quod Christi Crucem evacuat, quod contumeliam Dei Misericordiae non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit, et evertit.* Contra quos docet fides Catholica, dari aliquem Purgatorii locum, in quo justorum animae detinentur, donec Dei justitiae plene satisfecerint vel pro aliqua poena temporali, quae ipsis post condonatam culpam luenda superest, vel pro venialibus noxis, illis, dum hic viverent, non remissis: nec

non in statu hujuscemodi, nihil quidem eos sibi prodesse posse, quia cum sint in statu termini, sunt actualis meriti incapaces; iis tamen prodesse Ecclesiae suffragia, aliaque pietatis, ac Religionis officia, a fidelibus in eorum gratiam oblata, ac maxime Missae Sacrificium.

3.º Quaeritur, num justorum animae, quibus nihil luendum superest, statim, hac mortali vita exacta, intuitiva Dei visione fruantur? Qua super re, errarunt 1.º Millenarii, ajentes, post generalem corporum resurrectionem futurum quoddam mille annorum spatium, per quod in terris regnaturus est Christus cum justis, antequam isti aeterna sua beatitudine donentur. Horum autem, idest Millenariorum, triplex fuit classis: quorum prima Cerinthum secuta, ajebat, hujusmodi Regnum in cibo, potu, aliisque corporis voluptatibus situm fore, ac legis Mosaicae ritus, et praecepta denuo observanda; ut testatur Euseb. *l.* 3. *hist. c.* 28., et D. Aug. *l. de haeresibus haer.* 8.. Altera post Papiam Episcopum Hierapolitanum, qui et D. Polycarpi sodalis fuit, et Joannis, non quidem Evangelistae, sed alterius ejusdem nominis Presbyteri, auditor, ut advertit Euseb. *l. cit. c.* 39., puras tantum, et innoxias corporis voluptates per illud mille annorum spatium justis tribuit, nullamque legis Mosaicae observationem induxit. Tertia solas animi spirituales delicias illis per idem spatium concessit, ut Tertullianus; et D. Aug. *l.* 22. *De Civ. Dei c.* 7. candide fatetur, se aliquando in hac Millenariorum opinione versatum fuisse.

Erraruut 2.º nedum Vigilantius, sed et non pauci ex Scriptoribus Catholicis, quos inter ex Tournelio D. Justinus, D. Irenaeus, Lactantius, Severus Sulpitius, etc., qui videntur existimasse, justorum animas, de quibus sermo, nonnisi post generalem corporum resurrectionem Deum intuitive conspecturas. In quam sententiam etsi ab aliquibus dicatur, propensum fuisse Joannem XXII., 1.º tamen omnes decent, et extra controversiam est, nihil umquam circa id ex cathedra definiisse, et ad credendum fidelibus proposuisse; et morti proximum clarissime professum fuisse catholicum dogma, *quod animae purgatae separatae a corporibus sunt in Coelo, et vident Deum, ac Divinam essentiam facie ad faciem clare* (*ap. Raynaldum ad ann.* 1334. *n.* 37.). 2.º, ut

ex authenticis monumentis demonstrat Laur. Berti, nec quaestionem hujuscemodi ipse. Joannes, sed alii tunc temporis exagitare coeperunt; nec quidquid ex opposito protulit, propterea quod catholicum dogma nondum expresse definitum fuerat, aliter protulit, quam tantum historice; recitando scilicet opinionis contrariae fundamenta, eoque animo, ut a Theologis ventilarentur, et quaestio, in qua veteres non convenerant, matura discussione innotesceret, ipse interim nihil asserens, nihil definiens, nihil vel opinando scriptitans. Immo cum pro utraque parte summa cura collegisset momenta, praecepit anno 1334. S. R. E. Cardinalibus, ac Praelatis aliis, et Doctoribus Theologiae, etiam sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, ut singula revocarentur ad trutinam, eique, quod eis videretur, exponerent. Quod autem Thomas Vallesius in carcerem conjectus fuerit, ac Durandus Meldensis Episcopus fuerit in jus vocatus, non ideo fuit, ut Joannis osores scribunt, quod starent pro gloria statim justis, de quibus loquimur, donanda, sed, ut probat idem Bertius, quia Thomas e suggestu in Assertores adversantis sententiae Divinam maledictionem fuerat imprecatus; quod privato homini, fide nondum declarata, non licebat; Durandus vero ob alias doctrinas, sin minus castigatione dignas, saltem non apte expositas, aut non bene intellectas.

Notanda demum hac super re, ut ait Bellarminus l. 1. de Beat. SS. c. 1., *mira Calvini stultitia, qui dicit, stultum, et temerarium esse quaerere, utrum animae justorum gloria fruantur, necne; et ipse tamen audacter definit, eas nondum frui gloria, sed eam expectare.* Quibus praemissis, sit

Prop. I. Nemo in hac vita, praeter Christum, ac B. V. ejus Matrem, intuitiva Dei visione fruitus est. Ita communius.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; cum enim Moyses a Domino petiisset, *Ostende mihi faciem tuam*, respondit Deus, ut legitur Ex. 33., *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. Non videbit me homo, et vivet.* Nulla autem heic loci fit prorsus exceptio: Nemo igitur in hac vita intuitiva Dei visione fruitus est. Accedit et illud Jo. 1. *Deum nemo vidit umquam*; et illud Ap. ep. 1. ad Tim. c. 1., quod Deum *nullus*

hominum vidit. Evangelium autem Jo., et ep. 1. ad Tim. scripta fuere post ep. 2. ad Cor., in qua Ap. refert, raptum se fuisse usque ad tertium Coelum, sive Paradisum: In illo igitur raptu non vidit essentiam Divinam, sed eximias tantum revelationes accepit.

2.° Ex PP.; ut D. Irenaeus l. 4. c. 37., ubi: *Neque Moyses, neque Elias, neque Ezechiel vidit Deum. Quae autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini.* Origenes in c. 6. Js. *Dei faciem non vidit nec Isaias, nec Moyses. Posteriora viderunt, ut scriptum est.* D. Aug. ep. 147. *Deus natura invisibilis est. Illi autem ideo viderunt quicumque Deum viderunt, quia cui voluerit, sicut voluerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura.* Et l. 10. de Civit. Dei c. 13. *Nec movere debet, quod cum sit invisibilis, saepe visibiliter Patribus apparuisse memoratur: sicut enim sonus, quo auditur sententia, in sono intelligentiae constituta, non est hoc, quod ipsa, ita et species, qua visus est Deus in natura invisibili constitutus, non erat quod ipse.* Et tr. 3. in Jo. n. 17. *Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem. Omnis illa creatura est. Typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini praesentiam exhibebat.*

Negandum caeterum non est, in eam aliquando D. Augustinum inclinasse sententiam, Moysi concessum fuisse, ut Deum intuitive contemplaretur. Sed 1.° sub dubio tantum rem proposuit, non vero assertive id pronuntiavit: *Non est incredibile* (inquiens ep. 147.): *forte illa contemplatione dignus fuit Moyses.* Ad illud vero, quod objici poterat, neminem posse videre Deum simul, et vivere, reponebat, duplicem distingui mortem; alteram veram, quae posita est in separatione animae a corpore; alteram, quae consistat in alienatione a sensibus. Alterutram autem sufficere. 2.° nostram sententiam S. D. docuit in libris, quos edidit senior, ac doctior factus: oppositam vero in libris, quos junior scripserat. Ita Bertius, et Habertus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° ex c. 13. Exodi, quod cum Deo dixisset Moyses, *Ostende mihi faciem tuam*, respondit Deus: *Ego ostendam tibi omne bonum*; per quod haud dubio ipse Deus intelligendus est. Item quod ibidem legitur: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem*. Ac denium quod legitur c. 12: Num. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnum loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses; ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per aenigmata, et figuras Dominum videt*. Clarioribus porro verbis exprimi non posse intuitivam Dei visionem, nemo est, qui non videat: Hac ergo Moyses in hac vita fruitus fuit.

R. neg. min.; quoad. 1.m namque, per illud *omne bonum* intelligendum non esse ipsum Deum intuitive videndum, ex eo patet, quod Deus promisit Moysi, se omne bonum ipsi ostensurum, sed excepta ipsius aperta cognitione, expresse enim ait: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Denegavit ergo Deus Moysi gratiam, quam petierat; eique tantum promisit, quod vidisset quodammodo ejus posteriora; ob mirabilia scilicet, quibus ejus itineris ducem se fecit. Quoad 2.m et 3.m vero, si postquam dixit Scriptura, Moysen cum Deo locutum fuisse *ore ad os*, et *facie ad faciem*, inducitur postea Moyses rogans Deum, ut ejus faciem videret, quid clarius, quam quod illam non viderat? Nihil ergo aliud per id genus verba significari, dicendum est, nisi familiarem Moysis cum Deo collocutionem, ac eam longe majorem, frequentiorem, ac apertiorem, quam cum caeteris Prophetis. Idque ex eo etiam confirmatur, quia secus illi concessisset Deus, quod concessurum ei non fore, antea dixerat.

Objic. 2.° ex 2. ad Cor. 12., ubi Ap. de seipso ait, *raptum fuisse usque ad tertium Coelum, et audivisse arcana verba, quae non licet homini loqui*. Quaenam autem revelatio tam mirabilis, quae verbis designari nequit, nisi Divinitatis manifestatio, de qua Isaias dixerat c. 64. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te*: Ipsi igitur in illo raptu intuive Deum se exhibuisse, dicendum est.

R. neg. min.; tum quia Ap. longe post raptum ait

scribens ad Tim. ep. 1. c. 6. quod Deum *nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* tum quia non ait, se in tertio Coelo vidisse Deum, sed tantum arcana audivisse silentio occultanda.

Prop. II. Justorum animae, quibus, mortali hac vita exacta, aliquid luendum superest, intuitiva Dei visione non fruuntur, nisi postquam debitas Divinae justitiae poenas persolverint, vel ab iis Fidelium suffragiis solutae fuerint. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ad id enim referuntur 1.° ex veteri Testamento illud Is. 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris:* quem locum de animabus, et poenis Purgatorii intelligit D. Aug. l. 20. de Civ. Dei c. 25. Et illud Mich. 7. *Ne laeteris, inimica mea, super me, quia cecidi; consurgam, cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei; donec causam meam judicet, et faciat judicium meum; educet me in lucem, justitiam ejus videbo;* quem locum afferri solitum pro Purgatorio, docet D. Hieron. in c. ult. Is. Item illud Malach. 3. *Sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos, quasi aurum, et quasi argentum*, quem locum et Orig. *hom.* 6. *in Exod.*, et D. Ambr. *in Ps.* 36., et D. Aug. *l. cit.*, et D. Hieron in hunc locum de poena Purgatoria exponunt. Maxime tamen omnium ad id refertur quod, ut legitur. l. 2. Mach. 12., *Judas Machabaeus facta collatione, duodecim millia dracmas argenti, misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene, et religiose de resurrectione cogitans .... Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Haec autem cum neque de Beatis, neque de damnatis intelligi possint, necessario intelligenda sunt de illis, qui in gratia Dei ab hac vita decedentes, aliquid tamen luendum habeant, a quo et detineantur, ne ad intuitivam Dei visionem admitti possint, et simul solvi queant fidelium suffragiis, ac potissimum sacrificiis in eorum gratiam Deo oblatis: Patet ergo propositum.

Objicitur quidem 1.°, quod ii, pro quibus id legitur actum a Juda Machabaeo inventi fuerant cum quibusdam de donariis Idolorum, quae rapuerant contra expressam prohibitionem a Deo latam Deut. 7.; ex quo

sequitur, in peccato lethali eos decessisse. Si autem in lethali decesserant, quis non videt, argumentum nimis probare; preces nempe viventium iis etiam prodesse, qui in lethali mortui fuerint? 2.º manifestum errorem contineri in contextu, quod nimirum animae cum corporibus moriantur, et resurgant; dicitur enim, quod, *nisi Judas eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis*; quasi, non resurgentibus corporibus, non essent superstites animae, quae orationibus, ac suffragiis viventium juvari possent. Quod cum ita sit, nec divinitus inspiratus illius libri Auctor est dicendus.

Sed resp. ad 1.m, negando, illos omnes in lethali decessisse; vel enim aliqui eorum ignorabant legis prohibitionem; vel non acceperant ex donariis illis in honorem idolorum, sed solum ditescendi cupiditate, quae venialis esse potest; vel demum, si lethale fuit, quod patrarant, eos forte in mortis articulo de patrato peccato poenituit. Ita autem Judam existimasse, adstruit sacer contextus, inquiens, eum considerasse, *quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*; quod sufficiebat, ut liceret pro eis orare, etiamsi damnati fuissent.

Ad 2.m, negandum, quod ex relatis Machabaeorum verbis animae cum corporibus moriantur, et resurgant; sed tantum quaestionem immortalitatis animae, et resurrectionis corporum consideratam fuisse apud Judaeos, tamquam si una foret, quia cum anima rationalis sit pars hominis, non est verisimile, Deum voluisse animam perpetuo vivere sine corpore. Usitatum autem fuisse apud Judaeos utramque quaestionem conjungere, patet 1.º ex Matth. 22., ubi Christus probaturus Sadducaeis resurrectionem corporum, ait: *Non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium*; quibus verbis, nisi Christus ambo illa conjunxisset, reponere potuissent Sadducaei, equidem Deum se nuncupasse Deum Abraham, Isaac, et Jacob, quasi Deum viventium; at non quia resurrectura erant eorum corpora, sed quia eorum animae vivebant. 2.º ex 1, ad Cor. 15., ubi: *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Comedamus, et bibamus, cras enim moriemur*; quod Apostoli argumentum neque etiam valeret, nisi

corporum resurrectionem cum immortalitate animarum necessario conjunctam supponeret, quia scilicet, etiamsi corpora non resurgerent, semper tamen prodesset pie, ac sancte vivere ad animae beatitudinem comparandam. 3.° ex Act. 23., ubi qui negabant unum, negabant et alterum, ut Sadducaei; et qui unum fatebantur, fatebantur et alterum, ut Pharisaei.

Prob. item ex c. 5. Matth., ubi: *Esto consentiens Adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te Adversarius Judici, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quibus prorsus similia habentur quoque Luc. 12.; atque ad Purgatorii veritatem probandam passim adducuntur a PP., ut a D. Aug. *in c. 5. Matth.*, et *hom. 1: de Verb. Dom.*, et in *l. de 10. chordis c.* 3.; a D. Ambr. *in c.* 12. *Luc.*; a D. Greg. *hom*, 39., etc.: Ut enim inquiunt, pro Adversario in praefatis locis intelligenda est lex Dei, quatenus contraria sensibus praecipit, vel etiam conscientia, quae Dei legem semper objicit peccanti; suntque tam lex Dei, quam conscientia nostra semper nobiscum in via, quia semper nostris pravis desideriis opponuntur, iisque utilissimum est cito consentire, et ab eorum inimicitia liberari, quia secus accusatores, et testes contra nos erunt in Judicio. Dicitur autem, quod e poena, quam aliquando subit transgressor legis, ac sui ipsius conscientiae vocem non audiens, non exiet inde, *donec reddat novissimum quadrantem*; quo idcirco reddito, exiturum sequitur: Temporalibus ergo poenis aliquas animas post hanc vitam subjici, est dicendum, prius quam ad intuitivam Dei visionem admittantur.

Quibus accedit ex Scripturis quod ibidem legitur: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennae ignis*; ibi enim sermonem fieri de poena in foro Dei injungenda, ex postremis verbis *reus erit gehennae ignis* manifeste liquet; unde D. Aug. *l.* 1. *de serm. Dom. in monte c.* 19. tria illa exponit de animarum poenis post hanc vitam. Dum autem distinguuntur tria peccatorum, ac poenarum genera, aeterna tamen damnatio addicitur solum tertio peccatorum generi, idest criminibus: Aliis ergo peccatorum generibus, idest levioribus peccatis, temporalem tantum poe-

nam paratam esse, ac proinde aliquas animas post hanc vitam temporalibus tantum poenis puniri, consequens est.

Prob. 2.° ex Conc. Generalibus Lugdunensi, Florentino, et Tridentino; hanc enim fidei professionem Greg. X. in Conc. Lugd. a Graecis exegit, et accepit; quam et deinde ab iisdem petiit Conc. Flor.: *Si vere poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas in poenis purgatorii post mortem purgari: et ad poenas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, et alia pietatis officia.* Trident. vero sess. 6. can. 30. ita definiit: *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regna Coelorum aditus patere possit, anathema sit.* Et sess. 25. Decr. de Purg. ait, *Purgatorium esse; animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari.*

Prob. 3.° ex consuetudine Ecclesiae, quae pro defunctis suffragia, ac praecipue incruentum Missae Sacrificium semper obtulit; de qua ita D. Aug. l. de cura pro mortuis gerenda c. 1.: *In Machabaeorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi numquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et serm. 172. de verbis Ap.: *Orationibus Sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia.* Ait autem ipse Aug. ep. 54.: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quod ita faciendum sit, disputare, insolentissimae insaniae est.* Ita ergo faciendum est; ex quo sequitur, quod justorum animae, quibus, mortali hac vita exacta, aliquid luen-

dum superest, intuitiva Dei visione non fruuntur, nisi postquam etc.

Prob. 4.° multiplici ratione. Et 1.° si ex Scripturis constat, quod, lethalibus culpis hac in vita remissis simul cum reatu poenae aeternae, alia et superest pro iis Divinae justitiae solvenda poena, quae hic persoluta non fuerit, ideoque oporteat, ut post mortem solvatur, Divinae quippe justitiae jura frustrari, et eludi nequeunt; quodque dantur peccata, quae in futuro saeculo remittuntur: dicendum profecto est, decedentes ex hac vita taliter irretitos, ad intuitivam Dei visionem non admitti, nisi postquam id genus vinculis exsolvantur. Utrumque autem ex Scripturis constat; 1.m nempe ex l. 2. Reg. c. 12., ubi cum David dixerit Nathano, *Peccavi Domino*, respondit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, filius, qui natus est tibi, morietur*. Alterum ex c. 12. Matth., ubi Christus ait: *Quicumque dixerit Verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro*; ex quibus verbis patet, quod perfecta illa remissione, quae complectitur remissionem totius temporalis poenae, peccata etiam gravissima in futuro saeculo remittuntur, quia tunc revera completur eorum remissio: Justorum ergo animae, quibus alterutro ex capite aliquid luendum superest, intuitiva Dei visione non fruuntur, nisi postquam etc.

2.° Fide constat, dari peccata, quibus nec Dei amicitia amittitur, nec poena aeterna debetur; quum enim D. Jo. ep. 1. c. 1., sese cum caeteris involvens, ajebat: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*; et D. Jac. c. 3. *In multis offendimus omnes*, neuter profecto vel ab amicitia Dei desciverat, vel poenae aeternae reatu obstringebatur. In hujusmodi autem levioribus peccatis multi sunt, qui extremum diem obeunt, sive quod morte praeveniantur, sive quod parum ardens, et intensa in eis sit charitas; quorum animae idcirco ad intuitivam Dei visionem non admittentur, nisi prius purgatae, ac detersae fuerint leves illae sordes, *nihil enim coinquinatum* (ut dicitur Apoc. 21.) *intrabit in Jerusalem Coelestem*: Animae igitur, quae ejusmodi noxis

nondum expiatis decesserint, aliquo in loco detineri, ubi iis expientur, prius quam ad intuitivam Dei visionem admittantur, consequens est.

3.° Si omnes justorum animae, sive omnino purgatae, sive adhuc sordes, aeque, hac mortali vita exacta, ad Dei conspectum statim admitterentur, *melioris conditionis* (ut D. Th. disserit l. 4. cont. Gentes c. 91.) *essent negligentes, quam solliciti, si poenam, quam hic pro peccatis non implent, non sustineant in futuro*. Id autem quam absurdum sit, nemo non videt: *Retardantur igitur* (ut concludit S. D.) *animae bonorum, qui habent aliquid purgabile in hoc Mundo, a praemii consecutione, priusquam poenas Purgatorias sustineant.*

Juvari autem posse viventium suffragiis, ex eo confirmatur, quod cum decesserint in gratia sanctificante, non amiserunt manere in Sanctorum communione, omnes enim Sancti, ac fideles unius corporis Ecclesiae sunt membra. *Membra autem corporis* (ait Ap. 1. ad Cor. 12.) *pro invicem sollicita sunt; et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*: Invicem ergo juvari possunt; quare ait D. Th. in Supplem. qu. 73. a. 9. *Suffragia vivorum prosunt defunctis secundum quod uniuntur viventibus in charitate.*

Diximus porro, illud tantum esse de fide, quod *justorum animae, quibus, hac mortali vita exacta, aliquid luendum superest, intuitiva Dei visione non fruuntur, nisi postquam debitas Divinae justitiae poenas persolverint, vel ab iis viventium suffragiis solutae fuerint*; hic enim haeret dogma catholicum. Ubi vero sit hic Purgatorii locus; quodnam poenarum genus ibi sustineatur; quaenam earum duratio, etc., Ecclesia nondum definiit. At quoad 1.m, commune est apud TT. cum D. Th. in 4. dist. 20., ejus locum de lege ordinaria esse in ipsis Terrae visceribus, et damnatorum Inferno contiguum; ut colligitur 1.° ex Ps. 113., ubi: *Non mortui laudabunt te, Domine; neque omnes, qui descendunt in Infernum*; ex quibus sequitur, aliquos eorum, qui descendunt in Infernum, idest in inferiores partes Terrae, Deum laudare. Pro his autem intelligi nequeunt damnati in Inferno, de quibus potius dicitur Ps. 73., quod Deum perpetuo blasphemant: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*:

Pro iis igitur animae in Purgatorio existentes intelligi debent, 2.° ex c. 2. ad Phil., ubi: *In nomine Jesu omne genuflectatur, Coelestium, terrestrium, et infernorum.* Per hoc autem *infernorum* nequeunt quoque intelligi damnati in Inferno, qui tantum abest, ut Christo genua flectant, quin potius ex dictis illum semper blasphemant: Animas ergo in Purgatorio existentes designari, consequens est. 3.° ex Apoc. 5., ubi: *Nemo inventus est dignus aperire librum, neque in Coelo, neque in Terra, neque subtus Terram.* Ibi autem D. Joannes nonnisi justos enumerat: Et subtus Terram ergo adsunt justi, pro quibus nonnisi Animae in Purgatorio existentes possunt intelligi.

Quoad 2.m, commune quoque est, praeter carentiam visionis Dei, qua fide constat, puniri animas in Purgatorio detentas, puniri etiam poena ignis. Et probatur 1.° ex relatis Js. verbis: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu ardoris*; nec non Malach. *Sedebit conflans, et emundans argentum; et purgabit filios Levi, et colabit eos, quasi aurum, et quasi argentum.* 2.° ex eo quod de offensis sibi illatis Deum per ignem ultionem sumere, passim Scripturae testantur; ut Deut. 32., ubi: *Ignis succensus est in furore meo*; Isaiae 30., ubi: *Terrorem brachii sui ostendet in flamma ignis devorantis.* Et c. 33. *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante?* Et 1. ad Cor. 3. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*, 3.° ex communi DD. sensu, qui, duce D. Aug. *l.* 20. *De Civ. Dei c.* 25., nedum igne, sed et eodem docent torqueri damnatos, et purgantes.

Quoad 3.m, scripsit quidem Dominicus Soto, cui suffragatur Maldonatus, neminem in Purgatorio manere ad decem annos, tum quia credibile non est, ut quos poenarum accumulatione Deus inde expedire brevius potuit, temporis prolixitate detineat; tum quia poenam semporalem peccatis debitam, quae in Purgatorio persolvitur, levibus, ac brevibus poenitentiis persolvere in hac vita possumus. Repugnat tamen, ut sapienter scribit Bellarm., Ecclesiae consuetudo, quae anniversaria celebrat pro defunctis, etiamsi obierint ante centom, ducentos, vel amplius annos. Hinc concludit: *Res igitur est incertissima, et nonnisi temere definiri potest*; nec reprobat, *aliquos jam defunctos usque ad diem Ju-*

dicit mansuros in Purgatorio (*De Purg. l.* 2. *c.* 9.; *etenim* jubet fieri a Fidelibus in perpetuum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Nullum pro peccatis in hac vita commissis, et non condonatis superesse in altera remedium, testatur Ecclesiastes c. 9., ubi: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et c. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quod si nullum in altera vita superest remedium pro peccatis in hac vita commissis, et non condonatis, nullus quoque admittendus est locus, ubi sint luenda, idest Purgatorium: Non ergo hoc admittendum.

R. neg. cons.; nam quoad 1.m locum Eccl., sensus est, quod cum, hac vita exacta, nihil mereri amplius possimus, in praesenti vita bonis operibus allaborare debemus. Quoad alterum vero, duplicem post hanc vitam esse statum fixum, et permanentem; qui enim in lethali peccato decedunt, *ibunt in supplicium aeternum*; *justi autem in vitam aeternam* (*Matth.* 25.). Quod et dicendum de caeteris Scripturae testimoniis, ubi duo tantum ordines eorum, qui isthinc decedant, commemorantur; justorum scilicet, qui Deo aperte fruuntur, et impiorum, qui torquentur in inferis.

Objic. 2.° illud Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Omnes autem justi in Domino moriuntur: Omnes igitur post mortem sunt in requie; ex quo sequitur, quod nemo eorum poena aliqua torquetur.

R. neg. cons.; quod enim ibi sermo sit de requie ab hujus vitae laboribus, clarius est, quam ut probatione egeat. Porro ex eo quod extremum diem in Domino obeuntes liberentur a laboribus, quibus in hac vita obnoxii fuerunt, sequiturne, quod nemo eorum in Purgatorio aliquid pati debeat ad plenam, et perfectam munditiem?

Objic. 3.° illud Ezech. 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Illarum autem utique recordaretur,

si in eas severis Purgatorii poenis animadverteret : Dum ergo per veram poenitentiam remissa fuerint peccata, quamvis gravissima, quoad culpam, nulla amplius poena, neque in hac, neque in altera vita, sive aeterna, sive temporalis luenda superest.

R. dist. maj.; quod nempe iniquitatum cujusvis generis Deus nullatenus recordatur, si de iis peccator perfectam, et completam poenitentiam egerit, per poenitentiam enim sine addito perfecta plane, et completa poenitentia significatur, quae dignos poenitentiae fructus dederit; non vero si de iis poenitentiam quidem egerit, quantum satis erat, sed non perfectam, et completam, et absque dignis poenitentiae fructibus, in quo casu ejus iniquitatum Deus non recordatur ita, ut eas aeternum puniat, sed ita ut eas temporali aliqua poena castiget.

Objic. 4. Fide constat, Christum pro peccatis nostris plene, ac superabundanter satisfecisse. Injustum autem est aliam ab eo satisfactionem excipere, pro cujus debitis alter superabundanter satisfecerit: Dum ergo peccator per sufficientem satisfactionem rursum gratiam adeptus fuerit, hoc ipso, quod Christo, ejusque meritis rursus per adeptionem gratiae communicaverit, nullam amplius pro peccatis quantumvis gravissimis satisfactionem debet. Ex quo etiam sequitur, nullam pro noxis, quibus gratia non amittitur, satisfactionem deberi.

R. dist. maj.; ita tamen, ut per Sacramenta, et nostra bona opera satisfactionum Christi pretium nobis applicare debeamus; unde ait Ap. ad Col. 1. *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea*; non vero ita, ut inanes, superfluae, ac non necessariae sint quoque nostrae satisfactiones; unde ipse Ap. ad Rom. 8. *Cohaeredes Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur*; necesse quippe est, ut membra capiti conformentur.

Objic. 5. ex Chrysost. in Ps. 50. *Ubi Misericordia est, poenae non expetuntur*. Quare et D. Ambr. de Petro ait, quod pro peccato suae negationis nullam Deo satisfactionem obtulit, inquiens nempe in c. 22. Luc. *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego*. Addit idem Chrysost. hom. 2. de Laz. *Donec hic fuerimus, spes habemus praeclaras. Simul atque vero discesserimus illinc, non est postea in nobis situm poenitere, neque commissa delere*. Nulla igitur pro peccatis etiam gravissimis satis-

factio debetur; eaque item si in altera vita daretur, inutiliter daretur.

R. neg. cons.; sensus enim Chrysost. quoad 1.m est, quod *ubi misericordia est*, *poenae non expetuntur* ad ruinam, et perditionem peccatoris, non vero ad ejus purgationem, et satisfaciendum Divinae justitiae, cujus jura semper servanda sunt. Quare idem S. D. in illa Davidis verba: *Amplius lava me ab iniquitate mea, sublatum est* (inquit) *peccatum meum; at etiam tolli cicatricem cupio. Sublatum est ulcus; at etiam pulchritudinem meam recipere cupio* (*In Ps.* 50.). Quoad D. Ambr. vero, non intelligit ibi S. D. satisfactionis nomine illam, quae pars est poenitentiae, sed illam, quae verbis fit, nos excusando; satisfacere quippe alicui dicimur, apud quem nos excusamus. Laudat itaque D. Petrum, quod culpam suam non excusaverit, sed ingenue confessus fuerit: *Petrus* (ajens) *doluit, et flevit. Non invenio, quid dixerit; invenio, quod fleverit. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest.* Ad alterum demum Chrysost. textum facilis est responsio; quod nempe post hanc vitam nullus est satisfactioni, ac purgationi locus quantum ad remissionem culpae lethalis, et reatum poenae aeternae, et conversionem cordis, nullus enim tunc merito, vel demerito locus; sed bene quantum ad remissionem culpae venialis, vel temporalis poenae, quae luenda superest, ut ex ostensis patet.

Objic. 6.° Crescente, vel decrescente culpa, crescit quoque, vel decrescit poena. Et remissa igitur omni culpa, omnem quoque remitti poenam, dicendum est.

R. neg. cons.; licet enim in effectibus, qui à causis pendent, non solum ut sint, sed ut conserventur, crescente, decrescente, vel sublata causa, crescat, decrescat, ac tollatur effectus; idem tamen locum non habet in effectibus, qui permanentes sunt, et independenter a suis causis conservantur. Sic vulnus est effectus gladii, et quo major est gladius, majus est vulnus: curaturne tamen hoc, statim ac tollitur gladius? A pari cum poenae reatus sit effectus culpae, quomodo vulnus gladii, quo major quidem est culpa, major est poena, cui peccator fit obnoxius; sed non item, sublata per poenitentiam culpa, omnis quoque poenae reatus tollitur.

Objic. 7.° Se habet charitas ad gloriam Coelestem,

sicut peccatum mortale ad Inferorum supplicia. Sicut ergo qui moriuntur in peccato mortali, statim addicuntur Inferorum suppliciis, ita qui moriuntur in charitate statim convolant ad gloriam Coelestem.

R. dist. ant.; quod nempe ita se habet charitas perfecta ad gloriam Coelestem, sicut peccatum mortale ad Inferorum supplicia; non vero charitas imperfecta, cum qua scilicet nonnihil sit, quod impediat, ne statim aeternum felicitatis praemium consequatur.

Objic. 8.° Deus propensior est ad miserendum, quam ad puniendum. Si ergo eos, qui in peccato lethali moriuntur, statim poena aeterna plectit, multo magis gloria Coelesti coronare debet, qui cum gratia sanctificante ex hac vita decedunt.

R. dist. ant.; ubi omnia scilicet sint paria, non vero ubi omnia paria non sint. Porro qui moritur in peccato lethali nihil habet, unde possit Deo gratus esse; dum e contrario qui moritur in gratia sanctificante, tametsi acceptus Deo sit, potest tamen simul habere, quod in ipso expiandum, ac purgandum supersit. Quare, cum non omnia sint paria, statim proinde a morte Inferorum suppliciis Deus addicit in lethali peccato vita functum; non tamen statim Celestem gloriam tribuit justo, cui aliquid expiandum, ac purgandum supersit.

Objic. 9.° Nulla poena luenda est iis, qui statim a percepto baptismo moriuntur. Ergo nec iis, qui per Sacramentum Poenitentiae justificati fuerint.

R. neg. cons.; tum quia, ut Trid. loquitur sess. 14. c. 2., *per baptismum Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem, et integritatem per Sacramentum Poenitentiae sine magnis nostris fletibus, et laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus*: tum quia *Divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati, et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter Templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.*

Objic. 10. Peccata venialia remitti nequeunt, hac vita exacta, quia nullus tunc locus poenitentiae, per quam tantum remitti possunt; Inutile igitur Purgatorium.

R. neg. ant.; id enim falsum existimat D. Th., ac Evangelico oraculo, sententiis SS. PP., et Ecclesiae precibus repugnans. Nec ad venialium remissionem veram, et proprie dictam poenitentiam necessariam censet, sed virtualem displicentiam in hac vita, vel poenam purgatoriam in altera; cum enim haec quadamtenus voluntaria sit, *virtute gratiae vim habet expiandi culpam omnem, quae simul cum gratia stare potest.*

Objic. 11° Ubi nullum est meritum, neque etiam ullus est satisfactioni locus. Hac autem vita exacta, nullum est meritum: Nequeigitur, ea exacta, ullus est satisfactioni locus.

R. neg. maj, qui enim ob patratum crimen poenam coactus, et invitus perfert, profecto non meretur, et tamen satisfacit, quia ad meritum quidem requiritur libertas nedum a coactione, sed etiam a necessitate, sed ad satisfaciendum. sufficit, absolute loquendo, ut quis poenam, quam promeritus est, patiatur. Diximus *absolute loquendo*; nam in hac vita, ut pro peccatis nostris satisfaciamus poenis, et calamitatibus, quas patimur, debemus ultro, ac libere eas acceptare: non enim pro iis satisfacere possumus, nisi bonis operibus; nec dari potest ullum opus bonum, nisi libere fiat. Quare monet D. Petrus ep. 1. c. 4., *ut nemo patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

Instant. Si ubi nullum est meritum, vera satisfactio esse posset, daemones, aliique damnati possent Divinae justitiae satisfacere. Hoc falsum: Et falsum igitur, quod, ubi nullum est meritum, vera esse possit satisfactio.

R. neg. sequ. maj.; cum enim peccatis lethalibus, quibus Daemones, aliique damnati irretiuntur, debeatur poena aeterna, nulla ab eis reddi potest satisfactio, quia aeternitas finem non patitur. E contrario justorum animae, quae in Purgatorio detinentur, obnoxiae sunt vel tantum poenae illi temporali, quae luenda superest pro peccatis remissis quoad culpam, et poenae aeternae reatum, vel solis peccatis venialibus, quibus nonnisi temporalis poena debetur; cum enim, ut diximus in tractatu de peccato actuali c. 1. in fine, peccatum veniale consistat vel in violatione alicujus levis praecepti, vel in violatione alicujus praecepti gravis, sed in parva materia, vel tandem in violatione alicujus praecepti gravis, et in materia gravi, sed absque sufficienti voluntatis deliberatio-

ne; ideoque solvere amicitiam nequeat inter Deum, et hominem, quippe quod id genus peccata neque etiam amicitiam solvunt hominem inter, et hominem, ac severissima amicitiae lex illa esset, qua quis in amicum suum nec leviter peccare posset, quin statim amicitia discinderetur: peccatum veniale idcirco haberi nequit absolute, velut Dei offensa, sed tantum velut aliquid inconveniens, et Deo displicens, actus namque absolute offensivus amicitiam solvit; utque hujusmodi, neque etiam illi debetur poena aeterna, sed poena tantum temporalis. Hinc proscripta fuit a Pio V., et Greg. XIII. propositio Baji, quae ajebat: *Nullum est peccatum naturâ sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.* Patet ergo disparitas. Quae tamen clarius in cit. tract. de peccato actuali.

Prop. III. Inane prorsus figmentum aperte Sacris litteris adversum est error Millenariorum: sed justorum animae, quibus nihil luendum superest, statim ac corporeis vinculis exsolvuntur, ad intuitivam Dei visionem convolant. Est de fide.

Prob. I. pars. 1.° enim si post corporum resurrectionem nullas futuras sensuum voluptates, sed statim sine mora reprobos in Infernum anima simul, et corpore detrudi, electos vero ad vitam aeternam admitti, aperte testantur Scripturae, inane prorsus figmentum aperte Sacris litteris adversum dicendum profecto est Millenariorum error oppositum de electis docens. Ita autem rem se habere, manifeste liquet ex c. 22. Matth., ubi: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei.* Et c. 25. ubi post enarratam Antichristi persecutionem, statim extremum Iudicium describitur, ac dicet Christus iis, qui a dextris ejus erunt: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum.* Iis vero, qui a sinistris: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Et: *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam*: Patet ergo propositum.

2.° Ex ep. 1. ad Thess. c. 4., ubi, corporum resurrectione, et Christi adventu ad judicandum narratis, non Millenariorum, sed sempiternum Regnum justis promittitur illis verbis: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

3.° Ex dicendis, ex quibus idem magis, magisque

semper constabilitur; confirmatur enim prima propositionis pras, dum

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Scripturis; ut ex ep. 1. ad Cor. c. 13. *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem.* Ibi autem Apostolus et opponit statum vitae praesentis statui vitae futurae; et eum loqui, non tantum de tempore, quod erit post universale Iudicium, sed de illo, quod ab animabus omnino mundis post mortem corporis agitur, ex eo patet, quod loquitur de tempore, quo *prophetiae evacuabuntur, linguae cessabunt, scientia destruetur*, quae desinent respectu uniuscujusque, non tantum post extremum Judicium, sed statim ab ipsius morte. Statim igitur ab hac animabus omnino mundis Deus conspiciendum se dabit *facie ad faciem*; ideoque dicendum, quod justorum animae, quibus etc.

Item ex ep. 2. ad Cor. c. 5. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in Coelis.* Evidens autem est, per domum aeternam, ac coelestem exprimi ab Apostolo aeternam beatitudinem, quam praestabit visio Dei intuitiva. Statim ac ergo terrestris, ac caduca haec domus dissoluta fuerit, sive statim post mortem, illam nos excipere, modo nihil luendum habeamus, consequens est.

Item ex eo, quod ibidem subdit; *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus* (idest optamus) *magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Optandum autem id non esset, si nonnisi post resurrectionem ad Dei speciem, seu conspectum perveniremus, quia non in peregrinatione a corpore, sed in corporis resumptione ad illius conspectum admitteremur. Non igitur in resumptione corporis, sed in peregrinatione a corpore, idest post mortem, ejus conspectu, si, nihil sit nobis luendum, fruemur. Hinc idem Ap. ad Phil. 1., *desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*, ab ejusmodi desiderio coarctari, testabatur. Frustra autem optasset dissolvi, ut cum Christo esset, si corpore solutus, statim ad eum non migrasset; Haec ergo ejus fides. Quare et prius Regius Psaltes de Novo Foedere prophetans dixerat. Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis*

somnum, ecce haereditas Domini.

Item ex ep. ad Eph. 4., ubi de Christo in Coelos ascendente ait Ap., quod *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*; idest, ut PP. interpretantur, secum duxit in Coelum justos omnes a limbo, in quo detinebantur, erutos. Quod si, illo ad Coelos ascendente, secum duxit omnes justos in limbo detentos, omnes quoque justos, quibus nihil luendum sit, statim post mortem ad Coelum nunc vocare, consequens est: Statim ergo post mortem eos ad Coelum nunc vocare, dicendum. Quare idem Ap. ad Heb. 12. Ecclesiam in Coelis triumphantem depingens, *accessistis* (inquit) *ad Sion montem, et Civitatem Dei viventis, Ierusalem Coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Coelis*; ubi Martyres vita functos cives Regni Coelestis vocat. Cives autem non fuissent Regni Coelestis, si statim vita functos Coelestis gloria eos non suscepisset: Haec ergo eos statim vita functos susceperat.

Quibus demum accedat D. Stephani oratio, cum, ut legitur Act. 7., mortem pro Christo suscepturus lapidibus obrutus, ac *videns Coelos apertos, et* Jesum *stantem a dextris Dei ... Domine Jesu* (ait) *suscipe spiritum meum.* Ubinam autem hujusmodi orationi locus, nisi credidisset, statim ejus spiritum corpore solutum a Christo suscipi? Nec non illud Apoc. 6., ubi: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni. Et ideo sunt ante thronum Dei.* Idem autem dictu, quod sunt ante thronum Dei, ac Dei conspectu jam frui: Hujus ergo conspectu jam fruuntur.

Prob. 2. ex Conc. Gen. Lugdunensi in professione fidei, ubi: *Credimus, illorum animas, qui post Sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, sunt purgatae, mox in Coelum recipi.* Eamdem fidei professionem edidit quoque Conc. Flor., eique addidit: *Et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* Quod autem Lugdunense, et Flor. declaraverant, Trid. supponit sess. 25. de invocatione

semper constabilitur; confirmatur enim prima propositionis pras, dum

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Scripturis; ut ex ep. 1. ad Cor. c. 13. *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem.* Ibi autem Apostolus et opponit statum vitae praesentis statui vitae futurae; et eum loqui, non tantum de tempore, quod erit post universale Iudicium, sed de illo, quod ab animabus omnino mundis post mortem corporis agitur, ex eo patet, quod loquitur de tempore, quo *prophetiae evacuabuntur, linguae cessabunt, scientia destruetur*, quae desinent respectu uniuscujusque, non tantum post extremum Judicium, sed statim ab ipsius morte. Statim igitur ab hac animabus omnino mundis Deus conspiciendum se dabit *facie ad faciem*; ideoque dicendum, quod justorum animae, quibus etc.

Item ex ep. 2. ad Cor. c. 5. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in Coelis.* Evidens autem est, per domum aeternam, ac coelestem exprimi ab Apostolo aeternam beatitudinem, quam praestabit visio Dei intuitiva. Statim ac ergo terrestris, ac caduca haec domus dissoluta fuerit, sive statim post mortem, illam nos excipere, modo nihil luendum habeamus, consequens est.

Item ex eo, quod ibidem subdit; *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus* (idest optamus) *magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Optandum autem id non esset, si nonnisi post resurrectionem ad Dei speciem, seu conspectum perveniremus, quia non in peregrinatione a corpore, sed in corporis resumptione ad illius conspectum admitteremur. Non igitur in resumptione corporis, sed in peregrinatione a corpore, idest post mortem, ejus conspectu, si, nihil sit nobis luend•m, fruemur. Hinc idem Ap. ad Phil. 1., *desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*, ab ejusmodi desiderio coarctari, testabatur. Frustra autem optasset dissolvi, ut cum Christo esset, si corpore solutus, statim ad eum non migrasset; Haec ergo ejus fides. Quare et prius Regius Psaltes de Novo Foedere prophetans dixerat Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis*

somnum, ecce haereditas Domini.

Item ex ep. ad Eph. 4., ubi de Christo in Coelos ascendente ait Ap., quod *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*; idest, ut PP. interpretantur, secum duxit in Coelum justos omnes a limbo, in quo detinebantur, erutos. Quod si, illo ad Coelos ascendente, secum duxit omnes justos in limbo detentos, omnes quoque justos, quibus nihil luendum sit, statim post mortem ad Coelum nunc vocare, consequens est: Statim ergo post mortem eos ad Coelum nunc vocare, dicendum. Quare idem Ap. ad Heb. 12. Ecclesiam in Coelis triumphantem depingens, *accessistis* (inquit) *ad Sion montem, et Civitatem Dei viventis, Jerusalem Coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Coelis*; ubi Martyres vita functos cives Regni Coelestis vocat. Cives autem non fuissent Regni Coelestis, si statim vita functos Coelestis gloria eos non suscepisset: Haec ergo eos statim vita functos susceperat.

Quibus demum accedat D. Stephani oratio, cum, ut legitur Act. 7., mortem pro Christo suscepturus lapidibus obrutus, ac *videns Coelos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei ... Domine Jesu* (ait), *suscipe spiritum meum.* Ubinam autem hujusmodi orationi locus, nisi credidisset, statim ejus spiritum corpore solutum a Christo suscipi? Nec non illud Apoc. 6., ubi: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni. Et ideo sunt ante thronum Dei.* Idem autem dictu, quod sunt ante thronum Dei, ac Dei conspectu jam frui: Hujus ergo conspectu jam fruuntur.

Prob. 2. ex Conc. Gen. Lugdunensi in professione fidei, ubi: *Credimus, illorum animas, qui post Sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, sunt purgatae, mox in Coelum recipi.* Eamdem fidei professionem edidit quoque Conc. Flor., eique addidit: *Et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* Quod autem Lugdunense, et Flor. declaraverant, Trid. supponit sess. 25. de invocatione

SS., ubi docet, *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre. Illos vero, qui negant, Sanctos. aeterna felicitate in Coelo fruentes invocandos esse, impie sentire.*

Prob. 3. ex Ben. XII., qui fuit successor Jo. XXII., ac solemni Constitutione, quae incipit *Sicut habet* ap. Raynaldum ad ann. 1334., et alia, quae incipit *Benedictus Deus*, definiit, animas SS. ante resurrectionem corporum, et Judicium generale, Deum videre visione, ut ait, *faciali, et intuitiva*; eosque, velut haereticos, habendos esse, qui pertinaciter scripto, vel verbo contrarium docuerint.

Prob. 4 ex PP.; quamvis enim non pauci ex iis, fide nondum declarata, ac definita, docuerint, animas plene purgatas cum Christo regnaturas mille annis, non tamen ad sensum Cerinthi; vel expectaturas ultimi Judicii diem, ut intuitiva Dei visione fruerentur: oppositum tamen docuere 1.° PP. nobiliorum Ecclesiarum; scilicet Romanae, ut constat ex Clemente hujus nominis I., ac D. Petri discipulo, qui ita in 1. ad Cor. ep. *Accipiamus prae oculis nostris bonos Apostolos. Petrus non unum, aut alterum, sed multos sustinuit labores, atque ita martyr effectus discessit ad debitum gloriae locum, etc.* Porro quinam gloriae locus, nisi Coelum? Et quaenam gloria, nisi intuitiva Dei visio? Antiochenae, ut constat ex D. Ignatio in ep. ad Rom. *Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci . . . Meus amor crucifixus est, et non est ignis amans ullam aquam, sed vivens, et loquens in me: Veni ad Patrem.* Alexandrinae, ut constat ex D. Dionysio, de quo ita D. Hier. praef. in l. 18. in Isaiam: *Irenaei Lugdunensis Episcopi faciam mentionem, adversus quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinae Ecclesiae Pontifex elegantem scripsit librum, irridens mille annorum fabulam.* Carthaginensis, ut constat ex D. Cypriano l. de Mortalitate in calce: *Quanta est dignitas, et quanta securitas, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et Mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus!* Quod si Patres nobiliorum Ecclesiarum doctrinam Millenariorum ignoraverunt, ac tamquam fabulam irriserunt; docueruntque, animas plene purgatas statim a corporis separatione in Coelum recipi ad Deum conspiciendum, Patres profecto ex adverso stantes vim Ec-

clesiasticae Traditionis non habere, consequens est.

Sed et accedit, quod PP. longe majores numero, et auctoritate potiores id, quod modo fide declarata constat, et ipsi credidere. Ita enim ex Graecis D. Chrysost. exposit. in Ps. 41. in illa verba: *Quando veniam, et apparebo*, ubi: *Vide ardentem hominem, vide inflammatum. Sciens enim se, cum hinc recesserit, Deum esse visurum, ne expectat quidem dilationem.* Et hom. 3. in ep. ad Philipp.: *Justi vero, sive hic, sive in futuro saeculo fuerint, cum Rege sunt; illic tamen magis, et propius, non interjecto vestibulo, non per fidem, sed facie ad faciem.* Ita etiam D. Greg. Naz. or. 10., ubi Caesario fratri jam mortuo sic loquitur: *Tu vero magno illi Regi astans, atque illinc emicante lumine repletus, etc.* Ex Latinis vero ita D. Ambros. l. 10. in Luc., ubi de lapsu Petri agens, *unde* (ait) *te evocem, Petre, ut doceas me; quid flens cogitaveris? Unde, inquam, te evocem de Coelo, ubi jam choro insertus es Angelorum?* Angeli porro faciem Dei semper vident. Et l. de bono mortis c. 10., postquam ait, animas corporibus exutas repromissam assequi haereditatem, etc., addit: *Hanc remunerationem habent justi, ut videant faciem Dei, etc.* Ita etiam D. Aug. tr. 26., et 29. in Jo., scribens, *Sanctorum spiritus jam habere vitam aeternam.* Idem porro vitam aeternam esse, ac Regnum Coelorum, diserte propugnavit S. D. contra Pelagianos. Et l. 20. De Civ. Dei c. 15. ait de justis plene purgatis nunc temporis obeuntibus, quod pretio sanguinis Christi redempti, *prorsus inferos nesciunt.* Ita etiam D. Hieron. loco supra cit. Ita demum D. Bern. ep. 374. S. Malachiam alloquens: *Absit, ut tua nunc, o anima sancta, minus efficax aestimetur oratio, quando praesenti vividius supplicare est Majestati, nec jam tu fide ambulas, sed in specie regnas. Absit, ut imminuta tua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis aeternae procumbis, pleno hauriens ore, cujus et ipsa prius stillicidia sitiebas.*

Non defuerunt quidem, qui dicerent, Ambrosium, Augustinum, et Bernardum docuisse, quod Sancti nonnisi post generale Judicium promeritam beatitudinem obtinebunt. Sed immerito, ut ostendit prae aliis Laur. Berti, si haec advertantur pro eorum genuino sensu capessendo: 1.° quaestionem de statu animarum SS. discrepare

a quaestione de loco: persuasum namque nobis est, Animas plene purgatas in Coelum recipi, quia fides quoad hoc declarata nunc temporis est; et definita; sed non ita prioribus Ecclesiae saeculis, in quibus, etsi non dubitaretur de gloria earumdem ante Judicium generale, dubitabatur tamen a plerisque, inter quos Ambr., et Aug., de loco gloriae. 2.° dixisse D. Ambr. l. de bono mortis c. 10., quod *coronae dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem et victi erubescant, et victores palmam adipiscantur victoriae*, quia corona proprie dicitur, quae datur victoribus publice cum pompa, et celebritate, hanc vero Sancti non obtinebunt, nisi in generali Judicio 3.° quod cum animas Sanctorum sollicitet naturale desiderium suorum corporum, ut scribit D. Aug. *l. 12. de Gen. ad lit. c.* 35.; hinc ajebant quod nonnisi post generale Judicium completam, et consummatam consequentur beatitudinem, quia non prius quam post corporum resurrectionem duplici stola vestientur, ut ait D. Bern. ser. 2. de omn. SS., quarum *prima ipsa est felicitas, et requies animarum, secunda vero immortalitas, et gloria corporum.*

Prob. 5. multiplici ratione; 1. enim Angelos, qui fideles permanserunt, statim in Coelo ad intuitivam Dei visionem admissos fuisse, constat ex illis Christi verbis Matth. 18. *Angeli eorum in Coelis semper vident faciem Patris mei.* Animas autem justorum, quibus nihil luendum est, eamdem cum Angelis gloriam assecuturas, communis est SS. PP. doctrina: Et has igitur statim ad intuitivam Dei visionem admitti, dicendum est.

2. Fide constat; impios statim a morte aeternis addici suppliciis; ut patet ex historia divitis Epulonis, qui, ut dicitur Luc. 16., *mortuus est, et sepultus est in Inferno.* Est autem Deus pronior ad rependendam mercedem, quam ad poenam infligendam: Justorum ergo animas, quibus nihil luendum est, statim quoque a morte Coelorum gloria donari, consequens est.

3. Commune est apud fideles, animas plene purgatas decedentes et beatas vocare, et earum opem, et patrocinium apud Deum implorare, Ut autem ait Coelestinus Summus Pontifex in 2. ad Episcopos Galliae ep., *legem credendi statuit lex supplicandi*: Credendum igitur, promissam beatitudinem revera obtinuisse, ac Deo jam frui.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Et 1.° objicitur contra 1. partem illud Christi apud Matthaeum c. 19., quod quisquis propter eum temporalia reliquerit, *centuplum accipiet*, *et vitam aeternam possidebit*; nec non, quod *beati qui esuriunt*, *ac sitiunt justitiam*, *quoniam ipsi saturabuntur*. Praeter Regnum Coelorum igitur redditur iis post hanc vitam centuplum voluptatum, quibus pro Christo renuntiarunt, epularumque satietas. Quod et confirmatur ex Christi verbis Luc. 22. *Ego dispono vobis*, *sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*, *ut edatis*, *et bibatis super mensam meam in Regno meo*. Nec non Matth. 26., quum in Coena recumbens, ait: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum*, *cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.*

R. neg. cons.; quoad 1.m namque, illud centuplum spiritualiter intelligendum esse, ex eo patet, ait D. Hieron., quod *si in caeteris digna sit repromissio*; *in uxoribus appareat turpitudo*, *ut qui unam pro Domino dimiserit*, *centum recipiat in futuro*? Retributionem autem in spiritualibus centuplum vocari, quia, ut ait idem S. D., *comparatione*, *et merito sui ita erunt*, *quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur*. Nec praetermittendum, quod multi Patres duas promissiones retributionis in verbis Christi agnoscunt, in hac vita scilicet, et in futura.

Quoad 2.m vero, satietatem illam spiritaliter quoque intelligendam esse, ex eo patet, quod talis erit satietas, qualis nunc fames, et sitis. Loquitur autem Christus cit. loco de fame, et siti spiritali, idest, justitiae: Ergo et de spiritali saturitate. Accedit, quod fames, et sitis in cit. textu vehementem appetitionem significat; quare et saturitatem plenum animarum gaudium significare, consequens est; juxta id. quod dicitur in Ps 16. *Satiabor*, *cum apparuerit gloria tua*. Et Ps. 106. *Animam esurientem satiavit bonis.*

Quoad 3.m, commune quoque est, quod illud edere, et bibere metaphorice accipienda sunt pro frui, et oblectari; quodque eo loquendi genere usus fuit Christus, propterea quod in more erat apud Judaeos per verba edendi, et bibendi felicitatem intelligere. Sicut tiam quoad 4.m, metaphorice accipi debere Christi ver-

ba ultimo allata ; nisi ad litteram velimus illa interpretari de tempore, quo Christus post Resurrectionem cum Apostolis conversatus fuit, manducans cum illis, et bibens, ut refertur Act. 10.

Objic. 2.° ex Apoc. 20., ubi Joannes, *se vidisse* (ait) Angelum, *qui Draconem serpentem antiquum apprehendit, et ligavit per mille annos. Animas decollatorum propter testimonium Jesu Christi vixisse, et qui non adoraverunt bestiam, neque imagines ejus, et regnasse cum Christo mille annis : caeteros vero mortuorum non vixisse, donec consummentur mille anni.* En Regnum Christi cum justis per mille annos, ac simul duplex resurrectio indicata ; dicitur enim, *animas decollatorum vixisse, caeteros vero mortuorum non vixisse, donec consummentur mille anni*, ac subditur : *Haec est resurrectio prima. Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.* En legis holocautomata rursus offerenda. Demum vero dicitur, quod *cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas, et exibit, et seducet gentes. Et vidi mortuos, magnos, et pusillos. . et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors, et infernus dederunt mortuos suos, et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Postquam Christus ergo regnaverit cum justis per mille annos, resurrectio ipsorum impiorum erit, ac generale judicium fiet.

R. negando primum. Regnum Christi cum justis per mille annos, de quo illic Apocalypsis loquitur, esse Regnum ad sensum Millenariorum ; quod enim in laudato Apocalypsis loco tribuatur illud Regnum solis Animabus, ex eo patet, quod dicitur, *Animas decollatorum* (pro quibus intelliguntur Martyres propter frequentissimum securis supplicium), *et qui non adoraverunt bestiam, neque imagines ejus* (pro quibus intelliguntur animae aliorum justorum) *vixisse, et regnasse cum Christo mille annis.* Millenarii autem illud tribuunt animabus simul, et corporibus : Non igitur ad sensum Millenariorum esse intelligendum, manifestum est. Quare Interpretes intelligunt ibi per mille annos totum temporis spatium a Christi morte usque ad Antichristi adventum, cum familiare sit Scripturis longum temporis spatium numero

millenario designare ; ut Ps. 104. *Memor fuit in seculum testamenti sui* ; *verbi , quod mandavit in mille generationes* ; iisque praeiverat D. Aug. l. 20. de Civ. Dei c. 7. , ubi ait , *mille annos pro annis omnibus hujus saeculi intelligendos esse , ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.* Per istud vero temporis spatium Satanas ligatus dicitur , quia per Christi mortem erepta fuit Diabolo nocendi potestas , juxta illud ipsius Christi Jo. 12. *Nunc judicium est Mundi , nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras* : ac Sancti dicuntur cum Christo regnasse , ob gloriam , qua in Coelo fruuntur , et ob cultum , quo in Ecclesia honorantur.

Negatur 2.° , quod duplex ibi describatur resurrectio , nullatenus enim Joannes corporum meminit , sed animarum dumtaxat , ac nonnisi hae dicuntur cum Christo regnasse : sed per primam resurrectionem ipsa animae beatitudo exprimitur , quemadmodum etiam appellatur et a Daniele c. 12. ; et ab Apostolo ad Heb. c. 11. , cum enim anima fuerit soluta corpore , quo velut carcere detinebatur , quasi vivere , ac respirare , et ad novam vitam avolare , intelligitur.

Negatur 3.° , quod adimpleturi sint Sacerdotum ministeria secundum legem Mosaicam , cum sermo sit de animabus , non de hominibus in corpore viventibus : sed Sacerdotes dicuntur , ait Estius , quia reddunt Deo sacrificium laudis : utque exponit Nat. Alex. , quia intimi Dei amici ; quare de omnibus praedestinatis dicitur Apoc. 1. *Et fecit nos Regnum , et Sacerdotes Deo , et Patri suo.*

Negatur demum , quod corporum resurrectio , de qua subinde fit sermo , erit tantum impiorum , quasi electorum corpora ante mille annos resurrexerint ; si enim ante id tempus resurrexissent , non diceretur de solis animabus cum Christo regnasse. Sensus ergo est , quod elapso illo tempore , solvetur Satanas , Antichristus adveniet ad Sanctos oppugnandos , ac universa caro resurget : post cujus resurrectionem Judicium generale fiet , quo unicuique retribuetur juxta opera sua ; eritque haec retributio quoad justos , tamquam secunda resurrectio , utpote plena felicitas tum animae , tum corporis ; quoad impios , tamquam secunda mors , quia eos anima simul , et corpore in Infernum detrudet.

Objic. cont. 2. part. Et 1.° ex c. 20. Matth.

Cum sero factum esset, dicit Dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Sub vesperam igitur, idest in fine Mundi, merces unicuique tribuetur.

R. neg. cons.; nam per verba *cum sero esset* vel vitae terminus designatur; vel si ad extrema Mundi referuntur, accipi recte possunt de beatitudine completa, quam tunc electi anima simul, et corpore consequentur. Nec desunt Interpretes, qui de variis justorum generibus Christi parabolam explicant, quorum alii ab ineunte aetate Deo servierunt, alii se ei dederunt in vitae decursu, alii nonnisi senio confecti: qui tamen si in pari charitatis perfectione decedant, et in pari operum charitatis mensura, singuli denarium, seu idem praemium a Deo remuneratore recipient.

Objic. 2.° ex eod. Matth. c. 25. *Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione Mundi*: Nonnisi ergo post generale Judicium Coeleste Regnum Electi possessuri erunt.

R. neg. cons., non enim animabus separatis, sed in resumpto corpore viventibus id dicetur. Et impiis namque, quos statim post mortem in gehennam labere, nemo umquam negavit, Supremus ipse Judex dicet: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.* Porro si ab objectis verbis sequeretur, quod electi nonnisi post Generale Judicium Coeleste Regnum obtinebunt, sequeretur etiam ex his, impios nonnisi post Generale Judicium in gehennam detrusuros esse.

Objic. 3.° ex ep. ad Heb. 11., ubi Ap. de Sanctis veteris legis ait: *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem: Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Si ergo nec habuerunt adhuc repromissionem, nec sempiterna felicitate sunt sine nobis donandi, omnes justos eodem tempore in Coelestem Patriam assumpturos esse, consequens est.

R. neg. cons.; per repromissionem namque intelligit ibi Apostolus promissionem Terrae Chanaan, non vero gloriam Coelestem; ait enim, quod Gedeon, David, Samuel, Barac, Jephte, Samson, et Prophetae illam adepti sunt; alii, ut Abraham, Jacob, Joseph,

Moyses, aliique illam non accepere, sed probati sunt testimonio fidei, quorum idcirco exemplo nos ad patientiam hortatur. Subdit vero: *Deo pro nobis melius aliquid providente*, nobis namque datum est et exemplum Christi, et uberior gratia; *ut non sine nobis consummarentur*, quia antequam Christus pro iis simul, et nobis sanguinem fudisset, participes non fuerunt aeternorum bonorum, nec ante ejus generale Judicium donandi erunt sine nobis corporis immortalitate.

Objic. 4.° ex 1. ad Cor. 16 *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. . et qui dormierunt in Christo, perierunt.* Ad resurrectionis ergo tempus omnis fides nostra, ac spes differenda est.

R. neg. cons.; sensus namque Ap. est, quod si Christus non resurrexisset, ut non semel praedixerat, falsa nos docuisset; ex quo sequeretur, et quod fides nostra esset vana, quia crederemus mendaci; et quod, qui pro ipso passi fuerant, periissent.

Objic. 5.° ex ep. 1. Jo. c. 8. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Non ergo Deum videbimus ad Christi similitudinem, nisi postquam apparuerit vivos, et mortuos judicaturus.

R. neg. cons.; verba enim *cum apparuerit* referenda sunt ad immediate antecedentia *non apparuit, quid erimus*, idest quomodo futuri sumus in meliore illo saeculo, cujus spem habemus. Quod si ad Christum referri velint, sensus est, quod cum apparuerit omnes judicaturus, similes ei erimus, *quoniam reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*

Objic. 6.° ex c. 6. Apoc., *Vidi subtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei. . voce magna dicentes: Usquequo, Domine, non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Cum ergo dicantur subtus Altare positae, et judicium, ac vindictam postulare, dicendum non est, quod beatitudinem assecutae fuerint.

R. neg. cons.; dicuntur enim eodem cap. stare *ante thronum in conspectu Agni, amictae stolis albis, et palmae in manibus earum.* Dei ergo intuitiva visione, ac promerita felicitate fruuntur. Quare per ver-

ba *subtus Altare* vel quietis, ac pacis locus intelligendus est, qui vel altare, vel sinus Abrahae, vel cubile interdum dicitur, ut Ps. 149., ubi: *Exultabunt Sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis*: vel Christi humanitas, quae per metaphoram dicitur Altare, quia Sanctorum merita, et orationes Deo non placent, nisi in Christo, et per Christum Summum Pontificem ipsi in sacrificium offerantur. Sunt autem subtus Altare, ubi Altare hoc secundo sensu accipiatur, quia in gloria infra Christum. Dicuntur vero clamare, et vindictam petere, *non tamquam vindictae cupidi* (ait D. Bern. ser. 3. in festo omn. SS.), *sed ex desiderio resurrectionis, et glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem judicii differendam esse, non dubitant.*

Objic. 7.° ex Liturgiis, quod in canone Missae Sacerdos indistincte orat: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, et pacis, ut indulgeas, deprecamur.* Et in Missa Defunctorum pro cunctis quoque indistincte orat, ut eorum Animas *Deus liberet de profundo lacu, ac signifer S. Michael repraesentet eas in lucem Sanctam*: Nemo igitur statim a morte locum refrigerii, lucis, et pacis, ac lucem sanctam, intuitivam nempe Dei visionem, consequitur.

R. neg. cons.; quoad 1.m enim, orat quidem Ecclesia pro omnibus generatim fidelibus defunctis, ita tamen, ut orationes illae per accommodam distributionem animabus, quibus aliquid luendum sit, prosint ad liberationem a poenis Purgatorii, et aeternae beatitudinis possessionem quantocius concedendam: pro iis vero qui jam illam adepti fuerint, gratias Deo referat, eorumque patrocinium apud Deum imploret. Apposite D. Aug. in Enchir. c. 110. *Cum sacrificia sive Altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis, etsi nulla sint adjumenta, qualescumque vivorum consolationes sunt.* Quoad 2.m vero, ita orat Ecclesia, spectando diem ipsum mortis: infrequens namque apud eam non est, quod in sacris functionibus res praeteritas ex desiderii sui ardore, velut futuras,

consideret, ut patet ex precibus, quas fundit tum tempore Adventus, ut cito Christus veniat, tum in aliis Anni solemnitatibus, ut Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, etc. Quibus accedit quoad 1.m, quod etiam Animae in Purgatorio detentae dici possunt dormientes in somno pacis ob certitudinem gloriae, et gratiam sanctificantem; quemadmodum Sancti mortales inter tribulationes pacem habere dicuntur. Quoad alterum vero, quod multi Theologi munus D. Michaeli tribuunt suscipiendi animas de Purgatorio, ut eas ducat in Paradisum exsultationis.

Objic. 8.° Christus post mortem non ascendit statim in Coelum secundum Animam, sed descendit ad Inferos, nec sine corpore in Coelum ascendit. Sancti autem debent Christo conformes fieri, tamquam membra suo Capiti; nec servus supra Dominum esse debet: Nec igitur Sancti ad Coelestem gloriam statim admittuntur, sed postquam sua corpora receperint.

R. 1.° dist. maj.; quod nempe anima Christi non ascendit quidem in Coelum Corporeum sine corpore: quia tamen Deum perfectissime videbat ab ipso suae conceptionis initio, jam erat in Coelo spirituali, quod et Angeli Sancti, quocumque mittantur, numquam deserunt. 2.° dist min., quod scilicet Sancti debent Christo conformes fieri in multis, non tamen plane in omnibus, ut in eo, quod miracula fecit, quod clamans expiravit, quod ejus corpus corruptionem non vidit, quod tertia die resurrexit, etc., cum haec non fuerint ad imitationem, sed ad doctrinam. Et sic etiam neque illi conformes fieri in eo, quod descendit ad inferos, neque enim hoc fuit, ut nobis ad inferos viam pararet, sed ut justorum animas inde, ubi detinebantur, educeret.

Objic. 9.° Anima non meretur sine corpore. Ergo nec debet sine corpore coronari.

R. neg. cons.; tum quia anima est causa principalis bonorum operum; tum quia non omnia bona opera exercet per corpus, sed pleraque solo intellectu, et voluntate, cum e contrario nequeat corpus sine illa agere; tum demum, quia anima separata capax est gloriae, non item corpus separatum.

CAP. III.

De objecto visionis Beatificae.

Quidnam Beati intuitive Deum videndo in eo videant, declarandum modo est. Qua super re duplex a TT. distinguitur visionis Dei objectum; primarium nempe, idest *eorum*, *quae a Deo non distinguuntur*; ac secundarium, idest *eorum*, *quae a Deo sunt distincta*. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Quidquid est Deo intrinsecum, et essentiale est primarium visionis Dei objectum. Est de fide.

Prob. Est enim visio beatifica visio Dei, ut D. Paulus loquitur 1. ad Cor. 13., *facie ad faciem*; utque loquitur D. Jo. ep. 1. c. 3., visio Dei, *sicuti est*. Non esset autem hujusmodi, ut per se patet, si aliquid Deo intrinsecum, et essentiale Beatos lateret: Nihil ergo istiusmodi eos latet; ac proinde quidquid etc.. Alibi autem explicatum est, pag. 93, et sequ., quomodo nihilominus non sit comprehensiva.

Prop. II. Vident Beati simul cum Dei essentia Personas quoque, ac omnia ejus attributa: nec de ipsa potentia Dei absoluta est possibile, quod videant Dei essentiam sine attributis, vel unam Personam sine alia, vel attributum aliquod sine aliis. Prima pars est de fide: altera communior contra Scotistas.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex verbis Christi ap. Jo. 14. *Qui videt me, videt et Patrem meum*. Hinc autem sequitur, quod videat etiam Spiritum Sanctum, ob identitatem scilicet naturae. quae communis est tribus Personis, et ab iis realiter indistincta; quare illico subdit Christus: *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Nec non et cuncta Naturae Divinae attributa, cum Deus non minus sit Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, quam sapiens, justus, etc.: Vident ergo Beati simul cum Dei essentia Personas quoque, ac omnia ejus attributa.

2.° Ex Flor. in Decreto fidei, in quo definiit, *Beatos intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est.*

3.° Ratione; per visionem enim beatificam vident Deum Beati, sicuti est in seipso. In seipso autem est unus in essentia, trinus in Personis, ac omnis perfectio:

Ergo. Deinde vident Beati ex probatis quidquid est Deo intrinsecum, et essentiale. Istud autem complectitur ejus essentiam, personas, et attributa. Igitur vident Beati simul cum Dei Essentia Personas quoque, ac omnes ejus perfectiones, seu Attributa.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex D. Aug. in Ps. 85., ubi in Christi verba, quae supra laudavimus: *Patris* (ait), *et Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura, et substantia, visio separari non potest.* Et l. 2. De Trin. c. 8. *Neuter sine altero potest ostendi. Unum quippe sunt, sicut ipse ait: Ego, et Pater unum sumus.*

2.° Multiplici ratione; 1.° enim quae sunt prorsus inseparabilia, nec de ipsa potentia Dei absoluta separari possunt. Sunt autem prorsus inseparabilia in Deo essentia, personae, et attributa: Nec igitur de ipsa potentia Dei absoluta separari possunt: ex quo sequitur, quod nec etiam de ipsa potentia Dei absoluta fieri potest, quod intuitive Deus videatur, nec simul videantur Personae, ejusque attributa.

2.° Si Natura Divina in sola Persona Patris subsisteret, quisquis videret essentiam absque Patre, non eam videret intuitive, et prout est in se. Subsistit autem Natura Divina in tribus Personis: Si ergo Beati illam intuitive, et, prout est in se, viderent absque tribus Personis, illam intuitive, et, prout est in se, viderent simul, et non viderent. Quod cum repugnet de ipsa potentia Dei absoluta, eademque ratio militet de Attributis, sive cum Divina substantia, sive inter se comparentur, dicendum proinde est, quod nec de ipsa potentia Dei absoluta fieri possit, quod Deus intuitive videatur, quin simul Personae, ejusque Attributa videantur.

3.° Absolute repugnat, quod clare, et intuitive videatur Ens simplicissimum, quin simul videantur omnia, quae illi insunt, et cum quibus realiter idem est. Est autem Deus Ens simplicissimum, idemque realiter cum Personis Divinis, et cum omnibus perfectionibus in ipso existentibus: Absolute igitur repugnat, quod clare, et intuitive videatur, quin simul videantur Personae, ac omnes perfectiones, quae illi insunt: cumque nec de ipsa potentia Dei absoluta sit possibile quod absolute repugnat, sequitur, quod nec de ipsa potentia Dei abso-

luta est possibile, quod Beati videant Dei essentiam sine Personis, vel attributis, vel unam Personam sine alia, vel attributum aliquod sine aliis.

Nec valet cum Scotistis dicere, quod sicut sufficit distinctio formalis, idest conceptuum inter Naturam, et Personas, ut quamvis summa sit Naturae Divinae simplicitas, Pater communicet Filio Naturam, non communicata Personalitate, et Filius caro fieret, quin simul carnem sumerent Pater, et Spiritus Sanctus: ita eadem sufficit, ut Beati possint Divinam essentiam sine attributis videre, vel unum attributum sine alio, immo et essentiam, non visis Personis. Respondetur enim negando paritatem; non enim distinctio formalis, idest conceptuum inter Naturam, et Personas Divinas est ratio, cur Pater communicet Filio Naturam, non communicata Personalitate, et Filius potuerit caro fieri, quin simul carnem sumeret Pater, et Spiritus Sanctus, sed relationis oppositio inter Personas Divinas, per quam inter se invicem realiter distinguuntur. Et sane, quamvis eadem distinctio formalis, idest conceptuum, adsit quoque in Divinis inter Naturam, et Attributa, potestne tamen vel Pater Naturam Divinam Filio communicare, quin ei simul communicet omnia ejus attributa: vel potuitne Filius caro fieri, quin caro fieret Deus sapiens, immensus, omnipotens, et quidquid est a Persona Filii indistinctum? Relationis ergo oppositio inter Personas Divinas, per quam inter se invicem realiter distinguuntur, en ratio, cur Pater communicet Filio Naturam, non communicata Personalitate, et Filius potuerit caro fieri, quin simul carnem sumeret Pater, et Spiritus Sanctus, non vero distinctio formalis inter Naturam, et Personas Divinas.

Sed instant. Potuitne tamen una Persona absque alia incarnari? Ergo et potest una Persona absque alia videri. Respondetur tamen negando cons.; potuit enim una Persona absque alia incarnari, quia in ratione personae una ab alia realiter distinguitur: non tamen una Persona absque alia videri, quia Personae Divinae unum, idemque sunt cum Divina Essentia, qua proinde intuitive visa a Beatis, nequeunt Personae Divinae simul cum ea non videri. Et sane si Patris, et Filii, quemadmodum una est Natura, ita eadem esset Persona, non potuisset Filius caro fieri, quin simul caro fie-

ret et Pater, quemadmodum Filius incarnari non potuit, quin incarnaretur Deus sapiens, immensus, omnipotens, et quidquid est a Persona Filii indistinctum. A pari igitur, cum Personae Divinae unum, idemque sint cum Natura Divina, nequit haec a Beatis conspici, quin simul Personae Divinae conspiciantur.

Prop. III. Vident item Beati mysteria omnia, quorum in Terris habuerunt fidem; nec non pleraque ex iis, quae in Terris geruntur, et quae ad rerum creatarum ordinem spectant. Prima pars est de fide: altera est theologice certa.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis; ut ex Apostolo 1. ad Cor. 13., ubi loquens de fidei mysteriis, ait: *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem.* Et 2. ad Cor. 3. *Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem.*

2. ex PP., ut ex D. Aug. l. 20. de Civ. Dei c. 1. *Quid videbimus, nisi Deum, et omnia illa, quae nunc non videmus credentes? Hic credimus, illic videbimus.* Et D. Gr. M. l. 18. Moral. c. ult. *Haec visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficietur, quando coaeternam Dei sapientiam, quam modo per ora praedicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte bibemus.*

3. Ratione; nam visio beatifica debet respondere fidei, cujus est merces, et finis. Per fidem autem crediderunt Beati in Terris, quae ipsis obscura erant, et inevidentia: Per visionem ergo beatificam debent ipsis fieri clara, et evidentia. Utque idem diversimode dicamus, debet praemium respondere merito. Meritum autem fidei in eo consistit, quod propter auctoritatem Dei revelantis firmiter credantur ea, quae sunt obscura, et inevidentia: Praemium igitur fidei in eo debet consistere, ut eadem illa clare, et evidenter cognoscenda proponantur.

Prob. 2. pars. Et 1.° etiam ex Scripturis; ut ex Luc. 15., ubi: *Gaudium erit in Coelo super uno peccatore poenitentiam agente.* Et 1. ad Cor. 4. *Spectaculum facti sumus Mundo, et Angelis, et hominibus.* Haec autem probant, multa a Coelestibus incolis videri, quae in Terris geruntur: Ergo.

2. Enumeratione eorum, quae tum ex his, quae in Terris geruntur, tum ex iis, quae ad rerum creatarum

ordinem spectant, Beati vident. Nam vident preces, quas viventes ad eos dirigunt. Quod probatur 1.° ex c. 12. Tob., ubi ita ad eum Angelus Raphael: *Quando orabas cum lacrymis . . ego obtuli orationem tuam Domino*. Nec non ex Apoc. 5., ubi: *Cum* (Agnus) *aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum*. Et c. 8. *Et alius Angelus venit, et stetit ante Altare, habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, super Altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de de manu Angeli coram Deo*. Ut autem Angeli, caeterique Beati orationes Sanctorum, idest fidelium, Deo offerant, iis patere debent: Iis igitur patent. 2.° ex Trid. *sess.* 25. *de invoc. SS.*; ubi S. Synodus declaravit, *Eos, qui negant, Sanctos aeterna felicitate in Coelo fruentes invocandos esse, impie sentire*. Frustra autem invocarentur, ideoque invocandi non essent, si preces, quas ad illos fundimus, non cognoscerent: Ergo.. 3.° ex Conc. Senonensi in Decr. fidei, ubi damnati fuerunt, qui dicerent, nostras orationes a Sanctis non cognosci, eosque proinde a nobis non debere orari; dictumque fuit, recte id Summi Numinis providentia institutum, *ut pro nobis intercedant ejus Amici, Regnique consortes*. Ut autem pro nobis apud Deum intercedant, illis preces nostrae debent patere: Hae igitur illis patent. 4.° Ex communi omnium catholicorum sensu. Temere autem communis omnium catholicorum sensus contemneretur: Ergo.. 5.° Ratione D. Th. 2. 2. qu 83. art. 4., quia *maxime de et eorum excellentiam, ut cognoscant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde*. 6.° Quia secus non subsisteret communio, quam Christus instituit, et praecepit inter membra corporis sui, quod est Ecclesia in Coelis regnans, in Terris militans, et in Purgatorio patiens.

Vident quoque Beati quae hic sunt scientiae naturalis objecta, hujus nempe Universitatis naturam, et ordinem, eaque omnia, quae naturaliter sciri possunt. Quod probatur 1.° ex Ap. verbis ep. 1. ad Cor. c. 2., quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum*; ex quibus sequitur, Coelestem beatitudinem ea omnia emi-

nenter complecti, quae cor hominis concupiscit. Concupiscit autem prae aliis ea omnia scire, quae naturaliter sciri possunt: Horum ergo omnium scientiam complectitur; quae omnia idcirco Beatos cognoscere, dicendum est. 2.° ex eo quod id genus scientiâ fuit quoddam ex privilegiis justitiae originalis, in qua primi parentes conditi fuerunt; ut dicitur Eccli. 17. *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum.* Si autem quoddam ex privilegiis justitiae originalis, multo magis dicenda est coelestis beatitudinis donum, tum quia haec est ultima hominis perfectio, ad quam ordinabatur status justitiae originalis; tum quia non est credibile, minus perfectam rerum omnium scientiam cuilibet Beatorum Deum communicaturum, quam communicaverat Adam in statu innocentiae, utpote quo status gloriae longe sublimior, et perfectior est: Dubitandum igitur non est, quod Coelestis Beatitudinis donum sit quoque id genus scientia; qua idcirco Beatos frui, magis, magisque est perspicuum. 3.° Quia cum scientiam hujusmodi homo, ut diximus, naturaliter appetat, illam proinde ad ejus integram perfectionem, et felicitatem pertinere, consequens est. Cum autem beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, hominis appetitum explere debet, eumque plene perfectum, et felicem reddere: Patet ergo eo semper magis propositum.

Vident praeterea Beati quae ad proprium suum statum pertinent, ut Angeli, quae ad eos pertinent, quos in custodiam acceperunt; Parentes, quae ad suam familiam; Episcopi, quae ad Dioecesim; Reges, quae ad Regna, quae, dum viverent, administrarunt; nec non omnia, quae ab hominibus viatoribus in eorum honorem fiunt. Quod probatur 1.° ex laud. Conc. Senonensi in Decreto fidei; ubi dictum fuit, quod *Sanctis pervium est Divinitatis speculum, in quo, quidquid eorum intersit, illucescat.* 2.° ex eo, quod legitur l. 2. Mach. c. 15 de Jeremia, et Onia vita jam functis, orantibusque pro populo suo in magnis calamitatibus constituto, tametsi visionem intuitivam nondum ambo fuissent assecuti. 3.° ex D. Ambrosio, qui in orat. de obitu Theodosii docet, ipsum in Coelis curam habiturum suorum liberorum Honorii, et Arcadii. Alicujus autem curam habere praeexigit ejus necessitates noscere.

Vident demum Beati suos beatae patriae concives,

quia secus societas, ad quam homo natus est, stare non posset. Immo et vident eorum quoque intimas cogitationes, quas sibi invicem sponte revelant, ut solent domestici, et sincera dilectione conjuncti: *Tunc* (ita D. Ambr. de obitu Valentiniani) *nihil latebit proximum*, *nec erit*, *quod suis quisque aperiat*, *abscondat alienis*, *ubi nullus erit alienus*. Et D. Aug. ser. 43. *Cogitationes*, *quas modo non videt*, *nisi Deus*, *omnes invicem videbunt in illa Societate Sanctorum. Nemo ibi vult tectum esse, quod cogitat*, *quia nemo ibi male cogitat*.

Diximus *pleraque ex iis*, *quae in Terris geruntur*, *et quae ad rerum creatarum ordinem spectant*, *Beatos videre*; quod enim haec omnia non videant, patet tum ex eo, quod Ap. ait ad Eph. 3., Beatos Angelos scilicet ignorasse varias Incarnationis circumstantias, uti plures Interpretes explicant haec verba: *Mihi* (inquiens) *data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis*, *ut innotescat Principatibus*, *et Potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei:* tum ex eo quod ait Christus Matth. 24., quod nec Angeli, nec aliquis Beatorum ultimum Judicii diem sciunt, *de die illa* (inquiens), *et hora neminem scire*: tum ex eo demum, quod nec secreta cordis, nec futura contingentia cognoscunt. Ratio vero est, quia quidquid eorum Beati cognoscunt, vel id cognoscunt per visionem Dei intuitivam in ipsa Dei essentia, in qua sicut Deus videt res creatas secundum esse proprium, quod habent, aut habere possunt in seipsis, ita et Sanctos videre eas posse eodem modo, consequens est: vel id cognoscunt per speciales revelationes, et mutuas loquutiones, quomodo Angeli inferiores dicuntur illuminari a superioribus, et hi immediate a Deo. Porro Essentia Dei est, veluti speculum voluntarium, has, vel illas res creatas, prout ipsi Deo placuerit, unicuique Beatorum repraesentans, quia nempe, ut alibi diximus cum D. Ireneo, nonnisi *volens videtur ab hominibus*, *a quibus vult*, *quando vult*, *et quemadmodum vult*; quae vero Deus iis revelare velit, pendet quoque a liberrimo ipsius Dei beneplacito: Patet ergo propositum.

Prop. IV. Beati nec cognoscunt, nec cognoscere possunt omnia possibilia. Ita verisimilius.

Prob. ; 1.° enim ad cognoscendum omnia possibilia necesse esset cognoscere Dei Omnipotentiam, quantum cognoscibilis est. Nulla autem creatura potest Divinam Omnipotentiam cognoscere, quantum cognoscibilis est, cum sit infinite cognoscibilis, ideoque incomprehensibilis: Neque ergo omnia possibilia cognoscunt, vel cognoscere possunt Utque idem diversimode dicamus, nequeunt Beati Divinam Omnipotentiam comprehendere. Porro si omnia possibilia cognoscerent, Divinam quoque Omnipotentiam comprehenderent; quid est namque aliquam causam intensive comprehendere, nisi clare, et distincte ejus virtutem, et efficaciam videre? Cui accedit, quod nequit mens finita assequi quae sunt numero infinita. Sunt autem omnia possibilia numero infinita: Haec proinde omnia assequi non posse, consequens est.

CAP. IV.

De modo, ac medio, nec non inaequalitate Visionis Beatificae.

Quoad modum nempe, quaeritur, an Beati indigeant aliqua specie intelligibili ad Deum videndum? Qua super re duplex a TT. species distinguitur; *expressa* scilicet, quae est *ipsamet intellectus cognitio, per quam sibi ipsi exprimit id, quod cognoscit*; et dicitur etiam verbum mentis, quia per hujusmodi speciem intellectus veluti sibi ipsi loquitur: et *impressa*, eaque est, *quae objectum intellectui repraesentat, ut ab eo cognosci possit*; quare et dicitur species objecti vicaria. Quoad medium vero quaeritur, an ad Deum videndum necessarium sit auxilium quoddam supernaturale? An istud a Beatis habeatur per modum habitus? An saltem sit supplebile per uberiorem Dei concursum? Au demum ulli creaturae possibili naturale, ac debitum esse possit? Quoad inaequalitatem demum visionis Beatificae, erravit 4.° saeculo Jovinianus, nullum agnoscens, sicut in meritis, ita et in retributione discrimen: ac postmodum etiam saec. 16. Novatores, docentes, homines justificari per eamdem Christi sanctitatem singulis aeque imputatam. Contra quos oppositum docet fides Catholica; inaequalem nempe esse Sanctorum visionem beatificam. Ejus vero inaequalitatis causam moralem esse inaequalitatem meritorum, in comper-

to est apud omnes; physicam vero omnino, et adaequate esse lumen gloriae, quod pro meritorum diversitate majus, aut minus confertur, docent communius Theologi contra Scotistas docentes, inaequalitatem illam partim ex lumine gloriae, partim ex majori, vel minori intellectus perspicacia repetendam esse. Quibus praemissis, sit

Prop. I. In visione Beatifica nulla datur species, quae dicitur *impressa*; bene tamen, quae *expressa* dicitur. Ita communior, ac verisimilior sententia.

Prob. 1. pars; 1.° enim intelligitur per speciem impressam species, quae vices gerat objecti. Deus autem a Beatis, non per speciem ipsius vicariam, sed in seipso, et immediate videtur; ut patet et ex verbis D. Jo. ep. 1. c. 8. *Cum apparuerit, similes et erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*; et ex verbis D. Pauli ad Cor. ep. 1. c. 13., quod Coelites vident Deum *facie ad faciem*: Nulla igitur in visione Beatifica datur species, quae impressa dicitur. 2.° habet mens creata vim sibi repraesentandi objecta; utque eam exerceat, aliud non requiritur, nisi objecti applicatio. Hanc autem objecti applicationem, dum istud est praesens, et proportionatum (cujusmodi est Deus, nam et ubique est ob suam immensitatem, nobisque, ut ait D. Aug., intimior intimo nostro, et maxime spiritualis, et intelligibilis), fieri per aliquam speciem, quae objecti vices teneat, et simul cum mente ad cognitionem objecti concurrat, impressaque dicitur, nemo non videt, esse et inutile, et absurdum: Et inutilis ergo, ac absurda; ideoque figmentum, species ulla impressa, ut Beati intuitive Deum videant.

Prob. 2. pars; intelligitur namque per speciem expressam ipsamet intellectus cognitio, per quam intellectus sibi ipsi exprimit id, quod cognoscit. Quis autem vel dubitabit, vel dubitare poterit, quod Beati, dum Deum intuitive vident, eumdem cognoscant; quodque, ut loquitur D. Aug. l. 9. de Trin. c 11., *cum Deum cognoscunt, fit aliqua Dei similitudo illa notitia*? Immo, ut advertit D. Anselm. in Monol. c. 31., quamcumque rem animus intelligat, ejus similitudinem, quantum valet, in seipso exprimit: Patet ergo propositum.

Objicitur quidem contra 1.m partem illud Apostoli ep. 2, ad Cor. 5., quod hic *ambulamus per fidem, non per speciem* Intelligit autem Ap. per *speciem* visionem beatificam: Hanc igitur per speciem fieri, consequens est.

Sed respondetur negando cons; per speciem namque intelligit Apostolus, quod visio Dei beatifica, non est abstractiva, ut in hac vita, idest per creaturas, sed est ipsius Dei in seipso, nec per figuras, et species alienas; in quibus videbatur a Patriarchis, et Prophetis, sed in propria substantia,

Prop. II. Necessario requiritur ad visionem beatificam auxilium quoddam, lumen gloriae appellatum; per quod intelligitur qualitas fixa, permanens, et supernaturalis, elevans intellectum ad Deum videndum. Ac est quidem supplebile per uberiorem Dei concursum supernaturalem; nulli tamen creaturae possibili naturale, ac vi naturae debitum. Prima pars est de fide, nec non quod auxilium illud est supernaturale; in reliquis vero propositio est tantum communior, et verisimilior.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Script., ut ex Ps. 35. *Quoniam apud Te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*; idest in lumine, a te supernaturaliter infuso, videbimus lumen, idest fulgentem faciem tuam. Et Js. 40. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam.* Et Apoc. 22. *Videbunt faciem ejus, et non egebunt lumine lucernae, neque lumine Solis, quia Dominus Deus illuminabit eos, et regnabunt in saecula saeculorum.* Quibus verbis designari lumen gloriae, et communiter TT. docent, et cuivis consideranti patet. Loquuntur autem de eo Scripturae, tamquam de medio ad videndum Deum, ac inquiunt, quod ad illum videndum non egebunt alio lumine: Bene igitur eo medio egebunt ad Deum videndum, ac nonnisi per illud eos Deum videre, consequens est. 2.° ex Conc. Vienn. sub Clem. V., ubi tamquam haereticum damnatum fuit quod Beguardi, et Beguinae ajebant, *animam non indigere lumine gloriae elevante illam ad Deum videndum, et eo beate fruendum.*

3.° Ex ratione; ut enim ostendimus cap. 1. prop. 2., nequit Deus ab intellectu creato intuitive videri per solas naturae vires: Nonnisi igitur per auxilium quoddam etc.

Prob. 2. pars. Et 1.° per istud auxilium intelligitur *qualitas quaedam*; nam non est Deus, secus enim immerito damnati fuisset Beguardi, qui profecto non negabant, Deum ad beatam visionem intervenire; neque est ipsa visio, cum enim Viennense Conc. definiit, requiri lu-

men gloriae ad visionem Dei, hanc profecto expresse ab lumine gloriae distinxit. Porro si lumen gloriae neque est Deus, neque est ipsa visio, necesse est, ut sit qualitas quaedam animae infusa. 2.° *fixa, et permanens*; nam dispositio, quae sit fixa, et permanens et est congruentior ad actionem, quae sit quoque permanens, et fixa, et facultatem eo faciliorem reddit ad actionem, quo propius illam disponit ad naturalem agendi modum. Visio autem beatifica et est actio permanens, et fixa, et Beatis tam facilis, quam vita, cum sit eorum vita aeterna: Et qualitas ergo illa, per quam Deum vident, fixa in iis, et permanens est dicenda. 3.° *Supernaturalis*; ad actionem namque supernaturalem necessarium quoque est medium supernaturale, quia media ad finem debent ipsimet fini respondere. Est autem visio beatifica actio supernaturalis, idest hujusmodi ex ostensis cap. 1. prop. 2., ut solis naturae viribus haberi nequeat: Et medium ergo, per quod illa obtinetur, cujusmodi est lumen gloriae, supernaturale esse debet. 4.° *Elevans intellectum ad Deum videndum*; Deus enim, ut loquitur Ap. 1. ad Tim. c. 6., *lucem inhabitat inaccessibilem.* Porro si lucem inaccessibilem inhabitat, nequit ad illum, nisi participatione supernae virtutis, mens creata accedere.

Prob. 3. pars.; nam concursus Dei supernaturalis idem efficere potest, quod habitus infusus, et inhaerens. Quod si idem potest efficere, potest quoque lumen gloriae per hujusmodi concursum suppleri: Per uberiorem ergo, ac supernaturalem Dei concursum supplebile dicendum est.

Prob. 4. pars; 1.° enim gratia omnem excedit creaturae ordinem, seu exigentiam, secus namque non esset gratia. In ordine autem gratiae adeo lumen gloriae excellit, ut in eo obtineat termini, et ultimae perfectionis locum: Nulli igitur creaturae naturale esse potest. 2.° Nequit ulla creatura sibi esse summum bonum, suus ultimus finis, sua beatitudo, indefectibilis, ac impeccabilis. Ejusmodi autem attributa ei competerent, si lumen gloriae esset quid illi naturale, ut per se patet: Non igitur illi naturale esse potest. 3.° Repugnat, quod aliquid sit supernaturale simul, et non supernaturale. Ejusmodi autem esset creatura, cui naturale, ac debitum esset lumen gloriae: *supernaturalis* nempe, perspicuum namque est, supra omnem creaturae exigentiam, ac debitum esse, quod

illi Deus conspiciendum se praebeat; quodque est supra omnem creaturae exigentiam, ac debitum, dicitur supernaturale: simul vero *non supernaturalis*, quia in ordine aliarum rerum creatarum: Repugnat ergo, quod lumen gloriae sit ulli creaturae possibili naturale, ac debitum.

Objicitur quidem contra hanc postremam partem, quod non repugnat accidens supernaturale, qualis est gratia, ac sunt virtutum theologalium habitus: ergo nec repugnat substantia supernaturalis, cujusmodi esset, quae virtute sua intuitive Deum videret. Respondetur tamen dist. ant.; quod nempe non repugnat accidens supernaturale sponte, et ex Divina liberalitate creaturae collatum; utique vero accidens supernaturale, quod sit creaturae naturale, ac debitum, esset namque, et non esset supernaturale. Hinc pariter dist. cons.; quod nempe non repugnat substantia supernaturalis, cui Deus gratuito, ac libere se videndum exhibeat, haec enim revera non esset supernaturalis, quia Deum non videret naturali, sibique indita virtute; at utique repugnat substantia supernaturalis, cui visio Dei intuitiva sit naturalis, ac debita, quia ex ostensis esset simul, et non esset supernaturalis.

Objicitur item, quod Christo erat naturalis, ac debita visio beatifica. Neque ergo repugnat creatura, cui visio beatifica sit naturalis, ac debita. Sed etiam respondetur dist. ant.; quod nempe visio beatifica erat Christo naturalis, ac debita ratione personae; non vero ratione humanae ipsius naturae, sicut enim huic non erat naturalis, ac debita unio hypostatica cum Verbo, sed super. naturalis, et praeter naturae debitum, ita nec naturalis, et debita, sed supernaturalis, et praeter naturae debitum visio beatifica.

Prop. III. Inaequalis est in Beatis pro inaequalitate meritorum visio Dei beatifica: hujusque inaequalitatis causa physica omnino, et adaequate est lumen gloriae, quod pro meritorum diversitate majus, vel minus confertur. Prima pars est de fide: altera communior, et verisimilior.

Prob. 1.ª pars; et 1. ex Script., ut ex Jo. 14. *In domo Patris mei mansiones multae sunt*; quibus Christi verbis mansiones Coelestes designari, patet ex sequentibus: *Vado parare vobis locum.* Ex 1. ad Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Et c. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunae, alia claritas Stellarum, stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum.* Et 2. ad Cor. 9. *Qui parce seminat, parce et metet.* Quid autem ex his omnibus clarius, quam quod pro inaequalitate meritorum inaequalis quoque est in Beatis visio Dei beatifica?

2. Ex Conc. Flor. in Decreto unionis, ubi de Sanctorum animabus dictum fuit, *in Coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* Et Trid. sess. 6 can. 32. anathemate iussit, qui dixerit, *hominem justificatum bonis operibus non vere mereri gloriae augumentum.* Istud autem nemo mereretur, nec mereri posset, si in omnibus gloria esset aequalis.

3. Ex PP., ut ex D. Irenaeo l. 4. cont. haer. c. 3. *Quanto plus Deum dilexerimus, majorem ab eo gloriam accipiemus.* Ex Tertull. in Scorpiaco c. 6. *Quomodo multae mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit, nisi pro diversitate radiorum?* Ex D. Cypr. l. de hab. Virg. *Carnis desideria castrantes, majoris gratiae praemium in coelestibus obtinetis.* Accedunt D. Hieron., qui ex professo oppositum Joviniani errorem confutavit, D. Ambr. *in Ps.* 38., D. Aug. *tract.* 67. *in Jo.*, aliique passim.

4. Ex ratione; habet namque visio Dei intuitiva, quae justis in Coelesti Patria conceditur, rationem praemii, ac mercedis. Tam. praemium autem, quam merces respondere debent meritis in hac vita comparatis, ac nonnisi iis rependitur: Et his igitur respondere debet visio intuitiva, quae justis in Coelesti Patria conceditur.

Prob. 2. pars. Et 1. in actionibus supernaturalibus nihil conferre potest major, vel minor perfectio naturalis. Est autem visio Dei intuitiva actio supernaturalis, ad quam nempe mens creata nequit assurgere, nisi elevata, ac supernaturalis facta per lumen gloriae: Nihil igitur ad majorem, vel minorem illius perfectionem major, vel minor naturalis intellectus perspicacia conferre potest.

2.° Gratis supponitur in animabus separatis major, vel minor naturalis intellectus perspicacia, quae potius in hac mortali vita ex varia organorum structura, ac perfectione oritur, vel ex varietate institutionis: *Archimede* (ita noster Genuensis in opere, cui titulus *La Diceosina* etc.) *sarebbe stato un Ciclopò, se nasceva in Sicilia a tempo di*

Ulisse: e quel Ciclopo poteva esrcre un Archimede, se vi nascea nei tempi luminosi. Quod cum ita sit, inaequalitas in iis visionis beatificae omnino, et adaequate repetenda est ab inaequalitate luminis gloriae, quod pro varietate meritorum majus, vel minus confertur: Ab ejusmodi igitur inaequalitate ipsius quoque visionis Beatificae inaequalitas omnino, et adaeqaate repetenda est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. cont. 1.m part. 1.° ex operariorum parabola ap. Matth. 10., quibus licet in labore inaequalibus aequalis tamen unius denarii merces reddita fuit. Haec autem parabola diversitatem meritorum, et aequalitatem retributionis designat: Omnibus ergo justis, etsi in merito inaequalibus, aequalis tamen gloria in Coelesti Patria rependitur.

R. dist. min.; retributionis nempe aequalitatem quoad ejus objectum, quod aeque est Essentia Divina intuitive visa, ejusque durationem, quae aeque est aeterna; non vero quoad intensionem gaudii, identitas namque tam objecti, quam durationis non impedit inaequalitatem visionis, et fruitionis ipsius objecti juxta meritorum rationem. Ita D. Aug. *ser.* 59. *de verb. Dom.*, et D. Th. 1. 2. *q.* 5. *a.* 2.

Responderi etiam potest neg. min., tum quia inaequalium in labore aequale esse potest meritum ob majorem charitatis fervorem in iis, qui minus laboraverint; tum quia si omnia, et singula hujus parabolae verba ad rigorem acciperentur, dicendum quoque esset, quod in Coelorum Regno sint murmura, et querimoniae, uti fuerunt in operariis, qui accipientes denarium adversus Patrem familias murmuraverunt.

Objic. 2.°, quod gloriae inaequalitas parere in Beatis posset invidentiam, et amplioris felicitatis desiderium. Procul autem abiis utrumque: Ergo aequalis in omnibus gloria.

R. neg. maj.; tum quia cum Beati longe plus diligant Deum, quam seipsos, et sua propria bona, magis proinde optant id quod Deo gratum, et acceptum esse sciunt, quam quod sibi: tum quia cum Dei voluntatem, quod praemium respondeat merito, toto corde approbent, nihil proinde amplius optant, quam id, quod suis

meritis Deus voluit attribuere: tum quia unusquisque tantum gaudet, quantum factus est capax, ac propterea non desiderat inordinatum gaudium, et excedens suam capacitatem, ut nemo sanae mentis desiderat vestem statura sua longiorem: tum demum quia cum perfectissima charitate inter se uniantur, non minus de propria, quam de aliorum felicitate congaudent.

Objic. 3.° Nequit Ens simplicissimum, et carens partibus videri, sicuti est, quin totum, ideoque aequaliter videatur. Est autem Deus Ens simplicissimum, et carens partibus: Ergo.

R. neg. maj.; quomodo enim possit inaequaliter videri, explicavimus cap. 1., prop. 3., resp. ad 2. pag. 93., et seq.

Objic. cont. 2. part. 1.°, quod visio beatifica est actio vitalis, elicita scilicet per intellectum, quae est facultas vitalis. Esse ergo et debet magis, vel minus perfecta, prout intellectus magis, vel minus perfectus est.

R. neg. cons.; nam concurrit quidem intellectus ad visionem beatificam, tamquam facultas vitalis, non tamen tamquam facultas vitalis simul, et naturalis, sed tamquam facultas vitalis elevata, et supernaturalis facta per lumen gloriae. Hinc sequitur, quod tota visionis inaequalitas physice oriri debet ab inaequalitate luminis gloriae facultatem ipsam elevantis; ea enim est omnium causarum indoles, ut quando ad agendum nativam virtutem non habent, sed aliena corroborantur, ab hac unice pendeat major effectus perfectio.

Objic. 2.° Vegetior oculus eodem lumine collustratus perspicacius videt. Ergo et perfectior intellectus eodem lumine gloriae elevatus Deum videbit perfectius.

R. neg. cons.; oculus namque, et lumen materiale sunt ejusdem ordinis naturalis, intellectus vero, et lumen gloriae ordinis diversi. Cui accedit, quod lux materialis supponit in oculo expeditam, completamque potentiam; quam tamen lumen gloriae in intellectu non invenit, sed efficit.

TRACTATUS XI.

De Scientia Dei.

CAP. I.

De infinitate Scientiae Dei.

Non parum quoque immorandum nobis est super Dei scientia; per quam non est illa intelligenda, quae a nonnullis definitur *cognitio rei per causas*, sed *perfecta, certa, evidens, et simultanea cognitio cujuslibet veritatis, seu cujuslibet rei cognoscibilis.* Quamvis autem simplicissima, prout ipsa Dei substantia, cum qua unum, idemque sunt realiter, distinguitur tamen a TT. pro diversitate objectorum 1.° in *liberam*, et *necessariam.* Libera est *habens pro objecto quidquid pendet a libero Dei Decreto*; ac talis est scientia rerum existentium, quia has non cognovisset, nisi ex libero ejus Decreto existerent: altera vero *scientia nedum de iis, quae ab ejus Decretis non dependent* (qualis est scientia rerum possibilium, ut enim ostendimus tr. 6. pag. 62., possibilitas mera, idest interna, a Deo non dependet, sed est cuivis rei insita), *sed et de quovis objecto absolute necessario*, ut de Essentia, ac Personis Divinis, etc. 2.° in scientiam *simplicis intelligentiae*, et scientiam *visionis*: quarum prima est, *quae versatur circa res, quae nec existunt, nec exstiturae sunt;* ut rerum mere possibilium cognitio: altera vero, *quae versatur circa res in aliqua temporis differentia existentes*; ut cognitio rerum praeteritarum, praesentium, et futurarum. An vero ad libertatem servandam futurorum liberorum sit quoque in Deo admittenda scientia quaedam media, medium nempe locum obtinens inter scientiam simplicis intelligentiae, et scientiam visionis, qua Deus independenter ab omni ejus Decreto absoluto, et efficaci videt conditionate futura, valde inter se Theologi decertant.

Omnia autem, quae declaranda sunt in hoc tractatu, ad duo revocantur. Primum nempe, super quo in hoc capite immorabimur, est infinitas scientiae Dei. Alterum vero, in quo medio Deus praenovit omnia futura, ac praesertim libera; eritque subsequentis capitis argumen-

tum. Et quoad 1.m, erravit adversus Divinae Scientiae infinitatem veteres inter Philosophos Tullius, ut patet ex l. 2. De Divinat.; nesciens enim qua ratione Dei praescientia conciliari queat cum libero hominis arbitrio, maluit Deo negare futurorum praescientiam, quam homini libertatem demere. Ex haereticis vero erraverunt contra eam Marcionitae, ut constat ex Tertull. l. 2. cont. Marc.; ac novissime Sociniani, ajentes, futura libera, et contingentia nonnisi verisimiliter, et conjecturaliter a Deo cognosci; cum enim non habeant, ut illis placet, determinatam objectivam veritatem, non sunt, ut inquiunt, de genere cognoscibilium. Ita Socinus in Praelect. c. 11. Contra quos sit

Prop. Est in Deo omnium cognoscibilium perfectissima scientia, eaque ab ipsa ejus substantia realiter non distinguitur. Ac complectitur sui ipsius comprehensionem; creaturas omnes possibiles, et existentes; futura tam necessaria, quam contingentia, et libera; atque haec tam absolute, quam sub conditione futura; ipsasque demum occultas hominum cogitationes. Est de fide.

Prob. 1. pars. Et 1. ex Script.; ita enim 1. Reg. 11. *Deus scientiarum Dominus est.* Et Ps. 138. *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima, et antiqua.* Et Ps. 146. *Sapientiae ejus non est numerus.* Et Esth. 14. *Domine, qui habes omnem scientiam.* Et Eccl. 42. *Cognovit Dominus omnem scientiam.* Et ad Rom. 11. O *altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei.* Et ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi.* Porro ex his verbis patet, nedum omnium scientiam in Deo esse, sed et eam perfectissimam; quare nec est discursiva, a principiis nempe ad conclusiones, nec vel falsa, vel incerta, vel haesitans; sicut neque inconstans, mutabilis, successiva, aliisque id genus imperfectionibus obnoxia, quibus subjacet scientia creata; ac neque habitus, sed actus simplicissimus, quo semper, ac simul omnia ejus aspectui patent. Hinc D. Aug. l. 2. ad Simplician. qu. 2. *Cum dempsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, et reliquero solam vivacitatem certae, atque inconcussae veritatis, una, atque aeterna contemplatione cuncta collustrantis, insinuatur mihi utcumque scientia Dei.* Et l. 15. de Trin. c. 14. *Simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper vi-*

det. Et D Greg. M. l. 20. Moral. c. 23. *Ante Dei oculos praeterita illa sunt, praesentia non transeunt; futura non veniunt, quippe quia omne, quod nobis fuit, et erit, in Dei prospectu praesto est.* Et D. Petr. Dam. opusc: 36. c. 7. *Nec diversis obtutibus diversa considerat, ut cum intendit praeteritis, vacet a praesentibus, vel futuris; vel rursum cum praesentia, sive futura considerat, oculos a praeteritis avertat; sed uno dumtaxat, ac simplici praesentissimae Majestatis intuitu simul omnia comprehendit; neque hoc confuse, atque inexplicite, sed omnia discernit, ac juxta proprietatem suam quaeque distinguit.*

2. Ratione; est namque de natura Entis perfectissimi, quod perfectissime quidquid cognoscibile est cognoscat; quomodo enim Ens perfectissimum, si vel aliquid eum lateret, vel aliquid perfectissime non cognosceret? Est autem Deus Ens perfectissimum, ex ostensis tr. 1. c. 2. pag. 12., nec non tr. 2. pag. 29., et sequ.: Perfectissime igitur quidquid cognoscibile est cognoscit.

Prob. 2. pars. Et 1. ex Script., quae Dei sapientiam, tamquam rem subsistentem non raro describunt; ut Prov. 8: *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram . . Ante colles ego parturiebar . . Delectabar per singulos Dies, ludens coram eo omni tempore etc.* Et Sap. 7. appellatur Dei sapientia *Spiritus intelligentiae sanctus, unicus, multiplex, subtilis, etc.*

2. Ex PP., pro quibus sufficiat D. Aug. tract. 99. in Jo., ubi: *Non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia, qua scit, aliud essentia, qua est, sed utrumque unum est: nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est.*

3. Ratione; cum enim quidquid est vel substantia sit, vel accidens, Dei quoque scientia, si ipsa non esset ejus substantia, esset accidens. Cum autem Deus sit Ens perfectissimum, et immutabile, nullum in eo habetur accidens; quodvis enim, quod illi accederet, eumque perficeret, pugnat cum ratione Entis immutabilis, ac perfectissimi; ex quo sequitur, quod nec sit accidens ejus scientia: Si ergo dici nequit Dei accidens, ipsa profecto dicenda est ejus substantia.

Accedit, quod sicut perfecta rotunditas est absolutae necessitatis respectu circuli, nec potest convenire, nisi circulo; ita quodvis Dei attributum, ideoque etiam ejus

omniscientia, est absolutae necessitatis respectu Dei, nec potest, nisi Deo, convenire. *Absolutae necessitatis*; cum enim omnis perfectio ei conveniat, quia Ens perfectissimum, sitque Ens perfectissimum, ex ostensis pag. 12., 29., et 30. quia Ens a se, ideoque ratione suae essentiae, quae in aseitate consistit; quemadmodum proinde quodvis praedicatum Enti conveniens ratione essentiae eidem convenit absolute necessario, ita omnem perfectionem absolute necessario Deo convenire, consequens est. *Nec, nisi Deo, convenire potest*; cum enim omnis perfectio Entis infiniti sit aeque infinita ex ostensis ibidem, cuinam idcirco, nisi soli Deo, convenire potest? En autem, quod inde sequitur: quemadmodum igitur perfecta rotunditas mutuo substituitur, atque identificatur cum circulo, ita quodvis Dei attributum, ideoque etiam ejus omniscientia mutuo substitui debet, atque identificari cum ipsa Dei substantia. Nec ex adverso facessit, quod, hoc posito, ubinam amplius inter essentiam Divinam, ejusque Attributa distinctio formalis alibi explicata? Nam respondetur, similitudines non esse tam ultro protrahendas. Quia nempe Dei attributa sunt respectu illius excellentissimae Essentiae tam absolute necessaria, quam perfecta rotunditas respectu circuli, hinc identitas realis inter essentiam Divinam, ejusque attributa est tam stricta, quam stricta est identitas perfectae rotunditatis cum circulo. Quia vero illa Attributa tam relate ad se invicem, quam relate ad ipsius Dei essentiam distinctos conceptus praebent, hinc servanda semper est distinctio formalis alibi explicata inter eadem, tam relate ad se invicem, quam relate ad ipsius Dei essentiam. Deinde perfecta rotunditas ipsa est circuli essentia. Quoad haec duo igitur similitudo est perfecta. Quoad alia vero intra supradictos terminos coercenda est, attributa enim secundario ab ipsa Dei essentia concipiuntur.

Prob. 3. pars. Et 1. Deus semetipsum comprehendit; ut enim ait Ap. 1. ad Cor. 11., *Spiritus Dei omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; quem idcirco nihil latet. Id autem est comprehensio; cognitio scilicet, in qua nihil latet videntem.: Deus ergo semetipsum comprehendit.

Item cognoscit creaturas omnes possibiles, et existentes; ut enim legitur Eccl. 23., *Domino, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia.* Et ad Rom. 4. *Vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt.* Et ad heb. 4. *Non est ulla creatura*

invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus.

Cognoscit praeterea futura omnia, tam necessaria, quam contingentia, et libera; ex Ps. 138. *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima, et antiqua .. Intellexisti cogitationes meas de longe .. Et omnes vias meas praevidisti.* Et Sap. 8. *Scit praeterita, de futuris aestimat .. Signa, et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum, et saeculorum.* Et Is. 48. *Scio, quia praevaricans praevaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te.* Accedit, quod futurorum hujusmodi cognitio dicitur Is. 41. Divinitatis esse argumentum: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos*; unde ait D. Aug. l. 5. de Civ. Dei c. 9. *Confiteri esse Deum, et negare praescium futurorum, apertissima insania est.* Idque demum probant et futurorum praedictiones a Prophetis factae; unde scripsit Tertull. l. 2. cont. Marc. c. 5. *Divina praescientia tot habet testes, quot fecit Prophetas*: et Judae proditio, et Petri negatio, ac aliae id genus praedictiones factae a Christo, etc.

Nec tantum cognoscit absolute, et conditionate futura, quorum aliquando ponetur conditio, sed et conditionate futura sub conditione numquam ponenda; ut patet 1.° ex Sap. 4., ubi de justo immatura morte erepto dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Adolescens autem, qui perverteretur, si diutius viveret; ac morte a Deo praeventus, ne perverteretur, quid nisi futurum conditionatum sub conditione numquam ponenda a Deo cognitum? 2.° ex l. 1. Reg. c. 23., ubi leguntur duo futura conditionata Davidi divinitus revelata; idest quod, si mansisset in urbe Ceila, Saul descensurus esset ad obsidendam urbem; et quod, si Saul urbem illam obsedisset, incolae illius tradituri ipsum essent Sauli. Porro neutrum horum accidit, quippe quod David divinitus de utroque admonitus, statim inde abiit; ideoque utrumque futurum conditionatum sub conditione numquam ponenda Davidi revelatum. 3.° ex futura Tyriorum, ac Sydoniorum conversione, si Christi miracula vidissent, de qua ipse Christus Matth. 11. *Vae tibi, Corozaim, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in te, olim in cinere, et cilicio poenitentiam egissent.* Cum au-

tem Christi miracula nec Tyrii, nec Sydonii umquam viderint, en scientia eorum conversionis, si Christi miracula vidissent, scientia utique cujusdam futuri conditionati sub conditione numquam ponenda.

Primum tamen, ac postremum argumentum confirmemus quoque ex D. Aug., cum in his praesertim magni facienda sit ejus auctoritas. Ita igitur quoad 1.m S. D. l. de corrept., et gr. c. 8. *Respondeant, si possunt, cur illos Deus cum fideliter, et pie viverent, non tunc de vitae hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectus eorum, et ne fictio deciperet animas eorum? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum, nisi perversissime, atque insanissime dicitur. Cur ergo non fecit? Quam incomprehensibilia etc. Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant; ita donum Dei esse in bono perseverantiam fateantur nobiscum; et cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.* Quid clarius ex postremis his verbis, quam quod S. D. scientiam quoque futurorum conditionatorum sub conditione numquam ponenda in Deo agnovit? Quoad alterum vero, ita L. de dono persev. c. 9. *Numquid possumus dicere, etiam Tyrios, et Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? Cum de iis ipsis Dominus attestetur, quod acturi essent magnae humilitatis poenitentiam, si in eis facta essent signa illa virtutum.*

Cui accedit et ratio; non esset namque Dei scientia undequaque perfecta, nisi omne verum attingeret. Non attingeret autem omne verum, nisi cognosceret futura conditionata etiam sub conditione numquam ponenda; cum enim duo contradictoria nequeant esse nec simul vera, nec simul falsa, facta idcirco contradictione, an sub hac, vel illa conditione hoc, vel illud esset futurum, alterutrum profecto objectivum verum quoddam semper constituit. Immo quodvis futurum contingens, priusquam sit absolute verum, est verum sub conditione; priusquam enim verum sit, quod Petrus in talibus circumstantiis positus peccat, verum jam erat, antequam in iis poneretur, quod in iis positus pecca-

ret : Dei igitur scientiam futura etiam conditionata sub conditione numquam ponenda attingere , consequens est.

Ipsas demum occultas creaturae rationalis cogitationes Deus cognoscit ; ut patet tum ex hactenus dictis , tum ex sequentibus. Habetur enim Eccli. 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super Solem , circumspicientes omnes vias hominum , et profundum abyssi , et hominum corda , intuentes in absconditas partes.* Et Ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Et Jer. 17: *Ego Dominus scrutans corda.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. cont. 1. part. , quod Deus ait Jer. 26. *Noli subtrahere verbum , si forte audiant , et convertantur.* Et Ezech. 2. *Haec dicit Dominus , si forte vel ipsi audiant , et si forte quiescant.* Et quod ait Christus ad Samaritanam Jo. 4. *Si scires donum Dei , et quis est , qui dicit tibi , Da mihi bibere , tu forsitan petiisses ab eo.* Et c. 5. *Si crederetis Moysi , crederetis forsitan et mihi.* Hujusmodi autem particulae dubiam , et conjecturalem notitiam significant : Non ergo inest Deo omnium cognoscibilium perfectissima scientia.

R. 1.° , quod in Textu Jeremiae particula *hulai* , quae vertitur *forte*, est optantis, non dubitantis; in Textu Ezechielis omnino de est particula *forte* ; in allatis vero locis N. T. particula *an* frequentius significat *utique*, quam *forsitan*. 2.° neg. min. ; usurpatae enim leguntur in Scripturis id genus particulae, 1.° quia non raro loquuntur more humano ; ut significent, rei eventum semper incertum esse respectu nostrum, licet respectu Dei incertus non sit. 2.° , ut intelligamus, ex Dei praevisione liberum hominis arbitrium nequaquam laedi. 3.° ad designandam rei difficultatem , vel ad malitiam , ac pervicaciam hominum increpandam. Hinc D. Aug. tr. 37. in Jo. ad Christi verba : *Si me sciretis , forsitan et Patrem meum sciretis* , ita scribit : *Ille , qui omnia scit , quando dicit forsitan , non dubitat , sed increpat. . Dubitationis verbum est , quando dicitur ab homine ideo dubitante , quia nesciente. Cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis , cum Deum nihil lateat , illa dubitatione arguitur infidelitas , non opinatur Divinitas.* Quo caeterum in lo-

eo pro *forsitan* possumus quoque Graecum Textum exponere *utique*.

Objic. 2.° , quod, ut legitur Js. 38., Ezechiae fuerat mors praenuntiata, quin deinde mortuus fuerit. Et Jonae 3. legitur praenuntiatum Ninive, quod subversa fuisset post 40. dies, quin id evenerit. Qui autem in praedicendo fallitur, non novit certo quod praedixerat: Ergo.

R. neg. cons.; ut enim diximus tract. 7. resp. ad 5. pag. 73., neutrum Deus praedixerat absolute, sed admonendo, ac minitando dixerat; utque docet D. Thomas, manifestando *decretum suum conditionatum*, non *absolutum*, etsi conditionem occultaverit.

Objic. 3.° quod Deus ait Gen. 22. de Abraham: *Nunc cognovi, quod times Deum.* Et de sceleribus Sodomitarum: *Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non est ita, ut sciam.* Si autem tunc cognovit Abrahami fidem, ac scelera Sodomitarum, nec illam, neque haec prius cognoverat: Non ergo ejus scientia omnia cognoscibilia complectitur.

R. neg. min.; 1.° enim juxta stylum Scripturae Deus cognoscere, aut nescire dicitur, quod aliis declarat, vel non declarat: quo sensu ajebat Christus, nulli notum esse ultimi Judicii diem, non quod ipse illum ignoraret, sed quod eum non manifestaret; eodemque sensu loquitur utrobique Scriptura in citatis locis, quod nempe tunc Abrahami fidem, et scelera Sodomitarum manifesta faciebat. 2.° ita loquitur Scriptura, ut se nobis accommodet, qui id perfecte scire dicimur, quod experimento, ac oculis nostris velut subjicitur.

Objic. 4.° illud D. Hieron, in c. 1. Habac. *Absurdum est ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur; quae cimicum, et pulicum, et muscarum sit in terra multitudo, etc.* Non igitur minimarum rerum cognitionem habet.

R. neg. cons.; solum namque S. D. laudatis verbis a Deo excludit hujusmodi rerum cognitionem, quae pro varia earumdem productione, aut interitu *per momenta singula* Deo accrescat: nec non illam cognitionem providam cum amore, studioque particulari conjunctam, qualem de nobis habet; ut innuunt verba subsequentia: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam*

ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.

Objic. 6.° Si omnia Deus infallibiliter novit, ita nempe, ut falli nequeat ejus praescientia, et necesse erit evenire, quae praescivit; et quaevis cura, ac sollicitudo in rebus sive hujus, sive alterius vitae promovendis, tamquam omnino inutilis, ac superflua erit abjicienda. Utrumque autem ex his est falsum: Et falsum igitur, quod Deus omnia infallibiliteer praenoverit.

R. dist. maj.; quod nempe necesse est evenire, quae Deus praescivit, necessitate consequente liberam hominis determinationem; non vero necessitate antecedente, et absoluta. Porro necessitas consequens liberam hominis determinationem libertati non officit hoc ipso, quod istam supponit: sed tantum antecedens, et absoluta. Sic dum loquor, necesse est necessitate consequente me loqui, quia actum cum non actu componere simul non possum: cum tamen necessarium non sit necessitate antecedente, quia ad loquendum libere me determinavi, libere idcirco, non ex necessitate loquor. Ita autem de Dei praescientia est quoque disserendum; quod nempe necessario quidem futura sunt quae Deus praescivit; at nonnisi necessitate consequente liberam hominis determinationem, non vero antecedente, et absoluta, non enim, quia a Deo praescita fuerunt, ideo sunt futura, sed potius, quia futura, ideo fuerunt a Deo praescita: ut si video aliquem ambulantem, non ideo ille ambulat, quia illum ambulantem video, sed potius ideo illum ambulantem video, quia ille ambulat: Non ergo libertati officit. Hinc addit D. Aug., quod Dei praescientia non magis tollit rei futurae libertatem, quam illam tollit vel cognitio rei praesentis, vel memoria rei praeteritae; sicut namque utraque rem non facit, sed supponit, ita et Dei praescientia: *Sicut tu memoria tua* (ita S. D. l. 3. de lib. arb. c. 4.) *non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt.* Accedunt et duo: 1.° quod simul ac Deus praescivit libere futura, eadem, ut libere futura, praescivit; natura scilicet rerum minime immutata, ac habendo pro objecto suae praescientiae effectum ipsum futurum, quomodo futurus erat; quare ejus praescientia, utpote supponens libertatem, eam potius confirmat, quam de-

struit. 2.° , quod cum in Dei scientia nihil sit praeteritum, vel futurum, unico enim, et indivisibili intuitu videt praeterita, futura, ac praesentia; hinc quemadmodum scientia, qua cognoscit aliquid praesens, sive praeteritum, nullam infert rebus necessitatem, ita et nullam necessitatem infert praescientia, qua Deus cognoscit futura.

Objic. cont. 3. part. 1.° quod idem in Deo sunt scientia, et omnipotentia. Nequit autem ejus omnipotentia semetipsum pro objecto habere: Neque igitur ejus scientia.

R. dist. maj.; quod nempe idem in eo sunt substantialiter, et in re; non vero ratione objecti, et connotati.

Objic. 2.° illud D. Aug. l. 12. de Civ. Dei c. 18., quod quidquid comprehenditur, *scientis comprehensione finitur*. Deus autem nulla ratione finitur: Neque igitur ulla ratione comprehenditur.

R. dist. maj.; quod nempe finitur negative, adeo ut nihil penitus supersit, quod lateat videntem; positive vero tunc finitur, dum comprehenditur objectum numero, ac termino circumscriptum, non tamen si objectum nulla limitatione sit coarctatum.

Objic. 3.° Duo contradictoria simul esse non possunt. Natura autem futurorum liberorum exigit, ut eatenus possint non evenire; Divinae autem praescientiae natura exigit, ut eatenus non possint non evenire: Vel non libera igitur, vel non praescita.

R. neg. min.; cum enim haec Dei praescientia sit consequenter ad determinationem causarum, ac res non efficiat, sed supponat; hinc dum natura futurorum liberorum exigit, ut catenus possint non evenire *antecedenter* ad determinationem respectivarum causarum, Dei praescientia exigit, ut eatenus non possint non evenire *consequenter* ad determinationem earumdem causarum. Haec autem non sunt contradictoria; ut namque habeatur contradictio, necesse est, ut idem affirmetur simul, et negetur *sub eodem respectu*.

Objic. 4.° Quemadmodum Deus, tametsi omnipotens, nequit efficere quod absolute non est possibile, ita, tametsi omnisciens, nequit cognoscere quod absolute non est cognoscibile. Hujusmodi autem est quod cer-

tam, ac determinatam veritatem non habet, prout est quodvis futurum tam contingens, quam liberum, de utriusque enim natura est, ut possit aeque esse, et non esse: Non ergo haec cognoscit.

R. neg. min.; cum enim ex duabus propositionibus contradictoriis alterutram veram esse, oporteat, facta idcirco contradictione circa quodvis contingenter, vel libere futurum: *Eritne, an non erit?* ex duabus hisce propositionibus contradictoriis alterutram veram fore, necesse erat, illud nempe contingenter, vel libere futurum vel reapse futurum erat, vel non: ex quo sequitur, quod una ex illis propositionibus contradictoriis veritatem quamdam objectivam a tota aeternitate constituit, certamque, ac determinatam veritatem habuit.

Objic 5.ª Admittendam in Deo esse futurorum conditionatorum scientiam, negavit D. Aug.; eamque et D. Prosper, et D. Fulgentius: Et neganda ergo à nobis.

R. dist. ant.; eam nempe negasse admittendam in sensu Pelagianorum, et Semipelagianorum, non vero in sensu Catholicorum. Et sane numquam D. Augustini mens, ut par est, dignoscitur, nisi prae oculis habeatur ejus institutum in confutandis erroribus Pelagianorum, et Semipelagianorum, contra quos dimicabat. Ajebant autem Pelagiani, praedestinationem ad fidem, et ad gloriam esse ex meritis, solis naturae viribus comparatis, et a Deo praevisis: contra quos S. D. ajebat, praedestinationem ad gratiam, et ad gloriam gratuitam esse; per exclusionem scilicet meritorum naturae, quin umquam ad usum Scholae controversiam agitaret, utrum praedestinatio ad gloriam antecedat, vel sequatur praevisionem meritorum ex gratia. Semipelagiani vero fatebantur quidem, ad fidem, et ad omnia opera salutaria tum perficienda, tum incipienda gratiam necessariam esse, non vero ad quaedam bonorum operum initia, ut ad initium fidei, seu ad praevium quemdam credulitatis affectum, ad orationem, ad desiderium salutis, quae idcirco ex operum salutarium numero excludebant; ajebantque, in potestate hominis esse, gratiam ad opera quaelibet salutaria necessariam habere, quatenus haec gratia semper datur intuitu illius fidei initialis, vel orationis, vel desiderii salutis. Hinc contra eos urgebat S. D. Tyriorum, et Sydoniorum exemplum, qui praevidebantur credituri, si miracula Christi vidissent, ut habetur Matth. 11., nec tamen

ea viderunt,et crediderunt. Cumque iidem Semipelagiani adderent quoad infantes, cum, vel absque baptismo decedentes, id petendum esse ex eorum meritis, vel demeritis, quae Deus futura praevidebat, si ad adultam pervenissent aetatem, id quoque S. D. insectabatur, tamquam fidei adversum: *Unde enim* (ajebat) *hoc eis in mentem venit, ut futura, quae non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum* (*l. de praed Ss. c.* 12.) ? Et l. de dono persev. c. 9. *Nullus mortuus judicatur ex bonis, seu malis, quae fuerat, si non moreretur, acturus; alioquin Tyrii, et Sydonii, non secundum ea, quae gesserunt, poenas luerent, sed potius secundum ea, quae gesturi fuerant, si in eis illae virtutes Evangelicae factae fuissent, consecuti fuissent salutem.* Ad hos porro errores tam proponendos, quam propugnandos cum Pelagiani, et Semipelagiani conditionatorum scientia non parum abuterentur, in eorum sensu idcirco illam in Deo negabat D. Aug., non vero in sensu Catholicorum, ut ex supra relatis S. D. testimoniis quoad Semipelagianos constat, atque ex ejus scopo colligendum est. Ad cujus, Augustini scilicet, mentem ejus quoque discipulorum Prosperi, et Fulgentii verba intelligenda sunt.

CAP. II.

De medio, in quo Deus praenovit omnia futura, ac praesertim libera.

Quaestionem pertractandam in hoc cap. aggredimur, de qua D. Aug., sublimis caeterum ille Doctor, agens, humilem illam, atque ingenuam edidit confessionem: *Non audeamus dicere, quomodo novit Deus. Ne forte hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico: Non sic cognoscit, ut homo; non sic cognoscit, ut Angelus: et quomodo cognoscat, dicere non audeo; quoniam et scire non possum.* (*In Ps.* 49.) Hinc in ea versanda, difficile dictu est, quantum hactenus allaboraverint, atque inter se decertaverint Theologi; idque praesertim in Congregationibus De Auxiliis, quae tanto animorum aestu coram Summis Pontificibus Clemente VIII., et Paulo V. inter PP. Dominicanos ex una parte, et PP. Societatis Jesu ex altera agitatae fuerunt.

Ab opere tamen suscipiendo nec ejus difficultas, nec etiamnum fervens Theologorum dissidium nos compescit. Non primum; quid namque ex diverso agendi modo sequeretur, nisi, ut ait Petavius t. 5. Theol. Dogm. l. 1. c. 1. *extemplo sublata Divinarum rerum scientia, cujus munus est, ex fidei decretis, velut principiis, latentes, et arcanas illarum rerum notiones argumentando colligere?* Mente quidem recolendum in id genus quaestionibus, quod David cecinit Ps. 17. *Et posuit tenebras latibulum suum*, quae verba D. Cyrillus Alex. expendens, *tenebras* (ait) *nihil aliud appellat, nisi obscuram intelligentiae perceptionem, quae in oculos mentis instar caliginis incurrit (l. 3. cont. Nest.*): item illud Apostoli ad Rom. 12. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*: at simul magno requirendum est studio, quid sit verisimilius sentiendum.

Provinciam proinde, tametsi difficillimam, libentissime aggredimur, simul contenti, si in tam arduo negotio fuerimus, quod sit verisimilius, secuti: Utque recto ordine res agatur, cum *nonnisi inanis* (ut ait Petavius) *atque irridenda sit omnis opera, et industria, quae in percipienda re aliqua ponitur, nisi ordine, ac ratione procedat, nec labor ipse per se, ut ait Philo, sed qui cum arte collocatur, mereatur laudem (Theol. Dogm. t. 1. proleg. c. 1.*): primum idcirco Theologorum systemata exponemus, deinde nostrum de iis, quodcumque sit, feremus judicium. Et quoniam si quae est Scholae controversia, in qua necesse est, mentem ab omni praejudicata opinione revocare, eamque adversus omnes partium dissidentium clamores, ac molitiones praemunire, haec est maxime, quam versamus, in qua nihil praetermissum fuit, ut suam quisque summo aestu, et ardore vindicaret sententiam, et oppositam publicae censurae, ac invidiae objiceret, sibi mutuo inusta Pelagianismi, vel Semipelagianismi, aut Calvinismi nota: iisdem proinde verbis Candidatos nostros admonemus, quibus in fine praefationis, quam suae pro Christianis Apologiae praemisit Athenagoras, lectores alloquitur, *nulla* scilicet *ratione vigentis famae occupari, et ad illius impetum rapi.*

Anteaquam tamen Theologorum systemata exponamus, praemittendum est 1.° medium cognitionis necessariam habere debere cum re cognita connexionem, ut ex se patet. 2.° quum dicitur, Deum ha-

bere medium cognitionis, non intelligi per hoc *medium illationis*, quod repugnat, Deum habere: dicitur namque medium illationis *illud, quod cognitum ducit ad cognitionem alterius rei prius ignotae*; Deo autem omnia sunt nota: sed intelligi *medium simplicis ostensionis*, in quo scilicet absque ullo discursu aliud cognoscitur; cujus generis medium Deum in cognoscendo habere, non repugnat, cum nullam in se imperfectionem involvat. 3.° secernenda prius esse certa ab incertis; nec non errores haereticorum ab iis, quae salva fide hinc, indeque inter Theologos disputantur.

Et 1.° certum est, quod *licet omnia coelestia, et terrestria* (ut loquitur D. Ambr. tr. in Symb. c. 1.), *ac minima quaeque perspiciat Deus, nihil tamen extra se intelligit, sed omnia in se intuetur.* Et D. Dionys. De Div. Nom. c. 7.: *Non ex iis, quae sunt, eaque addiscens, novit Divina Mens, sed seipsa, et in seipsa.* Et sane si ejus scientia ipsa est ejus substantia, dicendum profecto, quod sicut ejus substantia independens prorsus est ab omni re ad extra, ita ejus scientia ab omni quoque re ad extra sit independens. Porro ejus scientia ipsa est ejus substantia, ex ostensis cap. ant. pag. 147., et 148: Ejusdem igitur scientia ab omni re ad extra independens dicenda est; ex quo sequitur, quod omnia in semetipso cognoscit.

Cognoscit autem in sui ipsius essentia omnia possibilia; 1.° enim cum sui ipsius essentia sit ipsum esse, caetera eminenter continet. 2.°, ut rerum omnium intelligibilium forma, unde Ap. ad heb. 11.: *Fide* (ait) *intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* 3.° ut eorum productiva, comprehendi enim nequit omnipotens, quin perfecte cognoscatur quidquid efficere potest. Qua super re ita praeclare D. Th. in l. 1. Sent. Dist. 35. q. 1. art. 2. *Deus cognoscit essentiam suam. Sed per essentiam suam, est principium rerum: ergo ipse cognoscit se esse principium rerum. Sed impossibile est, quod cognoscatur aliquid esse principium, nisi cognoscatur aliud, cujus est principium, quia qui novit unum relativorum, cognoscit et reliquum.* Et l. 1. cont. Gent. c. 49. *Effectus cognitio sufficienter habetur per cognitionem suae causae; unde scire dicimur unumquodque, cum causam ejus cognoscimus. Ipse autem Deus est per suam*

essentiam causa essendi aliis: Cum igitur suam essentiam plenissime cognoscat, oportet ponere, quod etiam alia cognoscat.

Quoad vero existentia, sunt haec vel ab uno Deo pendentia, vel non. Quoad illa primi generis, eaque sive praeterita, sive praesentia, sive futura, cognoscuntur a Deo in suis Decretis; non enim, nisi quia Deus decrevit eorum existentiam, existunt quaecumque sunt, eruntque existentia; nec possunt non existere, volente Deo, quod existant. Quod cum ita sit, quodnam dicendum medium, in quo Deus infallibiliter cognoscat eorum existentiam, nisi sui ipsius Decreta, quod existerent? Utque idem diversimode dicamus, in eo dicendum est, Deum talia cognoscere, quod est causa eorumdem. Haec autem sunt ejus Decreta absoluta: Patet ergo propositum. Nec aliquo vertente medio in suis Decretis ea cognoscit, sed immediate in seipsis; quemadmodum nempe videntur in mente veritates intime effulgentes. Taliter enim cognoscitur objectum, quoties inter potentiam cognoscentem, et objectum nullum intercedit medium distinctum. Porro inter Deum, et creaturas nullum intercedit hujusmodi medium; ob ejus nempe immensitatem, qua omnibus est intime, ac substantialiter praesens, ac simul ob ejus sapientiam, a qua inseparabiles sunt ideae rerum omnium intelligibilium: Nullo igitur vertente medio in suis Decretis eas cognoscit, sed immediate in seipsis.

Quod si agatur de rebus existentibus ab uno Deo non pendentibus, subdistinguenda haec sunt in ea, quae simul pendent a causis necessariis, ut conflagratio domus per lapsum fulminis, quod casu, et fortuito in illam decidit; atque haec in suis Decretis Deum quoque praenovisse, nemini dubium esse potest, licet enim respectu nostri sint fortuita, ab aeterno tamen ordinata, ac praedefinita fuerunt, tamquam necessario futura: et in ea, quae simul pendent a causis liberis, ut actus humani; atque id genus futura ea sunt, circa quae controversia agitur: cum enim liberum sit homini eligere quod velit, sive bonum, sive malum, ac sub ipsis Dei Decretis semper voluntas maneat indifferens ad agendum, vel non agendum, quomodonam Deus praevidere ab aeterno potuit, ad quid voluntas sese esset determinatura?

Dixerunt quidem Lutherani, et Calvinistae, secando potius, quam solvendo difficultatis nodum, nullum in statu naturae lapsae dari actum liberum, sed necessario nos velle, sive bonum, sive malum. Iis accessit Jansenius, docens quoque, voluntatem tam sub gratia, quam sub concupiscentia necessario agere. Illos tamen refellimus in tractatu de actibus humanis, ubi juxta fidem, eamque Catholicam, hominem esse in manu consilii sui, ac plena tam ad bonum, quam ad malum libertate pollere, omni argumentorum genere ostendimus. Quomodo idcirco difficultatis nodum solvere conentur Theologi, hic investigandum.

Qua super re paucis opus est ad eorum sententiam refellendam, qui ajunt, Deum futura omnia praenovisse in eorum cum aeternitate coexistentia. Quae enim alteri coexistunt, ea ipsa existere necesse est, tum quia prius concipitur existere, quam coexistere, tum quia coexistentia duorum est simultanea illorum existentia, ac relatio quaedam, cujus fundamentum aliud assignari nequit praeter existentiam utriusque termini. Futura autem non extiterunt ab omni aeternitate, fuissent namque aeterna, non futura: Neque igitur dicendum, quod cum ea coxtiterint. Ajunt quidem PP., Deo nihil esse futurum, sed omnia praesentia. Quoad cognitionem tamen id inquiunt; in sensu scilicet, quod futura semper novit tam clare, et distincte, quam si essent praesentia: non vero quoad existentiam, quasi omnia semper Deo coexstiterint.

Cum itaque id genus futura Deus non praenoverit in eorum cum aeternitate coexistentia, inquiunt 1.° Thomistae, medium, in quo illa praenovit, esse decretum physicae praedeterminationis in tempore dandae. Docent nempe, nihil fieri posse ab ulla causa creata, nisi ad agendum physice a Deo praedeterminetur; ideoque ad omnem quoque actum liberum voluntatis, sive ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis, sive supposita hominis innocentia, idest ante lapsum, sive post amissam innocentiam, idest post lapsum, absolute necessariam esse physicam Dei praedeterminationem. Hanc vero necessitatem tum ex parte Dei, tum ex parte ipsius creaturae ostendere, arbitrantur: ita enim exigere, inquiunt, *ex parte Dei* supremum ejus in res omnes dominium, rationem primae causae, nec non causae universalissimae, ac primi agentis, et moventis: *ex parte*

vero creaturae tam omnimodam ejus dependentiam a Creatore., et causae secundae a prima, quam indeterminationem creaturae, ex qua sequitur, quod in actum nequeat prodire, nisi Deo praedeterminante ipsius voluntatem ad agendum. Quibus positis, cum determinatio ad actum, et omissio actus inter se pugnent; ideoque posita determinatione ad actum, necessario etiam ponatur actus, dicendum proinde est, actus liberos ordinis naturalis praenovisse in decreto praedeterminandi absolute ad actum, si hic sit bonus; ad ejus vero substantiam, seu entitatem tantum, si hic sit malus, atque hac ratione ejus malitiam dumtaxat permittendo: actus autem ordinis supernaturalis in decreto largiendi gratiam physice praedeterminantem ad actum bonum.

Quid autem per physicam praedeterminationem intelligant, tradit P. Goudin celebris Thomista p. 4. Phil. Disp. 2. qu. 3. a. 2. *Physica praemotio, sive praedeterminatio est influxus causae primae receptus non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet, et applicat, non solum objective, et moraliter, alliciendo, et suadendo, sed etiam physice, et active, interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam sequitur actio, influendo; et ideo dicitur motio physica. Sed quia motio, et applicatio virtutis activae ad agendum est prior natura, quam ipsa actio, sicut omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur praevia motio, seu praemotio.* Hoc igitur systema Thomistarum.

Ab his modo convertimus sermonem ad illos, qui D. Augustinum sequi, inquiunt. Contendunt hi, aliter Deum praenovisse futura libera ordinis naturalis, aliter ea ordinis supernaturalis; atque haec aliter in statu innocentiae, aliter post amissam innocentiam. Futura scilicet ordinis naturalis, nec non peccata, omnia docent, in ipsa creata voluntate sese in tempore determinatura, Deum praenovisse. Illa vero ordinis supernaturalis, eadem quoque in statu innocentiae in ipsa creata voluntate sub gratia versatili, idest libero voluntatis arbitrio permissa, praenovisse, docent: at post amissam innocentiam non ita. Hic autem discrepant veteres a recentibus Augustinianis.

Veteres nempe ea Deum praenovisse, docent, in

pa efficacis gratiae, quam largiri decreverit, natura. Cum enim in praesenti statu juxta aliquos ex iis ad positionem bonorum supernaturalium difficiliorum, juxta alios vero ad positionem cujusvis boni supernaturalis sit absolute necessaria gratia ex se efficax, idest gratia, quae ex natura sua certam, infallibilem, et essentialem habeat cum voluntatis consensu connexionem independenter a praeviso ipsius voluntatis consensu, evidens est, quod in virtute hujusmodi gratiae, seu in Decreto absoluto hujusmodi gratiam conferendi certo Deus praenovit futura libera ordinis supernaturalis.

At recentiores Augustiniani, duce Laur. Berti, ea Deum praenovisse, docent, in victrice delectatione coelesti respectu delectationis concupiscentiae. Considerant namque victricem delectationem vel gratiae, vel concupiscentiae, velut causam determinantem voluntatem ad volendum, docentes, nihil nos velle, nisi antecedenter delectatos: et hac quidem ratione, quod si inspiratio sanctae dilectionis magis nos delectet, quam concupiscentia, in hoc casu, etsi possemus velle malum, semper tamen velimus bonum: quemadmodum ex opposito si concupiscentia magis nos delectet, quam charitas, in hoc casu, etsi possemus velle bonum, semper tamen velimus malum. Hinc quemadmodum, causa non posita, neque etiam ponitur effectus; ea vero posita, effectus etiam ponitur: ita, non posita victrice illa delectatione coelesti, neque etiam fiet, ut voluntas umquam consentiat alicui bono operi; illa vero posita, fiet semper, ut bono operi ipsa consentiat: ex quo sequitur, decretum id genus gratiam largiendi, magis scilicet delectantem, quam concupiscentiam, medium dicendum esse, in quo Deus futura libera ordinis supernaturalis in praesenti statu praenovit.

Hoc igitur systema recentium Augustinianorum: juxta quos tamen gratia efficax distinguitur quoque in eam, quae ita fortis sit, et vivida, ut quaelibet cordis duritia auferatur, ac dicitur gratia efficax absolute; et in eam, quae non sit tantae vividitatis, atque intensionis pro varia affectione voluntatis, cui confertur; quae proinde modo effectum consequetur, eritque efficax; modo effectu frustrabitur, eritque inefficax, *quamquam inspiret sanctam delectationem ad bonum in particulari, et sit ex suis intrinsecis sufficiens ad producendum opus*

salutare. Ita Laur. Berti De Theol. Disc. l. 4. c. 11. §. 9. Et cap. sequenti resp. ad 1. *Habet gratia Christi, quae convertit corda hominum gradus suos; et in uno est efficax, in altero otiosa redditur ob pervicaciam arbitrii*. Hinc gratia efficax hujus secundi generis non differt juxta laud. Theol. a gratia mere sufficienti *specie*, *et natura*, ut docent Thomistae, et Augustiniani veteres, sed *sola ratione gradualitatis*: ex quo infert 1.º, *gratiam, quae in uno est inefficax, posse esse efficacem in altero; et vicissim eamdem numero gratiam, quae in aliquibus minus excaecatis, et obduratis foret efficax, et ad poenitentiam traheret, in aliis majori caecitate, et obduratione affectis, inefficacem esse*. 2.º *eamdem numero gratiam posse esse efficacem respectu unius operis, ex. gr. orationis, ac inefficacem comparate ad alia opera, ex. gr. observantiam omnium praeceptorum Divinorum*. 3.º *omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria sufficientem, idest non efficere actus salutares propter obicem carnalis, et robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare, si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix*. Ita De Theol Disc. l. 14. c. 8.

Superest, ut aliud Scholae systema, non paucis e Theologis, amplissimae praesertim Societatis Jesu, acceptum, ultimo exponamus. Et 1., istud statuit, prorsus non videri, quomodo conciliari possit liberum hominis arbitrium, quod fide constat ab homine servari sub cujusvis gratiae, quantumvis efficacis, motione, cum gratia quomodolibet, idest sive physice, sive moraliter praedeterminante; sed ad illud servandum necesse esse, ut dicatur in quaestione; quam versamus, quod independenter ab omni decreto absoluto, sive antecedenter ad omne decretum absolutum, omnia futura libera, sive nempe ordinis naturalis, sive supernaturalis, Deus praenovit per scientiam conditionatorum. Hanc vero appellant scientiam mediam, quia nempe haberi potest, velut media, inter scientiam mere possibilium, idest *simplicis intelligentiae*, et scientiam absolute futurorum, idest *visionis*; atque definitur *illa, qua Deus independenter ab omni decreto absoluto infallibiliter novit quidquid in quavis hypothesi possibili fieret, vel non fieret a qualibet creatura libera*. Vel etiam *illa, qua Deus ab aeterno novit quid-*

quid creaturae liberae voluntas factura esset, si in his, vel illis poneretur circumstantiis, si his, vel illis praeveniretur gratiae auxiliis, antequam de his futuris actionibus absolutum emitteret decretum. Vel etiam *scientia futurorum conditionatorum independenter ab ullo Dei decreto absoluto.* Cumque praecipue assumatur ad servandam libertatem arbitrii sub gratia efficaci, clarius proinde definitur demum *praescientia futurorum liberorum juxta eorum naturam; consequenter nempe ad voluntatis determinationem, et independenter ab ullo seu Decreto, seu motione, seu gratia praedeterminante.*

Et sane, antecedenter ad consensum voluntatis habeturne, vel haberi potest actus liber? Minime quidem. Quod cum ita sit, nonnisi consequenter ad voluntatis consensum Deum cognoscere, dicendum est, futura libera: Nonnisi igitur consequenter ad voluntatis consensum illa Deus cognoscit. Voluntas autem numquam consentit ad ullum actum, nisi ob hoc, vel illud motivum; dumque agatur de actu supernaturali, nisi insuper auxilio hujus, vel illius gratiae: Nonnisi igitur consequenter ad voluntatis consensum sub conditione hujus, vel illius motivi; dumque agatur de actu supernaturali, sub conditione hujus, vel illius gratiae Deum cognoscere, dicendum est, futura libera sive ordinis naturalis, sive supernaturalis.

Advertendum tamen est 1., praevisionem consensus voluntatis sub conditione hujus, vel illius gratiae regulam Deo non esse juxta hoc systema, motivum, vel causam decernendi hujus, vel illius gratiae largitionem, quemadmodum Semipelagiani ajebant: obstat namque Tyriorum, ac Sydoniorum exemplum, quos Deus praeviderat, poenitentiam acturos, si Christi miracula vidissent, nec tamen ob imperscrutabilia ejus judicia illis videre fecit Christi miracula (Matth. 11.): sed tantum modum praevidendi futura libera convenienter ad eorum naturam; iis namque praevisis antecedenter ad voluntatis consensum, fuissent simul, et non fuissent libera; 1.m ex hypothesi; alterum, cum nec habeatur, nec haberi possit actus liber, nisi consequenter ad voluntatis consensum: praevisis vero independenter a conditione alicujus motivi, dumque agatur de actu supernaturali, independenter a conditione alicujus gratiae, fuissent quoque, et non fuissent praevisa; 1.m ex hypothesi; alterum, cum voluntas nihil velle possit, nisi sub conditione alicujus motivi, dumque aga-

tur de actu supernaturali, sub conditione alicujus gratiae: ex quo sequitur, quod ut praeviderentur convenienter ad eorum naturam, praevideri debuerunt consequenter ad voluntatis consensum sub conditione hujus, vel illius motivi, ac ubi agatur de actibus supernaturalibus, sub conditione hujus, vel illius gratiae.

Advertendum 2.°, efficacem gratiam talem quidem esse juxta hoc systema, non ratione sui, idest suapte natura, sed ex voluntatis consensu: at inde non sequi, vel necessariam non esse ejusmodi gratiam, quae etiam *actionis* dicitur; vel rationem doni, et praestantis doni non habere, quoad utrumque enim obstat illud Ap, ad Phil. 2., quod *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate*; vel demum libero hominis arbitrio deberi gratiae efficaciam, quod etiam repugnat illis Ap. verbis ad Cor. ep. 1. c. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Scilicet et juxta hoc systema necessaria est gratia efficax, seu *actionis*, quia necesse est ad opus bonum, quod Deus illam homini largiatur gratiam ex thesauris suae Misericordiae, ac Bonitatis, cui eumdem consensurum fore ab aeterno praevidit. Habet quoque gratia efficax rationem doni, ac praestantis doni, quia quaevis gratia donum est, et licet non sit efficax ratione sui, ejusmodi tamen est ratione Dei praedilectionis. Quoad postremum vero distinguenda est gratiae efficacia in actu primo, et in actu secundo. Si enim in actu primo consideretur, idest in se, et abstrahendo a voluntate, cum qua operatur, innata, et intrinseca ipsimet est ejus efficacia, nam suapte natura allicere, excitare, movere, ac flectere potest voluntatem ad bene operandum. *Hoc modo* (ita Lessius de gr. effic, c. 10.) *auxilium efficax seipso formaliter allicit, et trahit voluntatem, ut consentiat. Sicut enim liberum arbitrium, dum utitur habitu charitatis, nihil ei imprimit, sed una cum habitu, et per vires ab ipso acceptas influit in opus, ita etiam dum utitur auxilio gratiae praevenientis, nihil facit circa illud, sed cum ipso, et per vires ab eo acceptas facit opus. Itaque nihil est necesse, ut aliquid circa gratiam agat, aut ullam efficaciam illi tribuat, sed potius ipsa gratia tribuit efficaciam, seu vires libero arbitrio, ut possit uti gratia, eamque in opus dirigere, et efficacem in actu secundo reddere.* Cui accedit, quod sapienter advertit P.

Claudius Acquaviva, Soc. Jesu Praepositus Generalis, in Decreto edito an. 1613. die 14. Dec.; in ipso scilicet actu primo plus aliquid contineri in gratia efficaci, quam in mere sufficienti; quia nempe Deus, quum ex misericordiae, ac bonitatis suae thesauris illam gratiam largitur, cui infallibiliter praevidit, nos consensuros fore, atque hac ratione efficit, ut per gratiam, quam nobis largitur, reipsa faciamus, quod per aliam gratiam tantùm poteramus facere; idque ex efficaci proposito, ut per hujusmodi gratiam certissime opus bonum faciamus: nemo non videt, tantum id praestare in ipso actu primo super gratia mere sufficienti, quantum actualitas rei praestat merae ejus possibilitati. Haec de gratia efficaci considerata in actu primo.

Quod si in actu secundo consideretur, idest in signo illo, quo cum voluntate operatur, efficax dicenda non videtur, nisi ex voluntatis consensu; nam cum voluntas libere ei consentiat, eique, si velit, semper dissentire possit, profecto in actu secundo nonnisi ob ejus consensum est efficax, non enim aliter libere ei consentiret. Qua super se ita praeclare Dionysius Petavius Theol. Dogm. t. 1. l. 10. c. 19. Statuit primo notionem gratiae sufficientis, ita dicens: *Sufficiens gratia proprie est illa, quae idonea est, ut cum ea voluntas bonum velit, et operetur, si huic assentiatur, nec eam repellat; ac prorsus, si hac uti libeat, reipsa vult, operaturque bonum: nec est alia sufficientis notio usu recepta sermonis, et communi hominum innata sensui, quam ista.* Deinde vero pergit: *Jam vero quoniam effectum suum, et id, cujus causa est data, consequi non aliter potest, quam ut libere huic assentiamur, quemadmodum Synodus Tridentina docet, icirco nonnumquam fine suo frustrata gratia effectum non habet. Hinc Apostolus orat, et exhortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant fideles (2. ad Cor, 2.), et gratulatur, quod gratia Dei in se vacua non fuit (ibid,), nam eatenus efficit, et operatur (sive est efficax, et operans), si ei libere assentimur, et cooperamus, et eam recipimus, non abjicimus. Utcumque vero nos gerimus, hoc est sive dissentimus, nihilominus sufficiens est; immo ad efficiendum apta per sese, quamvis reipsa, et actu non sit efficiens. Quemadmodum nempe Christi merita per se, absoluteque sunt idonea, et ad justificandos, salvandosque vel reprobos ipsos ex se*

sufficiunt; quod autem in plerisque fiunt irrita, id ex accidenti evenit: et velut idem medicamentum curandis adhibitum corporibus aliis sanitatem affert, aliis nulla re prodest, ipsorum utique vitio, non illius; nec propterea medicamenti in se species, et natura mutatur, ut sit aliud idoneum, aliud efficax, quippe unum, et idem esse ponimus; sic adjumentum gratiae, quum effectu caret, genere non differt a seipso, quum aliquid efficit, quippe una est natura adjumentorum omnium, ut admissa, quod possunt, reipsa faciant. Ex quibus, quae fuerit praeclarissimi hujus Theologi mens, ac sententia, luculenter patet.

Hinc, ut ab ipso initio removeantur quaecumque in expositam doctrinam quoad gratiam ejus Adversarii congessere, advertatur demum, quod qui dicit, gratiam efficacem esse in actu secundo ex consensu voluntatis, eam non dicit versatilem, ac libero arbitrio subditam eo sensu, ut ab ipso virtutem suam, et efficaciam mutuetur, sed tantum sensu, quod essentialem non habet cum voluntatis consensu connexionem, quia quantumcumque efficax, ei tamen voluntas nonnisi libere consentit, eique semper potest dissentire, si velit, ut definiit Trid. sess. 6. can. 4. Procul quoque ab exposito systemate vel gratiam per liberum arbitrium praeveniri, qui error fuit Semipelagianorum; vel aliquid tribuendum esse voluntati ex solis naturae viribus, quo se discernat, discretio enim est a Deo, non ab homine; vel auxilium gratiae praevenientis esse dumtaxat morale, effective enim per veram motionem, ac physicum influxum voluntatem excitat, et adjuvat ad opus bonum faciendum; vel opus bonum partim esse a libero arbitrio, et partim a gratia, est quippe actione simultanea totum a gratia, et totum a libero arbitrio, ex quo sequitur, quod si ex duobus adultis in iisdem circumstantiis constitutis, iisdemque gratiae auxiliis instructis, unus convertatur, alter vero non convertatur, is qui convertitur, id non agit ex sola sua libertate, quia non sine gratia simul operante convertitur, sine qua numquam converteretur, vel converti posset. Procul demum ab eodem vel quidquam contra gratiae necessitatem ad singulos pietatis actus; vel aliud contra ejus gratuitatem, quam nullo actu naturali, nullis ex sola natura dispositionibus, aut conatibus potest quis umquam promereri, aut impetrare, cum ab una pendeat Dei li-

beralitate; vel quod reddat gratiam voluntatis humanae pedissequam, quodque ab hac determinetur, cum enim nonnisi ex gratiae viribus, eaque adjutrice, voluntas se determinet ad bonum, hinc sicut qui oculos ad Solis lumen aperit, ut objecta videat, non dicitur lumen determinare ad videndum, sed potius lumen ad videndum sequi, atque ab eo habere, quod determinetur, ut videat, alias nec visurus, nec penitus habilis ad videndum, ita dum voluntas consentit ex gratia ad opus bonum, non quidem gratia est pedissequa voluntatis, sed voluntas est pedisseque gratiae, et ab hac habet, ut determinetur ad opus bonum, alias nec ad ipsum se determinatura, nec penitus habilis, ut se ad illud determinaret.

Hoc ergo, quod ultimo exponendum erat, Scholae systema in quaestione, quam versamus; quodque praecipue promovit Ludovicus Molina e Societate Jesu Theologus, quare et passim appellatum Molinianum, in quo tamen promovendo quaedam scripsit, quibus merito non paucorum in se animadversionem incurrit; ut ubi ait lib. De concordia qu. 23. art. 4 disp. 1., quod *haec ratio conciliandi libertatem cum Divina praedestinatione a nemine, quem viderim, hucusque fuit tradita*. Et paullo ante conferens suam cum D. Augustini sententia, quod *si data, explanataque fuissent*, quae scripserat, *forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati*. Et art. 13. disp. 3., quod *peccatum primi parentis solum in gratuitis nobis nocuit; et ob id naturalia in nobis, et in Angelis integra remanserunt, qualia essent suapte natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecta*. Quoad 1.m enim, falsum est, ut infra videbimus, quod novi aliquid docuerit systema, quod ultimo exposuimus, cum nove tantum (quod utique licet juxta Vincentii Lyrinensis monitum) id, quod semper creditum est, explicaverit. Absit nempe in iis, quae ad Religionem pertinent, quidquam novi, cum ipsa in ejusmodi novitas sit falsitatis argumentum, juxta illud, quod alibi etiam monuimus cum Tertulliano L. de Praescriptionibus c. 31. *Id verum, quod prius traditum; id falsum, quod posterius immissum*. Quoad alterum, adeo semper Ecclesia venerata est D. Augustini auctoritatem, praesertim ubi agitur de gratia, ut quemadmodum scripsit Summus Pontifex Hormisdas ep. ad Possessorem tom. 4. Conc.

quid de libero arbitrio , et gratia Dei Romana , hoc est Catholica sequatur , et asseveret Ecclesia , licet in variis libris B. Augustini , et maxime ad Hilarium, et Prosperum , possit cognosci , etc. Utque hac super re subdit quoque praeclarissimus P. Petavius t. 1. Theol. Dogm. l. 9. c. 6. n. 1. , *Augustini de gratia sententiam quotquot deinceps consecuti sunt Patres , et Doctores , tum vero Ecclesiae Romanae Praesules ; Praesulumque conventus aliorum ratam , et catholicam judicarunt , ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum , quod ab Augustino positum , ac decretum esse constaret.* Quoad tertium denique , et adversatur D. Augustini, omniumque Theologorum sensui ; et ex eo sequeretur contra unanimem quoque omnium doctrinam , hominem non egere in praesenti statu aliis gratiae auxiliis , quam quae Angelis , et primo homini concessa fuere.

Expensuri modo quidquid hactenus exposuimus , advertendum demum existimamus quoad ultimo expositum systema , falso ab ejus osoribus evulgatum fuisse , quod proscriptum fuerit a Paulo V. peculiari sua Constitutione , quae dein ob Societatis Jesu preces promulgata non fuit ; nullam enim fidem assertae huic Constitutioni adhibendam esse, declaravit Innocentius X. publico Decreto sub die 23. Aprilis 1654. , cujus haec sunt verba : *Cum tam Romae , quam alibi circumferantur quaedam asserta Acta Manuscripta , et forsan typis excusa Congregationum habitarum coram Felicis recordationis Clemente VIII. , et Paulo V. super quaestione De Auxiliis Divinae gratiae ; nec non quoddam autographum , sive exemplar cujusdam assertae Constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione praedictae quaestionis De Auxiliis , ac damnatione sententiarum Ludovici Molinae Societatis Jesu : eadem Sanctitas Sua praesenti hoc Decreto declarat , ac decernit, praedictis assertis actis , et autographo , sive exemplari praedictae assertae Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam , neque ab alterutra parte , seu a quoquam alio allegari posse , vel debere , sed super quaestione praedicta observanda esse decreta Pauli V. , et Urbani VIII , suorum Praedecessorum ,* Illud quidem procul dubio habendum, ab eodem Innocentio , immo et a Paulo V. , et Urbano VIII , vetitum fuisse , ne alterutra pars dicteriis , et censuris alteram partem insectaretur : utque in hujusmodi , quae hinc , inde-

que inter Catholicos disputantur, magis semper, magisque charitas servaretur, declarasse etiam nuperrime Benedictum XIV. in celebri sua Encyclica ad Supremum Hispaniarum Inquisitorem data, *Ecclesiam nullum ex propositis modis conciliandi libertatem humanam cum Divina Omnipotentia*, ac proinde explicandi *sufficientiam*, *et efficaciam* gratiae, quam tradunt Thomistae, Augustiniani, et Molinistae, usque adhuc reprobasse, sed Molinianos *in tuitione Moliniani systematis libere prosequi posse*.

Quibus praemissis, nemo non videt, pertractari hanc quaestionem, in quo scilicet medio Deus praenoverit futura libera, non posse, ut par est, nisi simul agatur quaestio, utrum gratia efficax, qua nempe operamur bonum, talis sit suapte natura, vel quia physice praedeterminans, ut placet Thomistis; ; vel quia certo, infallibiliter, et essentialiter habens cum voluntatis consensu connexionem, ut placet aliis; vel quia magis delectans respectu oppositae concupiscentiae, ut Bertistae docent: an vero ejus efficacia in actu secundo locum habeat ex voluntatis consensu. Si enim 1.m, pronum est asserere, quodlibet opus bonum Deum praenovisse in Decreto talis gratiae concedendae; secus, aliter disserendum esse, nemo non videt. Sit modo

Prop. I. In quo medio Deus praenoverit futura libera, non videtur resolvendum juxta systema Thomisticum.

Probatur 1.º ex Scripturis.

Et 1.º ex illis Christi verbis apud Matth. 11. *Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plures virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam. Vae tibi Corozaim, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* In hypothesi autem Thomistarum locum non habuisset haec Christi objurgatio: quomodo enim Corozaitae, et Bethsaitae visis Christi miraculis poterant poenitentiam agere, si ipsis deerat physica praedeterminatio ad poenitentiam agendam, atque ea fuisset ad id absolute necessaria: sicut ex opposito quid mirum, quod Tyrii, et Sydonii visis Christi miraculis poenitentiam egissent, si ipsis data fuisset physica ad illam praedeterminatio, qua collata, impossibilis

est o| • is omissio? Quisnam illorum Christi verborum sensus in hypothesi Thomistarum, nisi: *Vae tibi, Corozaim, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, Pater meus Coelestis physicam praedeterminationem illis dedisset ad poenitentiam agendam, qua collata, non potuissent poenitentiam non agere?* Tunc nempe merito in materia, de qua agitur, unus prae alio arguitur, quum unus non agit bonum cum iisdem gratiae viribus, et auxiliis, cum quibus alter bonum agit: non vero cum in uno fuerint majores vires, quam in alio; eoque minus cum in uno fuerit auxilium aliquod necessarium, quo alter caruerit; etiamque minus, si is, qui non bene agit, bene ageret, si haberet idem physice auxilium, quod habet ille, qui bene agit; et e contrario is, qui bene agit, non bene ageret cum eodem auxilio, quod habet ille, qui non bene agit. Id porro fuisset in Tyriis, et Sydoniis juxta Thomistarum systema respectu incolarum Corozaim, et Bethsaidae.

2.° Ex illis Scripturarum testimoniis, in quibus peccatores objurgantur, quod Deo vocanti non obtemperant, quod Spiritui Sancto resistunt, quod ad Christum non redeunt, etc.; ut Prov. 1. *Quia vocavi, et renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo.* Act. 7, *Dura cervice, et incircumcisis cordibus vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Matth. 23. *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* In hypothesi autem Thomistarum immerito objurgarentur, respondere enim possent: *Quomodo a nobis Deo vocanti obtemperandum, quomodo a nobis consentiendum Spiritui Sancto, quomodo a nobis eundum ad Christum, si nobis deest physica ad id praedeterminatio absolute necessaria ad quemcumque actum, nec a nobis dependens, ut eam habeamus?*

3.° Ex illis earumdem testimoniis, in quibus homo vere agere dicitur sub motione gratiae; ut Eccli. 15. *Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Et c. 31. *Beatus vir, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Et Prov. 16. *Hominis est praeparare animam.* Et Zach. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus, et ego convertar ad vos.* Et 1. ad Cor. 5. *Abundan-*

tius illis omnibus laboravi; non ego tamen, sed gratia Dei mecum. Et 2. ad Tim. c. 2. *Si quis emendaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* In hypothesi autem Thomistarum quomodonam humana voluntas sub gratia physice praedeterminante active se haberet ad opus bonum, et non potius passive, ac velut merum instrumentum? Cum determinatio ad actum sit quid simplex, et indivisibile, quid clarius, quam quod prodire nequit a duabus causis, nisi hac tantum ratione, quod una ex iis sit efficiens, seu activa, altera mere instrumentalis, ac passiva?

Sed inquiunt 1.° Stat penes hominem seipsum non impedire ad habendam gratiam praedeterminantem, qua suam deponat obstinationem, et ad Deum convertatur. Quod cum ita sit, merito, optimoque jure ei imputabitur ad culpam, si obstinationem suam non deponat, et convertatur ad Deum, quia nempe ipse est causa, cur gratia careat praedeterminante: *Licet motio praevia* (*ita Alvares Disp.* 18. *n.* 20.) *non sit in potestate creatae voluntatis, tamquam in causa efficiente, est tamen in facultate nostrae voluntatis seipsam impedire, ne habeat illam motionem. Unde si non operetur actum, qui est in praecepto, imputabitur illi ad culpam, eo quod sua causa se impedivit, ne daretur auxilium efficax, quod necessarium erat.*

R. 1.° retorquendo arg.; vel enim voluntas, ne impediat seipsam ad habendam gratiam praedeterminantem, eget praedeterminatione, vel non. Si 1.um, Deo praedeterminationem non danti, non vero voluntati tribuendum esset, quod seipsam impedierit ad eam habendam. Si alterum, ita arguimus: Ut ergo voluntas seipsam non impediat ad habendam gratiam praedeterminantem, nulla praedeterminatione eget. Omni autem praedeterminatione absente, omnis quoque actus ex Thomistis abesse debet: Ut ergo voluntas seipsam non impediat ad habendam gratiam praedeterminantem, nullo actu eget; ex quo sequitur sufficere, quod negative se habeat. Idem autem dictu est, sufficere ad id, quod negative se habeat, ac negativum liberi arbitrii usum ipsum esse salutis initium, idest causam, cur homo a Deo accipiat gratiam praedeterminantem, eaque ab aliis se discernat; quod absit, dicamus: Quo ergo se vertent Thomistae? Praeterquamquod si voluntas, ut seipsam non

impediat ad habendam gratiam praedeterminantem, nulla praedeterminatione eget, quis non videt, non potuisse a Deo praesciri, quod seipsam non impediisset ad habendam gratiam praedeterminantem, dependenter a Decreto ejuscemodi praedeterminationis dandae; ideoque falsum esse, quod omnia futura libera fuerint a Deo praescita in ejuscemodi Decreto? Est nempe aliquid liberum, quod voluntas seipsam non impediat ad habendam gratiam praedeterminantem? Utique profecto; si enim esset aliquid non liberum, neque etiam esset ejus culpa, quod gratia praedeterminante destitueretur. Jam vero si nulla praedeterminatione eget, ut voluntas seipsam non impediat ad habendam gratiam praedeterminantem, en istud libere futurum a Deo praescitum citra ullum decretum praedeterminationis in tempore dandae: Falsum igitur, quod omnia futura libera fuerint a Deo praescita in ejuscemodi Decreto; ac quocumque Thomistae se convertant, ex uno in alium scopulum incidunt.

R. 2.° neg. maj.; quid enim 1.° seipsum non impedire ad habendam gratiam praedeterminantem, nisi non resistere gratiae sufficienti? Qui autem gratiae sufficienti, quae ei inspirat observantiam alicujus praecepti, non resistit, jam ipsum praeceptum observat, si namque illud non observaret, jam illi resisteret: Seipsum igitur non impedire ad habendam gratiam praedeterminantem ipsam observantiam praecepti includit. Ad quodvis autem praeceptum observandum requiritur ex Thomistis gratia praedeterminans: Non igitur penes hominem seipsum non impedire ad habendam gratiam praedeterminantem, sed penes Deum, qui praedeterminantem ad id gratiam illi tribuat. Quid item seipsum non impedire ad habendam gratiam praedeterminantem, nisi aliquid liberum? Nequit autem concipi aliquid liberum, quin simul sit actus voluntatis: Seipsum igitur non impedire ad habendam gratiam praedeterminantem actus voluntatis dicendus est. Ad omnem autem voluntatis actum requiritur ex Thomistis physica praedeterminatio: An non igitur clarius, penes hominem non esse seipsum non impedire ad habendam gratiam praedeterminantem, sed penes Deum praedeterminationis physicae largitorem? Quod ipse Arnaldus perspiciens, *manifestum est* (inquit), *non minus ridiculum fore, qui respondeat, idcirco justo gratiam illam efficacem ad assensum necessariam Deum non dedisse,*

quia justus impedimento fuit, quam qui tempore ecclypsis interrogatus, cur Sol non illuminet, hujusce rei hanc causam esse dicat, quod terra tenebris cooperta sit (*Diss. de vera S. Th. circa gr. suff. doctr. art.* 22. *qu.* 4.)

Inquiunt 2. Gratia sufficiens, quamvis sola, confert tamen homini potentiam perfecte completam deponendi suam obstinationem, ac se ad Deum convertendi. Absente autem gratia praedeterminante, secum tamen homo habet gratiam sufficientem: Et gratia igitur praedeterminante absente, merito ad culpam illi imputabitur, si obstinationem suam non deponat, ac ad Deum convertatur: *In pia illa affectione* (ita idem Alvares). *quam per gratiam sufficientem nos dicimus hominibus inspirari, tribuitur operis non quidem executio, sed vera potestas, quamquam non ita expedita, ut reipsa prodeat in actum. Sufficiens ergo est, licet requiratur gratia praedeterminans, ut ad actum seipsa applicetur* (*Disp.* 79. *n.* 4.).

R. Dist. maj.; quod nempe gratia sufficiens, quamvis sola, confert quidem homini potentiam perfecte completam deponendi suam obstinationem, ac se ad Deum convertendi; non tamen in hypothesi Thomistica. Estne enim juxta hanc absolute necessaria ad actum gratia praedeterminans? Quis autem non videt, quod dum deest. quod est absolute necessarium ad actum, deest quoque ad illum potentia perfecte completa? Quid evidentius? Absente igitur gratia praedeterminante, nullam haberi, hypothesi Thomistarum posita, cum sola gratia sufficienti potentiam ad actum conversionis perfecte completam, perspicuum est. Hinc apposite Thomasinus tr. de gr. c. 8. *Nemo veterum Theologorum attigit sufficientia illa auxilia, quorum effectus nunquam est ullus. Omnibus placuere sufficientia ea auxilia, quibus assentitur quandoque voluntas, quandoque non assentitur. Si haec auxilia* (idest sufficientia) *proximam dant potestatem, qui fit, ut praeceptum observet nemo? Aut quomodo sunt vere sufficientia, si praeterea gratia efficax est necessaria? Non habet potestatem sufficientem, cui deest auxilium necessarium.* Praeclare profecto.

Inquiunt 3.° Primum, et secundum argumentum solvendum quoque est in quovis systemate; quavis namque facta hypothesi quoad naturam gratiae efficacis, reponere aeque potest qui Dei mandata transgreditur, quod haec non transgrederetur gratia efficaci adjutus. Vel

igitur nullius roboris utrumque adversus systema Thomisticum, vel aequalis roboris adversus quodvis systema.

R. neg. ant.; dicendo enim, gratiae efficaciam in actu secundo ab ipso voluntatis consensu petendam esse, ejus quoque inefficaciam ab ipsius voluntatis dissensu, idest malitia petendam esse, consequens est. At in systemate Thomistico undenam gratiae efficacia, nisi ab eo quod praedeterminans? Ejus igitur inefficacia ab eo, quod non praedeterminans, idest ab ipsius gratiae natura. Patet ergo disparitas. Utque idem diversimode dicamus, ajendo, quod gratiae efficacia in actu secundo petenda est a voluntatis consensu, necessaria quidem est ad actum bonum gratia hujusmodi, cui voluntas consentiat; quomodo enim haberi actus bonus poterit, nisi voluntas gratiae consentiat? Non tamen gratia, quae natura distinguatur a gratia mere sufficienti, ut Adversariis placet. Qua super re satis hic sit animadvertere, quod si ad actum bonum necessaria esset gratia, quae natura distinguatur a gratia mere sufficienti, falsum esset, quod identidem Ecclesiae DD. inquiunt, posse duos aequali gratiae adjutorio suffultos ita diverse se gerere, ut unus Dei mandata observet, et in bono proficiat, alter Dei mandata transgrediatur, et in vitiorum coeno volutetur. Ita nempe D. Aug. De Civ. Dei l. 12. c. 6, *Duo aequaliter affecti animo, et corpore eadem tentatione tententur; et unus ei cedat, atque consentiat; alter idem, qui fuerat, perseveret: quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* Ita etiam D. Th. 3. p. q. 61. a. 8. ad 2. *Licet baptizati aliqui interdum aequalem gratiam percipiant, non aequaliter illa utuntur, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest.* Ita etiam D. Bonav. in 4. sent. *Ex aequali gratia aliquando magis fervens elicitur motus, aliquando minus, secundum cooperationem liberi arbitrii.* Ac ita demum D. Franciscus Salesius Teot. l. 1. c. 10., ubi explicans judicium, quod vocat comparationis, de quo non semel in Evangeliis fit mentio, in hoc illud collocat, quod aliqui aequalibus, immo majoribus gratiae auxiliis praeventi, et excitati, Divinae nihilominus Misericordiae resistunt: alii aequalibus, immo minoribus gratiae auxiliis excitati, Divinae inspirationi obtemperant, ac poenitentiam agunt.

Inquiunt 4.° Cum Deus sit omnipotens, potest proinde hominem praedeterminare, ac simul efficere; quod vere agat, idest active se habeat sub gratia praedeterminante: *neque enim repugnat* (scribit Laur. Berti De Theol. Disc. l. 14. c. 9. Mom. 2.), *eamdem voluntatem agi simul, et agere, determinari, ac determinare, si unum ad superiorem causam, istud vero ad liberum effectum referatur*: Habetur ergo, quomodo voluntas possit vere agere sub gratia praedeterminante.

R. neg. ant.; cum enim, ut diximus, determinatio ad actum sit quid simplex, et indivisibile, nequit proinde a duabus causis prodire, nisi hac tantum ratione, quod una ex iis sit causa efficiens, seu activa, altera mere instrumentalis, ac passiva: ex quo sequitur, esse absolute impossibile, quod Deus determinet voluntatem ad agendum, habeatque voluntas sub Dei determinatione aliam rationem, quam causae mere instrumentalis, ac passivae. Quod autem est absolute impossibile, potestne efficere ipsa Dei Omnipotentia?

Probatur 2.° ex Sanctitate Dei.

Et 1.° nulla efficacior peccati causa, quam illa, ex qua peccatum indeclinabiliter sequitur. Ex praedeterminatione autem physica, quam Deus det ad peccati actum, peccatum indeclinabiliter sequitur: Ratione igitur ejusmodi praedeterminationis dicendus esset Deus efficax peccati causa; quod cum ejus sanctitate pugnat.

2.° Potiori jure auctor peccati est, qui ad peccati actum physica praedeterminatione impellit, quam qui ad illud traheret sola suggestione, ac suasione, nihil intrinsecus operando in hominis voluntatem. Qui autem hoc secundo modo ad peccati actum trahit, procul dubio est peccati auctor: Eo magis igitur illius auctor Deus esset, si ad peccati actum physica praedeterminatione impelleret.

3.° Qui antecedenter ad omnem determinationem alterius praedefinit, ac decernit actum, a quo inseparabilis est peccati malitia, et ad quem deinde physice praedeterminat, illius actus dicendum esse auctorem, nemo non videt. Porro Deus ex Thomistis antecedenter ad omnem humanae voluntatis determinationem (cum numquam haec nisi a Deo determinari possit) ab aeterno

praedefiniit, ac decrevit omnem praedeterminationem sive ad bonum, sive ad malum humanae voluntatis actum, nihil enim ipse efficit in tempore, quod ab aeterno non praedefiniit, ac decrevit, ideoque pro omni actu, ad quem nos praedeterminat in tempore, dicendum est, ipsum praedefiniisse, ac decrevisse, quod nos ad illum determinaret; ac revera in tempore ad quemvis actum nos praedeterminat: Nemo igitur non videt, quod juxta systema Thomisticum omnium nostrorum peccatorum auctor dicendus esset: *Necesse erit in opinione Thomistarum* (ita Tourn. tr. De Deo q. 16. art. 3.), *Deum ab aeterno praedefiniisse, ac decrevisse illum actum intolerandae superbiae, quo Angeli Deo aequales esse voluerunt; actum, quo Adamus voluit contra legem Dei manducare de fructu vetito; actum denique, quo proditor Iudas Christum tradere constituit.* 2.° *necesse erit, ut Deus in executionem sui Decreti in tempore praemoveat, ac physice praedeterminet Angelum ad actum superbiae, Adamum ad actum inobedientiae, Iudam ad actum proditionis, ac perfidiae. Hinc autem manifeste sequitur, Deum auctorem esse peccati, utpote qui antecedenter ad praevisam voluntatis creatae determinationem, statuit illos actus fieri, et ad illos physice praemovet, a quibus inseparabilis est peccati malitia.*

Audiatur tandem P. Fortunatus a Brixia Meth. p. 3. sect. 3. *Cum praedeterminantium sententia nihil prorsus agere possit creatura, nisi physice a Deo praedeterminetur, physica praemotione opus est homini etiam, ut male agat. Ideo ergo pessime vivit homo, quia ad pessime operandum a Deo praemovetur. Hoc autem Divinae sanctitati derogari quammaxime, nescius nemo est; sequitur enim, Deum ipsum accusari debere, eique imputari, si inhoneste vitam suam homo traducat: ergo. . Quod et confirmatur; vacatne enim culpa, qui hominem ad male operandum moraliter praemovet? Ergo is itidem, et quidem a fortiori, immunis a culpa non est, qui eumdem ad inhonestas actiones physice praedeterminat.*

Sed inquiunt 1.° Juxta praedeterminantium sententiam, non quidem ad formale peccati, sed tantum ad ipsius materiale Deus praedeterminat. Peccatum autem constituitur per ipsius formale; Non igitur Deus ex praedeterminantium sententia peccati auctor.

R. neg. cons. ; per id enim Thomistae toto coelo a Calvinianis distant, nam primam causam praedestinare actus malos, et hos absoluta necessitate evenire, impius Calvinus docuit ; Thomistae vero defendunt praedestinationem actus, sed non malitiae, quam in causam proximam refundunt. Toto coelo idcirco a Calvinianis distant. Attamen vel sermo fit de actibus intrinsece malis, vel non. Si 1.m, neg. maj. ; nonne enim Deus eo ipso, quod praedeterminaret ad materiale actus, praedeterminaret quoque ad ipsius formale ? Si alterum, neg. cons. ; si enim Deus ideo dicendus non esset peccati auctor, quia tantum ad materiale, non vero ad formale peccati praedeterminaret, nemo etiam suorum peccatorum dicendus esset auctor, quippe quod sicut materiale peccati illud est, quod concupiscentiam explet, ita etiam materiale peccati illud est, quod a peccante expetitur. Eo ipso igitur, quod Deus praedeterminaret ad actum, cui adnexa est malitia, vel dicendum esset, ipsam malitiam velle, vel omnes a suis peccatis excusari hac ratione posse. Accedit, quod malitia peccati, et privatio debitae rectitudinis cum non sint entitates, neque etiam extant per se, et directe, sed indirecte tantum, ac ratione actus positivi. Quisquis ergo actum positivum causat, indirecte saltem est etiam causa malitiae. Quis demum dixit, ad peccandum, ut quis malitiam ipsam directe velit, necesse esse ?

Inquiunt 2.° quotiescumque plures causae ad eumdem effectum concurrunt, vitium effectus refunditur in causam proximam, non vero in causam remotam. Ita ex. gr. cum Magister movet, et applicat manum pueri ad scribendum, conscribillatio tribuitur pueri brachio, non vero Magistro moventi, atque applicanti illius brachium. Ita etiam claudo ambulante, claudicatio adscribitur tibiae, non vero animae. Ita etiam citharam pulsante experto Fidicine, si qua sit dissonantia, instrumento tantum adscribitur. Deus autem ex praedeterminantium sententia est causa remota, creatura vero est causa proxima actus peccaminosi : Hujus igitur vitium, seu malitia, non Deo, sed soli creaturae ex praedeterminantium sententia tribuenda est.

R. dist. maj. ; quotiescumque scilicet plures causae ad eumdem effectum concurrunt, vitium effectus non refunditur in causam remotam, sed in causam proxi-

mam, si haec sit ante determinationem causae remotae alias ad vitium determinata, prout in allatis exemplis; non vero si causa proxima omnem suam determinationem a causa remota accipiat. Porro ante Dei praedeterminationem estne homo ex Thomistis ad peccandum determinatus; an vero omnem suam determinationem ad peccandum a Deo accipit? Accedit, quod in allatis exemplis idcirco vitium non tribuitur causae remotae, quia haec est finitae virtutis, nec potest causam proximam sibi in omnibus subjicere, licet ad id conetur. Hoc autem ad Deum applicari non potest: Patet ergo disparitas.

Inquiunt 3.° Quamquam actionem, qua Deus infundit animam corpori, consequatur post Adae lapsum peccatum originale, non tamen Deus causa dicitur originalis peccati. Neque igitur causa actualis peccati dicendus erit, tametsi praedeterminet ad actum, cui hoc adnectitur.

R. neg. cons., et paritatem; peccatum namque originale sequitur quidem creationem animae; at tantum in praesenti statu, atque hinc per accidens, quemadmodum manifestum facit primorum parentum exemplum. At praedeterminatio ad actum peccati, non quidem per accidens, sed per se, et suapte natura cum peccato actuali connecteretur; posita enim praedeterminatione ad peccatum, per se, et suapte natura ipsum peccatum ponitur.

Inquiunt 4.° Quovis posito systemate, solvendum quoque est, quomodo Deus non sit peccati auctor, cum tamen concurrat ad ipsum peccati actum. Vel igitur nullius roboris prolata argumenta adversus systema Thomisticum, vel aequalis roboris adversus quodvis systema.

R. dist. ant.; quovis nempe posito systemate, solvendum quoque est, quomodo Deus non sit peccati auctor, cum tamen concurrat ad ipsum peccati actum, quod simul faciliter solvitur; dum e contrario in systemate Thomistico solvi nullatenus potest. Primum, cum enim hoc tantum sensu concurrere Deus dicatur ad hominum peccata, quod eo momento, quo peccant, eorum nedum existentiam, sed et vim conservet, qua agunt, hinc soli homini attribui debet, quod cum in sua sit potestate vim illam ad bonum aeque, vel malum applicare, ad hoc potius eam applicet, quam ad illud.

Alterum, quia cum physica praedeterminatio ita habeat rationem causae in omnem voluntatis actum juxta systema Thomisticum, ut repugnet, voluntatem agere, nisi prius, quam agat, accipiat praedeterminationem, hinc posita physica praedeterminatione ad peccatum, antecedenter quoque ad omnem voluntatis determinationem, utpote quae ipsius praedeterminationis effectus, necessitaremur ad peccandum.

Probatur 3.° *ex hominis libertate.*

Et 1.° posita impossibilitate actus, neque etiam habetur ad illum actum ulla potentia; ac si haberi dicatur, perinde est id genus potentia, ac si prorsus non esset. Sic deficiente pane, ac vino, nullam habet Sacerdos consecrandi potentiam; ac si dicatur eam habere, ejus tamen ad id potestas ita est, ac si prorsus non esset. Absente autem praedeterminatione ad actum, nulla habetur ex Thomistis possibilitas actus: Eadem igitur absente, nullam habet voluntas potentiam ad illum; ac si dicatur eam habere, ejus tamen ad actum potestas ita est, ac si prorsus non esset. Dum autem habet praedeterminationem ad aliquod, eo ipso non habet praedeterminationem ad oppositum: Sub praedeterminatione igitur ad aliquod nullam habet potentiam ad oppositum. Cumque sublata facultate ad oppositum, tollatur quoque libertas, hanc proinde omnino everti ab praedeterminantium sententia, consequens est.

2.° Haec natura est relativorum, quod uno sublato, alterum quoque tollatur. Omnis autem facultas ad suos actus refertur, ac proinde quid relativum sonat: Sublato igitur actu libero, tollitur quoque eo ipso facultas libera. Utque idem diversimode dicamus, quid facultas, nisi possibilitas actionis? Facultas igitur libera possibilitas actionis liberae. Per physicam autem praedeterminationem tollitur actus liber; physicam namque praedeterminationem necessario sequi debet actus, nec possibile est, ut illi voluntas non obtemperet; qua proinde posita, cum nulla habeatur potentia ad oppositum, ubinam amplius libertas actus? Per physicam igitur praedeterminationem tollitur etiam facultas libera; seu, quod idem est, omnino etiam libertas tollitur.

3.° Libertas cujusque agentis postulat, ut ipse se determinet; haeque ideae ita secum cohaerent, ut nullatenus possint a se divelli; immo dici potest, quod mutuo se habeant, quemadmodum definitum, et definitio. Quod si libertas cujusque agentis postulat, ut ipse se determinet, en quod determinatio ab alio, et libertas non sunt inter se compatibilia, ac se mutuo excludunt, quemadmodum definitum, et oppositum definitionis: Ita igitur dicendum. Cui accedit, quod quis non evidentissime perspicit, quod si is, qui operatur, ipse se non determinet, neque etiam libere eum operari, dicendum sit? Ut igitur, qui operatur, libere operetur, ipsum se determinare, necesse est. Ex Thomistis autem omnis ab homine tollitur determinatio, quia dicitur, quod a Deo determinatur: Ex iisdem igitur omnis quoque ab homine libertas tollitur.

4.° Exigit libertatis essentia, quod voluntas, habitis omnibus ad volendum requisitis, possit aeque velle, et non velle. Negari autem nequit, voluntatem sub praedeterminatione constitutam non posse non velle; estque praedeterminatio praecipuum juxta eosdem ex requisitis ad volendum: In ejusmodi igitur systemate voluntas sub praedeterminatione constituta non est amplius libera.

5.° Estne impossibilis sub gratia praedeterminante voluntatis dissensus? Utique, respondere debent Thomistae, cum contradictionem implicet determinatio ad actum, et non actus. Porro impossibilem esse voluntatis dissensum, et voluntatem non posse dissentire sunt prorsus idem; ac si gratiae praedeterminanti non potest voluntas dissentire, necessario ei consentit: Actum igitur esset de libertate sub gratia praedeterminante; ex quo Thomisticum systema omnino libertatem tollere, consequens est.

Apposite demum Martinus Becanus de Attrib. Div. q. 9. *Si Deus efficaciter determinat voluntatem meam ad hoc faciendum, jam non relinquitur mihi liberum, ut hoc faciam, vel non faciam, sed necessario id mihi faciendum est, ad quod mea voluntas a Deo determinatur. Respondent aliqui, arbitrium nostrum, quando determinatur a Deo ad aliquid agendum, necessario tunc agere in sensu composito, non autem in sensu diviso. Sed hoc idem est, ac si dicant, liberum arbitrium necessario agere, quando a Deo determinatur, libere, quando non determinatur: ex quo sequitur, quod illa determinatio necessitatem adferat libero arbitrio. Simile exem-*

plum est, si quaeram, an homo libere maneat in carcere, quando ligatus est catena? Et respondeas, libere manere in sensu diviso; necessario in sensu composito.: idest libere manere, si divisus, et absolutus sit a catena, ut abire possit; necessario, si compositus, et colligatus sit ad catenam: ex quo sequitur, catenam illi imponere necessitatem manendi. Quis dubitat?

Hinc inquiunt 1.° Dum voluntas habet praedeterminationem ad aliquod, puta ad bonum, nullam quidem habet potentiam ad oppositum, idest ad malum, in sensu composito ipsius praedeterminationis, utique tamen eam habet in sensu diviso ipsius praedeterminationis; hac nempe absente. Libera igitur.

R. 1.°, quod etiam sub gratia Janseniana, et Calviniana in sensu composito ipsius gratiae est, quod voluntas illi nequit resistere. Quis ergo non videt, aliud non esse distinctionem illam sensum inter compositum, et divisum, nisi figmentum, quod liberum hominis arbitrium sub gratia efficaci non servat, nisi nomine tenus?

R. 2.° retorquendo arg.; qui enim vinculis constringitur, licet ambulare possit in sensu diviso vinculorum, idest solutis vinculis, estne tamen liber ad ambulandum, si ea solvere nequeat? Æque igitur voluntas sub Dei praedeterminatione, licet dissentire possit in sensu diviso ipsius praedeterminationis, hac nempe absente, neque etiam erit libera ad dissentiendum, cum Dei praedeterminationem superare nequeat.

R. 3.° indirecte; quid namque illud, quod voluntas potest abjicere gratiam praedeterminantem, eique dissentire, si velit, in sensu diviso ipsius gratiae, nisi quod potest abjicere gratiam praedeterminantem, eique dissentire, si eam non habet, si ea abest, si ab ea non excitatur? Loquereturne tamen serio, qui diceret, talem Ducem posse hostibus resistere, si hi absint, nec contra eum pugnent? Cui accedit, quod dum Tridentinum declaravit, hominem posse abjicere gratiam, eique dissentire, si velit, id profecto intellexit in sensu composito ipsius gratiae moventis, et excitantis; tum quia non potest abjici, nisi quod actu habetur; tum quia illius scopus fuit damnare Lutheranos, et Calvinistas, contra quos coactum fuerat, quique ajebant, hominem non posse gratiae dissentire in sensu composito ipsius gratiae: *Voluntatem movet Dei gratia* (ita Calvinus l. 2. Inst.

2. de grat.), *non qualiter multis saeculis traditum est, et creditum, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari.* Utque idem diversimode dicamus, dum Tridentinum declaravit, hominem posse abjicere gratiam, eique dissentire, si velit, illud declaravit in sensu, in quo a Lutheranis, et Calvinistis, contra quos coactum fuerat, id negabatur. Ab his autem negabatur, hominem posse gratiam abjicere, eique dissentire in sensu composito ipsius gratiae: Dum declaravit igitur, hominem posse gratiam abjicere, eique dissentire, si velit, id profecto in sensu composito ipsius gratiae declaravit.

R. 4.° directe neg. cons.; 1.° enim in essentiam libertatis ingreditur, quod in sensu composito requisitorum ad volendum voluntas aeque possit velle, et non velle. Ex Thomistis autem Dei praedeterminatio praecipuum est ex requisitis ad volendum: Etsi igitur voluntas in sensu tantum composito praedeterminationis nequeat non velle, eo ipso tamen non est amplius libera. 2.° si potentia resistendi physicae praedeterminationi in sensu diviso ipsius praedeterminationis, seu ipsa absente, sufficeret ad dicendum, voluntatem sub ea esse liberam, aeque etiam potentia Beatorum non amandi Deum in sensu diviso luminis gloriae, et visionis intuitivae sufficeret ad dicendum, quod Beati libere Deum ament. Potentia autem Beatorum non amandi Deum in sensu diviso luminis gloriae, et visionis intuitivae satis non est ad dicendum, quod Beati libere Deum ament: Nec igitur potentia resistendi physicae praedeterminationi in sensu diviso ipsius praedeterminationis satis erit ad dicendum, voluntatem sub ea libere velle.

Inquiunt 2.° Voluntas in sensu composito volitionis neque etiam potest non velle, et tamen libere vult. Aeque igitur, tametsi nequeat non velle in sensu composito praedeterminationis, eam tamen sub illa libere velle, dicendum est.

R. 1.° neg. suppositum antecedentis; non enim quaeritur, quemadmodum in antecedente supponitur, an voluntas possit non velle, dum vult, sive an possit dissentire consensui, et componere dissensum cum consensu, quod manifestam contradictionem implicat; sed an possit dissentire gratiae praedeterminanti, et componere gratiam praedeterminantem cum omissione actus: quod cum

nequeat, ubinam amplius sub ea liberum hominis arbitrium?

R. 2. neg. cons., et paritatem; aliud namque est, voluntatem non posse non velle in sensu composito volitionis; aliud, eam non posse non velle in sensu composito praedeterminationis. Primum oritur ex principio contradictionis; cumque impotentia in hoc primo casu supponat volitionem, ideoque consequenter se habeat ad ipsius voluntatis determinationem, nullatenus proinde libertatem laedit: sive (quod in idem recidit) hoc ipso, quod ejusmodi necessitas sit consequens liberam voluntatis determinationem, jam libertati non opponitur, hoc ipso enim, quod supponit libertatis exercitium, jam illam non destruit, nec in alio consistit, nisi in hoc, quod nequeat simul esse actus, et non actus. Alterum tamen undenam, nisi ex vera oriretur necessitate? Cumque impotentia in hoc secundo casu volitionem non supponeret, ideoque non jam consequenter, sed antecedenter se haberet ad voluntatis determinationem, nullum prorsus libertati locum relinquere, manifestum est.

Inquiunt 3.° cum praedeterminatio, et actio sint, et ponantur simultanea, idem proinde est, quod voluntas non possit non velle in sensu composito praedeterminationis, quodque eadem non possit non velle in sensu composito actionis. Quod autem voluntas non possit non velle in sensu composito actionis libertatem non tollit: Neque igitur eam tollit quod non possit non velle in sensu composito praedeterminationis.

R. neg. sequ. maj.; sunt enim simultanea ex Thomistis praedeterminatio, et actio; at simul praedeterminatio est causa actionis, actio vero praedeterminationis effectus. Quemadmodum ergo causa realiter ab effectu distinguitur, ita et praedeterminationem ab actione distingui, consequens est. Cui accedit quod supra diximus, aliud nempe esse, voluntatem non posse non velle in sensu composito actionis, aliud eam non posse non velle in sensu composito praedeterminationis, cum primum proficiscatur ex principio contradictionis, alterum nonnisi ex necessitate, quam praedeterminatio voluntati imponeret, proficisceretur.

Inquiunt 4.° Sub gratia physice, vel quomodolibet praedeterminante manet adhuc indifferentia judicii. Ex

hac autem oritur in homine libertas, ut in tractatu de actibus humanis ostendimus: Et haec igitur sub illa manet.

R. neg. cons.; libertas enim oritur quidem in homine ex indifferentia judicii; non tamen per eam constituitur, sed per vim in voluntate se flectendi per electionem ad utrumlibet oppositorum: nisi dicere velimus, quod homini fractis cruribus prostratus ob id solum, quia videt in casu incendii fugiendum esse, tametsi nequeat fugere ob virium defectum, sit nihilominus liber ad fugiendum.

Inquiunt 5.° In quovis systemate quoad efficaciam gratiae aeque dicendum est, humanam voluntatem sub gratia efficaci constitutam non posse eidem non obtemperare. Vel igitur quodvis systema quoad efficaciam gratiae cum libertate pugnat, vel dicendum, quod licet voluntas sub Dei praedeterminatione constituta non possit eidem non obtemperare, adhuc tamen sub eadem libere velit.

R. neg. ant.; dicendo enim gratiae efficaciam in actu secundo ab ipso voluntatis consensu agnoscendam esse, dicendum quidem, humanam voluntatem sub efficaci gratia constitutam non posse eidem non obtemperare, at simul cum haec impotentia ponatur consequens liberam ipsius voluntatis determinationem, jam libertati non officit, quemadmodum nempe libertati non officit, ut cum quis se determinaverit ad ambulandum, ambulet. Non ita tamen in systemate Thomistico, in quo, cum gratiae efficacia ab eo petatur, quod sit physice praedeterminans, ideoque ponatur independens a voluntatis determinatione, utpote quae ipsius Dei praedeterminationis effectus, hinc impotentia eidem non obtemperandi non est consequens, sed antecedens voluntatis determinationem: cujusmodi impotentiam omnino libertatem tollere, omnes ad unum usque Philosophi affirmant, evidensque ratio demonstrat.

Inquiunt 6.° Cum Deus sit omnipotens, potest proinde hominem praedeterminare, ac simul efficere, ut sub ejus praedeterminatione sit liber. Cui accedit, quod cum praescientia, et ordinatio Dei sit infallibilis, hoc ipso idcirco, quod Deus praescivit, ac decrevit, hominem in cunctis suis actibus esse liberum, et ad gloriam perducere per merita, quae nulla sunt, nisi sint libera, liber in iis homo esse debet, nam nisi esset liber, ejusque actus plena libertate eliciti, Dei praescientia, et ordina-

tio fallerentur: Sub ipsa igitur Dei praedeterminatione utique homo esse potest liber, estque liber dicendus.

R. neg. ant.; nequit namque efficere Dei Omnipotentia, quod contradictionem implicat; eamque implicat, quod voluntas sit libera, et simul nullam habeat potentiam ad oppositum; nec non sit libera, et simul ab alio determinetur. Ita porro res se haberet juxta systema Thomisticum. Ad id autem, quod additnm est, respondetur, quod ideo Dei praescientia, ac Decreta humanam libertatem non laedunt, quia tantum necessitate consequente liberam voluntatis determinationem ejus actus Deus praescivit, ac decrevit: quo semel Decretis praedeterminantibus sublato, omnis simul tollitur libertas, quin ad illam servandam in medium proferri possit Dei vel omnipotentia, vel ejus praescientiae, ac Decretorum infallibilitas, cum nec Deus ipse possit pugnantia efficere.

Prop. II. Quo in medio Deus praenoverit futura libera ordinis naturalis, eaque etiam ordinis supernaturalis in statu naturae innocentis, videtur quoque nobis, resolvendum non esse juxta systema Augustinianum.

Prob. Ex Augustinianis namque medium, in quo Deus ejuscemodi futura praenovit, est voluntas creata. Haec autem nullatenus esse potuit Deo certum, et infallibile cognitionis medium; vel enim, quemadmodum Tournelius argumentatur, praecise, ac nude in se spectatur, vel in certis quibusdam circumstantiis posita. Si 1.m, jam plane suspensa, indeterminata, et indifferens est ad utrumque oppositum; in causa autem indeterminata nihil profecto certi cognosci potest. Si alterum, adhuc jam libera est, et agere potest, vel non agere; ac si unam in partem potius, quam in alteram inclinanda praevidetur, non certo, sed conjecturaliter tantum id praevidetur; procul autem a Deo omnis incerta, et conjecturalis cognitio: Patet ergo propositum.

Sed inquiunt. Qui comprehendit aliquam causam, hoc ipso omnes quoque illius effectus certo cognoscit. Voluntas autem creata ipsa est causa omnium futurorum liberorum ordinis naturalis; ipsaque fuit causa eorum quoque ordinis supernaturalis in statu naturae innocentis, quia in hoc statu ex ipsius consensu gratia reddebatur efficax: Ipsam igitur voluntatem creatam Deus comprehendendo, omnia futura libera ordinis naturalis, eaque

etiam ordinis supernaturalis in statu naturae innocentis certo cognovit.

R. dist. maj.; quod nempe qui comprehendit aliquam causam, hoc ipso omnes illius effectus certo cognoscit, ut possibiles, atque etiam, ut existentes, aut futuros, si causa sit necessaria; non vero si sit libera, quum enim causa est libera, aliter cognosci nequit, nisi ut indifferens, et indeterminata ad agendum.

Prop. III. Quo in medio Deus praenoverit futura libera ordinis supernaturalis, videtur et nobis, resolvendum non esse juxta systema Augustinianum.

Probatur. Statuit namque istud, ut plerisque ex Augustinianis placet, ad positionem cujusvis actus boni supernaturalis absolute necessariam esse gratiam suapte natura efficacem: ut vero placet aliis ex iis, absolute necessariam esse ejusmodi gratiam ad positionem actuum bonorum supernaturalium difficiliorum. Posito autem, quod primis placet, locum habent quotquot prop. 1. Thomistis ex Scripturis opposuimus; et nempe, quod Christi objurgatio Corozaitis, et Bethsaitis facta, ut legitur Matth. 11., vi caruisset: et quod immerito in tot aliis Scripturae locis, ut Prov. 1., Act. 7., et Matth. 23., objurgarentur peccatores, quod Deo vocanti non obtemperant, quod Spiritui Sancto resistunt, quod ad Christum non redeunt, etc.: et demum quod homo sub gratia efficaci vere non ageret, quemadmodum ex tot aliis Scripturae testimoniis ibi allatis fide constat; ubinam quippe hominis actio sub gratia efficaci, si non ipse ab ea adjutus, et per vires ab ea acceptas se determinet ad opus bonum, sed ab ea ad illud determinatur? Æque vero sive cum primis dicatur gratia suapte natura efficax absolute necessaria ad positionem cujusvis actus boni supernaturalis, sive cum aliis dicatur absolute necessaria ad positionem tantum actuum bonorum supernaturalium difficiliorum, aeque, inquam, utrumque libero hominis arbitrio sub cujusvis gratiae motione adversatur: quod probatur

1.°, quia, ut simul cohaereat gratia efficax, et liberum hominis arbitrium, necesse est, ut gratia, quae dicitur efficax, sit simul et absolute infallibilis, et intrinsece repudiabilis. *Absolute infallibilis*, tum ob illa Ezech. verba: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis* (36.), quibus Deus abso-

lute promittit, se facturum, utique per gratiam efficacem, ut in praeceptis ejus ambulemus: tum ex D. Aug. *l. de dono persev. c. 14*, qui praedestinationem ad gratias efficaces, quibus electi salvantur, vocat *praescientiam, et praeparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*: tum demum, quia aliter gratia efficax non esset medium, quo Deus efficaciter exequitur quidquid boni supernaturalis nos facturos esse, absolute decrevit. *Intrinsece repudiabilis*, quaenam etenim libertas sub gratia, quae intrinsece repudiari non posset? Gratia autem suapte natura efficax esset quidem absolute infallibilis, sed non esset simul intrinsece repudiabilis; quid enim gratia suapte natura efficax, nisi gratia suapte natura applicans voluntatem ad actum bonum antecedenter ad omnem ipsius voluntatis determinationem, si enim voluntas ad actum bonum se determinaret, ex ejus determinatione, et consensu, non vero suapte natura gratia esset efficax; cumque suapte natura, et antecedenter ad omnem voluntatis determinationem hanc ad actum bonum applicaret, nemo non videt, quod non esset intrinsece repudiabilis: Gratia igitur suapte natura efficax non cohaeret cum libero hominis arbitrio; cumque ejusmodi dicatur in systemate Augustiniano, libertati hoc adversari, consequens est.

2.º Quia gratia suapte natura efficax idem est, ac gratia ex se infallibilis. Gratia autem ex se infallibilis idem est, ac gratia intrinsece irrepudiabilis, sola enim irrepudiabilitas intrinseca efficere potest, ut sit ex se infallibilis, ut per se patet: Gratia igitur suapte natura efficax idem est, ac gratia intrinsece irrepudiabilis. Gratia autem intrinsece irrepudiabilis idem est, ac gratia irresistibilis, seu cui voluntas resistere non potest, ideoque necessitans, quod e diametro libertati opponitur: Patet ergo manifestius, quod gratiam suapte natura efficacem profitentes, prout eam profitetur systema Augustinianum, liberum hominis arbitrium sub eadem evertunt.

3.º Iisdem momentis allatis prop. III. adversus Thomistas: aeque enim dicitur ab Augustinianis, quod gratia suapte natura efficax absolute ad actum bonum est necessaria, quodque per eam Deus voluntatem determinat ad volendum; cumque ab iisdem dicatur, essentialem, et suapte natura connexionem cum actu bono ha-

bere, pronum est etiam inde inferre. et quod illam necessario sequitur actus bonus, et quod cum eam Deus largitus fuerit, nequit voluntas opus bonum non velle, et quod sub ea impossibilis sit voluntatis dissensus. Et sane si impossibilis non esset sub gratia suapte natura efficaci voluntatis dissensus, ac voluntas sub ea posset bonum non velle, nec necessario illud vellet, gratia ex hypothesi suapte natura efficax esset simul, et non esset suapte natura efficax; 1.m ex hypothesi; alterum, quia frustraretur suo effectu a voluntatis resistentia, a cujus proinde non resistentia, non vero suapte natura, esset efficax. Quod et sequitur ex eo quod determinans, sunt enim determinatio ad bonum, ejusque oppositum pugnantia. Iisdem ergo momentis loco citato allatis contra systema Thomisticum eorum quoque systema impugnatur. Quibus cum idem reponant, quod Thomistae, idem quoque, quod iis respondimus, ne actum agamus, sufficiat.

Quibus accedit adversus primum Augustinianorum placitum, quod gratia suapte natura efficax absolute necessaria ad positionem cujusvis actus boni supernaturalis gratiam quoque vere sufficientem omnino excludit; tum quia deficiente, quod est absolute necessarium ad actum, deest quoque vera ad illum actum sufficientia; tum quia nonnisi ex impotentia vel absoluta, vel morali actum ponendi oriri potest, quod aliquis numquam illum ponat, nec umquam illum positurus sit. Quoad 1.m enim, quomodonam, deficiente, quod est absolute necessarium ad actum necessitate antecedente omnem voluntatis determinationem, habetur tamen vera ad illum actum sufficientia? Dicitur autem gratia suapte natura efficax absolute necessaria ad actum bonum supernaturalem necessitate antecedente omnem voluntatis determinationem, si enim voluntas ad actum bonum se determinaret, ex ejus determinatione, et consensu, non vero suapte natura gratia esset efficax: Deficiente igitur gratia suapte natura efficaci, deesset quoque vera ad actum bonum sufficientia. Quoad alterum vero, quid evidentius, quam quod nonnisi ex impotentia vel absoluta, vel morali actum ponendi oriri potest, quod aliquis numquam illum ponat, nec umquam illum positurus sit? Dicitur autem, quod absente gratia suapte natura efficaci, numquam homo ponit, nec umquam positurus est aliquem actum bonum supernaturalem: Absente igitur

gratia suapte natura efficaci, en actus bonus supernaturalis dicendus vel absolute, vel moraliter impossibilis. Posita autem impossibilitate actus, neque etiam habetur, ut diximus prop. III., arg. 1., ad illum actum ulla sufficientia; ac si haberi dicatur, perinde est id genus sufficientia, ac si prorsus non esset: Absente igitur gratia suapte natura efficaci, nulla haberetur ad actum bonum supernaturalem sufficientia; ac si haberi diceretur, perinde esset id genus sufficientia, ac si prorsus non esset. Cui accedit, ut sapienter advertit Tournelius *in Prael. Theol. De Deo, et Div. Attr. q. 16. c. 3.*, quod fictitia prorsus, et illusoria videtur ea potentia moralis, quae in tot hominum millibus, qui hactenus vixerunt, aut deinceps victuri sunt, actum numquam obtinuit, nec umquam obtinebit; ac potius, quam potentia, vera censenda est impotentia, et quidem morali major, nam apud Philosophos perinde, ac Theologos impotentia moralis est tantum summa rei faciendae difficultas, quae licet rarissime, at interdum saltem rem obtinet. Nec facessit, quod in rebus moralibus vera dari potest ad aliquid faciendum potestas, quae tamen numquam in actum erumpit; potest namque, ex. gr., absolute loquendo, gravis aliquis, ac sapiens Magistratus theatrum ascendere, ac mimum agere, tametsi numquam futurum sit, ut rem tam insulsam perficiat. Falso enim supponitur, esse in gravi illo Magistratu, cujus exemplum profertur, veram, et moralem facultatem in publico Theatro mimum agendi, cujus quidem habet organicam, seu mechanicam facultatem, at nullatenus moralem. In homine quippe mente, et ratione praedito facultas moralis aliquid agendi aliquo motivo morali, et rationabili excitari debet. Nullum autem in casu proposito excogitari potest ejusmodi motivum: Nulla igitur vera, et moralis in gravi illo Magistratu potentia, sed potius vera impotentia, ut mimum agat. Quare, ut oratione redeamus, unde discessimus, nemo, his perpensis, non videt, gratiam suapte natura efficacem absolute necessariam ad positionem cujusvis actus boni supernaturalis omnino excludere gratiam vere sufficientem. Exclusio autem gratiae vere sufficientis libertatem quoque omnino excludit totius legis servandae; sublata enim gratia vere sufficienti, ipsa quoque omnino tollitur totius legis

servandae sufficientia; et hac a nobis sublata, consequens est, quod quum legem transgredimur, necessario eam transgrediamur: Gratia igitur suapte natura efficax absolute necessaria ad positionem cujusvis actus boni supernaturalis libertatem omnino excludit totius legis servandae; quam proinde libertati adversari, consequens est.

Prop. IV. Quo in medio Deus praenoverit futura libera ordinis supernaturalis, nobis pariter videtur, resolvendum non esse juxta Systema Bertianum, utpote ipsum quoque nec cum Sacris Litteris, nec cum hominis libertate sub motione cujusvis gratiae satis cohaerens.

Prob. utraque pars iisdem momentis allatis prop. I., et III. adversus Thomistas: aeque enim a Bertistis dicitur, quod victrix delectatio Coelestis absolute ad actum bonum est necessaria in praesenti statu: *Fatemur* (ita Laur. Berti De Theol. Disc. l. 14. c. 8.), *per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi Divina mandata, eamque veram, et propriam, sed non taliter validam, et expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax*. Cumque aeque locum habeat in eorum sententia, quod si esset possibilis sub coelesti delectatione victrice voluntatis dissensus, ita ut sub ea posset voluntas bonum non velle, ac necessario illud non vellet, esset simul, et non esset victrix; 1.m nempe ex hypothesi; alterum, quia frustraretur suo effectu a voluntatis resistentia, a cujus proinde non resistentia, non vero ex eo quod victrix, esset efficax: hinc aeque etiam locum habet, quod sub coelesti delectatione victrice impossibilis est voluntatis dissensus, quodque sub ea nequit voluntas bonum non velle, sed necessario illud vult. Quod et aeque sequitur ex eo quod determinans: *Thomistis consentimus* (ita idem Berti l. cit.), *nihil boni liberum arbitrium perficere, nisi victrice gratia flectatur, et determinetur ad actum*; quod et, inquam, sequitur ex eo quod determinans; sunt enim, ut alibi diximus, pugnantia determinatio ad bonum, et boni omissio. Quod cum ita sit, iisdem momentis, quibus loco cit. ostendimus, Thomisticum systema et Sacris litteris adversum videri, et humanam libertatem evertere, utrumque etiam de Bertiano probari, consequens est: Ergo.

Prob: quoque 2. pars 1.° ex eo quod necessitas delectationis coelestis victricis ad positionem juxta Bertianum systema cujusvis boni supernaturalis omnino etiam excludit gratiam vere sufficientem, ut fuse ostendimus prop. ant. . Exclusio autem gratiae vere sufficientis libertatem quoque excludit totius legis servandae ; sublata enim gratia vere sufficienti , ut ibidem diximus , ipsa quoque tollitur totius legis servandae sufficientia ; et hac a nobis sublata , consequens est , quod quum legem transgredimur , necessario eam transgrediamur: Patet ergo luculentius , Bertianum systema liberum hominis arbitrium evertere.

2.° Quia quidquid tollit indifferentiam actus primi proximi ad actum secundum , ipsam quoque , Philosophis omnibus fatentibus , libertatem tollit , ejusmodi enim indifferentia in ideam libertatis, tamquam ejus nota essentialis , ingreditur. Et sane quidnam libertas , nisi *voluntas , quatenus habitis omnibus ad agendum requisitis , indifferens est ad volendum , vel non volendum ; ad volendum hoc , vel aliud ; ad volendum hoc , vel oppositum* ? Actus autem primus proximus causae est hujus status cum omnibus praerequisitis ad agendum : Quid ergo clarius , quam quod id , quod tollit indifferentiam actus primi proximi ad actum secundum , ipsam quoque libertatem tollit ? Est autem juxta Bertianum systema , victrix delectatio coelestis ratio sufficiens consensus voluntatis , antecedenter ad omnem ipsius voluntatis determinationem : Quemadmodum ergo posita ratione sufficienti , non quidem indifferenter , seu contingenter , sed necessario ponitur rationatum , ita voluntas sub victrice illa delectatione , non quidem indifferenter , sed necessario poneret consensum ; seu hic (quod in idem recidit) non amplius indifferens , sed necessario positus.

3.° Quia necessitans profecto dicenda est gratia , ut rectissime argumentatur Cont. Tourn. , quae supponit voluntatem destitutam vera resistendi potentia. Ejusmodi autem est gratia infallibiliter efficax ex virium graduali superioritate , nam hujusmodi gratia supponit , voluntatem non habere ad resistendum , nisi vires inferiores ; ac repugnat , quod vires superiores , quae agunt , ut superiores , vincantur ab inferioribus , alias necesse esset , ut inferiores operentur ultra suae activitatis gradus :

Ubinam igitur sub gratia efficaci juxta Bertianum systema voluntatis libertas?

4.° Quia victrix delectatio coelestis, tametsi dicatur non imponere necessitatem physicam, quod esset Jansenianum, et certe haereticum; nec necessitatem moralem, quae scilicet hujusmodi sit, ut cum ea numquam conjungatur dissensus, et tam impossibilis sit dissensus, quam impossibile est viro gravi mentis compoti sibi oculos effodere recreationis causa; quae profecto necessitas eadem in re esset ex alibi dictis, ac physica, et nomine tenus tantum moralis: tametsi, inquam, dicatur, nec physicam, nec moralem modo explicatam necessitatem imponere, sed talem, ut cum ea voluntatis dissensus possit conjungi: cum ea tamen conjungiturne umquam voluntatis dissensus? Numquam profecto. Si numquam autem cum ea conjungitur voluntatis dissensus, gratis saltem supponitur haberi potentiam ad oppositum, ideoque non esse necessitantem: Et magis ergo elucet asserti veritas, quod cum libertate pugnans dicenda sit.

Reponit quidem Laur. Berti l. cit. *Quamvis haec sit gratia efficax, et Deus sine nobis faciat, ut velimus, nihilo tamen minus per illam non proponitur nobis bonum sub omni ratione boni, quemadmodum proponitur Beatis per lumen gloriae, ideoque remanet indifferentia judicii, et vera libertas, quam habere nequeunt Beati in patria. Quamobrem sequitur quidem ex hac victrice delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat, sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali.* Victrix nempe delectatio coelestis cum non proponat bonum supernaturale sub omni ratione boni, relinquit proinde in intellectu indifferentiam, idest facultatem apprehendendi in objecto et rationem boni, et rationem non boni, seu limitis boni, et rationem quoque mali ob difficultatem operis. Relicta autem indifferentia in intellectu, in sua etiam indifferentia, seu libertate voluntatem relinqui, consequens est; cum enim respectu objecti sicut habet voluntas motivum volendi, idest perceptionem boni, ita habere potest motivum non volendi, idest perceptionem non boni, seu limitis boni, motivumque etiam volendi contrarium, se nempe positivo actu ferendi contra objectum, idest perceptionem mali ob difficultatem operis; quis non videt, plene indifferen-

tem, seu liberam esse respectu objecti? En igitur voluntas sub victrice delectatione coelesti in sua utique indifferentia, seu libertate.

Respondetur tamen neg. min. ; 1.° enim, ut diximus pr. 3., resp. ad 4., oritur quidem libertas in homine ex indifferentia judicii, non tamen per eam constituitur, sed per vim in voluntate se flectendi per electionem ad utrumlibet oppositorum; nisi dicere velimus, quod humi fractis cruribus prostratus ob id solum, quod videt in casu incendii fugiendum esse, tametsi nequeat fugere ob virium defectum, sit nihilominus liber ad fugiendum. 2.° quia simul ac victrix illa delectatio dicitur ratio sufficiens consensus voluntatis, nulla amplius remanet voluntatis indifferentia, seu libertas; ita namque argumentamur: Quamvis per gratiam magis delectantem, quam concupiscentia, non proponatur bonum sub omni ratione boni, estne tamen illa boni repraesentatio per victricem delectationem coelestem ratio sufficiens consensus; an voluntas ei cooperando, ipsa se determinat ad consentiendum? Si hoc, en eversum Bertianum systema, quippe quod omnem gratiae efficaciam in hoc casu proxime, et immediate oriri a voluntatis consensu, nemo non videt. Si vero illud, hoc ratiocinamur modo. Profecto illa boni repraesentatio per victricem delectationem coelestem in actum primum proximum voluntatis ad volendum ingreditur; quomodo enim cupido ignoti? Ad libertatem autem requiritur, ut nullum ingrediens in actum primum proximum voluntatis ad volendum necessario conjungatur cum actu secundo: Si igitur illa boni repraesentatio per victricem delectationem coelestem necessario conjungitur cum actu secundo, nulla amplius in voluntate sub ea constituta remanet libertas. Posita autem ratione sufficienti, necessario ponitur rationatum, secus namque esset, et non esset sufficiens: Patet igitur, quod si illa boni repraesentatio per victricem delectationem coelestem dicitur ratio sufficiens consensus, nulla amplius in voluntate sub ea constituta libertas superest.

Ut utrumque autem complectamur, amplectitur quidem animus bonum, quod magis delectat; sed ratio sufficiens, cur illud amplectatur, simul ac dicitur cum Leibnitianis ipsa boni repraesentatio, et non potius vis, seu facultas in voluntate sese pro lubito determinandi

ad utrumlibet oppositorum, actum de libertate est. Quid ita? Redit enim superior argumentatio; quod nempe boni repraesentatio in actum primum, proximum voluntatis ad volendum ingreditur. Posita autem ratione sufficienti, necessario ponitur rationatum, secus namque esset, et non esset sufficiens; ad libertatem vero requiritur, quod nullum ingrediens in actum primum proximum voluntatis necessario conjungatur cum actu secundo: Si igitur ratio sufficiens, cur voluntas amplectatur bonum magis delectans, ipsa boni repraesentatio dicatur, et non potius vis, seu facultas in voluntate sese pro lubito determinandi ad utrumlibet oppositorum, actum de libertate est. Sed in gratia magis delectante apprehenditur etiam aliqua ratio mali? Utique; semper tamen redit interrogatio: Illa boni repraesentatio per gratiam magis delectantem, tametsi mixta cum aliqua ratione mali, estne simul ratio sufficiens consensus?

Prop. V. Admittenda in Deo est scientia, quae dicitur media. Ita nobis verisimilius.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; 1.° enim adaequatam non esse scientiae Dei divisionem, nisi distinguatur in scientiam simplicis intelligentiae, visionis, et mediam, ex eo patet, quod quum David, ut legitur l. 1. Reg. c. 23, Deum consuluit, an Saul descensurus esset in Ceilam, si ipse inde non discederet; et an Ceilitaeildituri eum essent in manus Saul, si hic ibi descensurus esset, Deum profecto non consuluit de re, quae ipsi erat nota, sed de re, quae ipsi nota non erat. Nota autem illi erat possibilitas tum descensus Saul in Ceilam, tum ipsius traditionis ab incolis Ceilae in manus Saul: Utrumque igitur non erat mere possibile, sed plusquam possibile. Sed et neutrum erat futurum: Non igitur adaequata dicenda est divisio scientiae Dei in scientiam mere possibilium, idest simplicis intelligentiae, et scientiam futurorum, idest visionis, nisi etiam complectatur scientiam eorum, quae futura non erunt, sed futura essent, si aliqua poneretur conditio; ac quae, utpote media inter utramque, apte dicitur scientia media. Quod vero id genus futurorum scientia non dependeat ab ullo decreto absoluto, dubium quoque esse nequit: quodnam enim decretum Dei absolutum pro re, quae ob defectum conditionis deinde non accidit; David namque accepto Dei

oraculo, quod Saul descensurus esset in Ceilam, inde sine mora discessit? Potestne Deus aliquid absolute decernere, quod deinde futurum non sit? Cui accedit, quod si pro obsidione a Saule facienda urbis Ceilae casu, quo inde non discessisset David, absolute Dei decretum extitisset; Deus absolute decrevisset, quod Saul ad necem David quaereret, et eo animo urbem, ad quam confugisset, obsideret; quod nefas dictu: Admittenda ergo in Deo est scientia futurorum sub conditione, independenter ab ullo ejus Decreto absoluto. Haec autem dicitur scientia media: Haec ergo admittenda

Accedit illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Scientia autem, qua Deus scit, quaenam justus, de quo hic sermo, acturus esset, si diutius viveret; est scientia futurorum sub conditione; eaque item independens ab omni ejus decreto absoluto, quodnam enim absolutum Dei Decretum pro iis, quae numquam aliquis facturus est, seu pro numquam futuris? Quodque magis urget, ut malitia mutaret justi, de quo sermo, intellectum, et fictio deciperet animam illius: quod dictu nefas? En ergo in Deo scientia futurorum sub conditione, eaque independens ab omni ejus Decreto absoluto.

Accedit quoque illud Christi ap. Matth. 11. *Tunc coepit exprobrare Civitatibus, in quibus factae sunt plures virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi Corozaim, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere, et cilicio poenitentiam egissent.* Scientia autem, qua Christus sciebat, quod si Tyrii, et Sydonii vidissent ejus miracula, poenitentiam egissent, est scientia futurorum sub conditione; eaque item independens ab omni ejus decreto absoluto, tum quia nullum hujuscemodi Decretum supponi potest pro re, quae ob defectum conditionis neque etiam accidit, Tyrii quippe, et Sydonii Christi miracula non viderunt, nec proinde ullam egerunt poenitentiam: tum quia si pro poenitentia Tyriorum, et Sydoniorum, visis Christi miraculis, aliquod extitisset absolutum Dei decretum, locum non habuisset objurgatio Corozaitis, et Bethsaitis facta, respondere enim potuissent: *Quid mirum, quod Tyrii, et Sydonii poenitentiam egissent,*

si apud eos factae fuissent virtutes , quae factae sunt apud nos , siquidem pro eorum poenitentia extitisset absolutum Dei Decretum , quod pro nobis deest ? Aliter : Vidit Deus futuram Tyriorum , ac Sydoniorum conversionem sub gratia , quam habuerunt Corozaitae , ac Bethsaitae. Porro gratia , quam habuerunt Corozaitae , et Bethsaitae , non fuit efficax , et conditio inferens : Futuram ergo Tyriorum , ac Sydoniorum conversionem , *si* apud eos factae essent Christi virtutes , non vidit dependenter a gratia ex se efficaci , et quae fuisset conditio inferens ; ideoque independenter ab ullo Decreto absoluto.

Prob. 2.° auctoritate D. Aug. l. de praed. SS. c. 10. , ubi : *Praedestinatio sine praescientia esse non potest ; potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit , quaé fuerat ipse facturus : praescire autem potens est etiam quae ipse non facit , sicut quaecumque peccata.* Hic nempe S. D. aperte declarat , Deum ea quoque praescire , quae ab ipso praedestinata non fuerint , ac pro quibus nullum extat ejus decretum , ut ostendunt verba *quae ipse non facit.* Haec autem sunt *quaecumque peccata* , ideoque libere futura , et quidem *quaecumque* , idest et absolute futura , et ea , quae futura essent sub hac , vel illa conditione . prout ea ex. gr. , quae justus commissurus esset , nisi morte praeveniretur , antequam *malitia mutaret intellectum ejus , aut fictio deciperet animam illius* : En igitur in Deo ex D. Aug. scientia futurorum conditionatorum independens ab ullo ejus Decreto absoluto.

Et l. 1 ° ad Simplic. qu. 2. *Si vellet Deus etiam eorum misereri* (qui vocati non veniunt) , *posset ita vocare , quomodo illis aptum esset , ut et moverentur , et intelligerent , et sequerentur.* Hic quippe S. D. declarat . Deum scire , quomodo quisque vocandus esset , ut ejus vocationi obtemperaret. Porro hanc scientiam futura sub conditione pro objecto habere , manifestum est ; eamque in Deo esse juxta Aug. independenter a quovis ejus Decreto absoluto , ex eo patet , quod dicendo de iis , qui vocati non veniunt , *Si vellet etiam ipsorum misereri , posset ita vocare , quomodo iis aptum esset , ut sequerentur* , supponit jam , non esse in Deo voluntatem absolutam eos ita vocandi , que-

modo eis aptum esset, ut sequerentur; et tamen est in eo scientia, qua videt eos secuturos, si ita vocarentur: Admittenda igitur in Deo est juxta eumdem scientia futurorum sub conditione independens ab omni ejus Decreto absoluto. Sive, ut idem diversimode dicamus: *Cujus Deus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ita S. D. loco cit. Scientia autem, qua Deus novit, quomodo sit quisque vocandus, ut vocantem non respuat, sed sequatur, est scientia futurorum sub conditione, qua Deus antecedenter ad omne decretum absolutum infallibiliter novit futurum cujusque consensum, si tali, aut tali vocatione praeveniretur: Agnovit ergo in Deo S. D. id genus scientiam; futurorum scilicet conditionatorum independenter a quovis absoluto ejus Decreto.

Quod et colligitur ex l. de dono persev. c. 14., ubi: *Praedestinatio SS. nihil est aliud, quam praescientia, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Quo in loco S. D. praescientiam praemittit decreto; ait enim, quod consequenter ad praescientiam praeparat Deus, idest decernit ad electorum salutem ea auxilia, quibus hi certissime liberantur; consequenter nempe ad praescientiam, qua independenter a quovis ejus Decreto infallibiliter novit ipsi obtemperaturos fore, si his, vel illis gratiae auxiliis adjuvarentur.

Prob. 3.° rationibus Theologicis. Et 1.° idem actus liber, qui in aliqua temporis differentia erit, potest sub triplici respectu cognosci, ideoque est tripliciter cognoscibilis: 1.° quatenus possibilis, nihil enim potest esse actu, quod non sit possibile, 2.° quatenus erit in data temporis differentia, ex hypothesi, 3.° quatenus erit sub hac, vel illa conditione, nihil enim est futurum absolute, quod prioritate rationis non sit prius futurum sub conditione; nam si Petrus ex. causa convertitur per talem gratiam, jam prius verum erat, quod Petrus converteretur, si talem gratiam haberet; et prius alterum supponit. Immo actus quoque liber, qui numquam erit, ut conversio Tyriorum, et Sydoniorum, est tamen cognoscibilis, nedum quatenus possibilis, sed etiam quatenus esset futurus, si haec, vel illa conditio poneretur. Porro si quivis actus liber sub triplici respectu cognosci potest, ideoque est tripliciter co-

gnoscibilis, non erit profecto adaequata divisio scientiae Dei, quae omne cognoscibile complecti debet, in eam, quae vocatur simplicis intelligentiae, et respicit cognoscibilia sub ratione possibilium, et in eam, quae vocatur visionis, et respicit cognoscibilia sub ratione futurorum, nisi etiam admittatur alterius speciei scientia, quae respiciat futura sub hac, vel illa conditione distincte cognoscibilia; Non est igitur adaequata scientiae Dei divisio, nisi, praeter scientiam simplicis intelligentiae, et visionis, admittatur quoque scientia, quae utramque inter mediat, ac media idcirco appellatur. Pro iis autem, quae futura essent, si aliqua poneretur conditio, sed quia haec numquam ponetur, numquam futura erunt, vanum videtur, ac nugatorium totidem statuere decreta absoluta, in quibus illa Deus praenoverit: *Vanum*; ad quid enim decreta absoluta pro re numquam futura? *Nugatorium*, nonne enim nugatorium velle exempli causa, quod Petrus convertatur sub tali gratia, ac simul nolle hanc gratiam illi largiri? Ea igitur praenovit independenter ab ullo decreto absoluto; ex quo sequitur, admittendam in Deo esse scientiam, qua Deus independenter ab ullo ejus Decreto absoluto futura sub conditione praenovit.

2.º Admittenda in Deo est ejusmodi scientia, si absolute sit necessaria, ut simul cohaereant gratia efficax, et liberum hominis arbitrium. Ita autem res se habet, illud enim, quo gratia efficax a mere sufficienti distinguitur, est, ut diximus prop. III. pag. 187., ejus absoluta infallibilitas. Porro, ut absoluta infallibilitas, qua gratia efficax a mere sufficienti distinguitur, cohaereat cum libero hominis arbitrio, necesse est ex ibidem demonstratis, quod non habeatur suapte natura a gratia; quae idcirco si ab ipsa gratiae natura petenda non est, aliunde petenda non superest, nisi a Dei praescientia: Ut igitur gratia efficax cohaereat cum libero hominis arbitrio, necesse est, ut absoluta infallibilitas, qua a mere sufficienti distinguitur, a Dei praescientia petatur. Hanc autem praescientiam habuisse pro objecto futurum sub conditione, quid nempe homo acturus esset sub tali gratia; idque independenter ab ullo decreto absoluto, quid enim homo acturus esset sub tali gratia nullum includere Dei decretum illam largiendi, nemo est, qui non videat: Ut ergo simul cohaereant

gratia efficax, et liberum hominis arbitrium, necesse est in Deo admittere scientiam futurorum sub conditione independenter ab ullo ejus Decreto absoluto; quae proinde admittenda in eo est.

3.° Admittenda in Deo est ejusmodi scientia, si ad servandam quoque libertatem quorumcumque futurorum liberorum sit necessaria. Porro ita quoque res se habet; cum enim necessarium sit necessitate, non tantum consequente, et hypothetica, sed absoluta, et antecedente, ea fieri, quae Deus absolute decrevit, ejus namque voluntas absoluta frustrari non potest, nemo non videt, quod si scientia futurorum liberorum non dicatur antecedens quodvis absolutum Dei decretum, actum prorsus de eorum libertate erit.: Divina igitur scientia futurorum liberorum antecedens dicenda est quodvis absolutum Dei decretum: cumque omnia libera futura supponant aliquod motivum, sub quo futura sint, nedum proinde antecedens dicenda est quodvis absolutum Dei Decretum, sed dicenda etiam est futurorum sub conditione, illius nempe, vel illius motivi; ideoque admittendam in Deo esse scientiam futurorum sub conditione, independenter ab omni ejus decreto absoluto, consequens est.

4.° Voluntas Dei in largiendis auxiliis efficacibus dirigi profecto per aliquam scientiam debet, non enim Deus caeco, et praecipiti modo, sed apposite, et sapienter hanc prae alia gratiam largitur. Nequit autem alia in Deo assignari scientia, per quam in illis largiendis dirigatur, praeter illam, qua infallibiliter novit, hominem consensurum, si tali, vel tali gratia praeveniretur: Voluntas igitur Divina in illis largiendis praesupponit in Deo hujusmodi scientiam; quam proinde antecedenter quoque in eo esse ad quodvis decretum, manifeste sequitur.

5.° Videtne Deus, quibus ejus auxiliis homo resistet, et quibus non resistet, si haec illi largiantur? Utique profecto. Quod cum ita sit, dum volens illius misereri, eumque ad salutem certissime perducere, ea praecise illi largitur auxilia. quibus praevidit non restiturum, quid clarius, quam quod id efficit per scientiam futurorum sub conditione, ac antecedenter ad quodvis decretum absolutum? *Per scientiam nempe futurorum sub conditione*, ea praecise illi largiendo auxi-

lia, quibus praevidit, eum consensurum; *antecedenter ad quodvis decretum absolutum*, nonnisi enim consequenter ad hominis consensum praevidit illius non resistentiam: Agnoscenda igitur in Deo est ejusmodi scientia: quae cum illa sit, quae vocatur media, haec proinde in Deo agnoscenda est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Futura libera sub conditione potuerunt a Deo videri in decretis absolutis ex parte sui, et conditionatis ex parte objecti; ut ex. gr. conversio Tyriorum, ac Sydoniorum in hoc Decreto: *Volo quod Tyrii, et Sydonii convertantur, si Christi miracula videant*: Non igitur necessaria in eo scientia, qua ejusmodi futura noverit independenter ab omni ejus Decreto absoluto.

R. neg. ant.; 1.° cum nihilominus subsistant momenta, quae pro ejus necessitate attulimus. 2.° quia vel agitur de peccatis sub conditione futuris: et nonne dictu nefas, Deum ea vidisse in decretis absolutis ex parte sui, et conditionatis ex parte objecti? Vel agitur de aliis futuris sub conditione numquam ponenda: et nonne inutilia, ac otiosa tot Dei decreta pro rebus numquam futuris, itemque ludicra, et nugatoria, si nonnisi a Deo erat conditio ponenda? Sic an non ludicrum, et nugatorium istiusmodi Decretum: *Volo, quod Tyrii, et Sydonii convertantur, si videant Christi miracula, at simul nolo, quod Christi miracula videant*? Quid clarius, quam quod illud *volo*, et *nolo* pro eodem rationis signo, et circa idem objectum pugnam, et contradictionem implicat, quae longe a Deo removenda est? Quid clarius, quam quod circa idem objectum voluisset Deus contraria, et prorsus pugnantia; quod nempe Tyrii, et Sydonii poenitentiam agerent, visis Christi miraculis; et simul, quod Christi miracula non viderent?

Objic. 2.° Datur in Deo voluntas, quod omnes salutem consequantur; eaque absoluta est ex parte sui, et conditionata ex parte nostrum: Non igitur ludicra, et nugatoria Dei Decreta, quae sint absoluta ex parte sui, et conditionata ex parte objecti.

R. 1.° neg. ant.; voluntas enim Divina circa omnium salutem vera quidem est, realis, atque activa, non

tamen absoluta, nisi tantum respectu praedestinatorum.

R. 2.° neg. cons., et paritatem; quum enim conditio nunquam ponenda, sub qua res futura esset, si poneretur conditio, pendet a creatura, non repugnat, quod Deus ejusmodi rem velit Decreto absoluto ex parte sui, et conditionato ex parte objecti; ut ex. causa hominum salutem, si cooperentur ejus gratiae auxiliis. Quum tamen conditio numquam ponenda, sub qua res esset futura, si poneretur conditio, non pendet a creatura, sed a Deo tantum, idem dictu est, Deum velle ejusmodi rem decreto absoluto ex parte sui, et conditionato ex parte objecti, ac ponere in eo decreta et inutilia, ac otiosa, et ludicra, ac nugatoria, et demum contraria, ac pugnantia, ut supra ostendimus.

Objic. 3.° Decreta, quae ex parte ipsius Dei sint conditionata, ac quibus recurrendum est, si dicatur, quod libere futura praescita a Deo fuerint independenter ab omni ejus Decreto absoluto, involvunt suspensionem actus, prout exemplo Tyriorum, ac Sydoniorum patet, quorum poenitentiam si novisset Deus in ejuscemodi Decretis, ita ejus voluntas se habuisset: *Vellem eorum poenitentiam, si simul vellem, quod Christi miracula viderent.* Pugnat autem suspensio actus cum idea Entis perfectissimi: Ergo et ejuscemodi Decreta.

R. neg. maj.; decreta enim conditionata, in quibus dicimus futura sub conditione Deum praescivisse, ita a nobis concipiuntur, ut ipsum Decretum conditionatum sit, veluti pars conditionis, sub qua res esset futura. Utque id declaremus ipsorum Tyriorum, ac Sydoniorum exemplo, decretum, in quo Deus novit eorum poenitentiam, si Christi miracula vidissent, non ita a nobis concipitur: *Volo, ut si fiant Christi miracula apud Tyrios, et Sydonios, ipsi convertantur*; reipsa enim noluit ea fieri apud eosdem, ideoque ad quid tale decretum absolutum? Neque etiam: *Vellem eorum poenitentiam, si simul vellem, quod Christi miracula viderent*; quamvis enim suspensio actus pugnat cum idea Entis perfectissimi, ideoque removenda a Deo est: Sed: *Si vellem fieri apud Tyrios, ac Sydonios Christi miracula, iisque gratiam concedere Corozaitis, ac Bethsaitis concessam, converterentur.* In istiusmodi autem decreto nulla habetur suspensio actus; nec aliud est,

nisi decretum proportionatum naturae, et conditioni rei futurae: quo profecto nihil rationabilius.

Objic. 4.° Physica Dei praedeterminatio necessaria est ad omnem creaturae actum, tum ob rationem primae Causae, quae Deo inest, cujus causae secundae non sunt, nisi velut instrumenta; tum ob indifferentiam ad agendum, quae inest creaturis, ac ad agendum debet determinari: Nonnisi ergo dependenter a Decretis hujus praedeterminationis dandae cujusvis generis futura Deus praenovit.

R. neg ant.; quoad 1.m namque, utique servatur Deo absque physica praedeterminatione ratio primae causae, et quia ipse contulit causis secundis vim agendi, liberasque constituit actionum suarum dominas; et quia eas regit, servat, et simultaneo concursu ipsis assistit individuus auxiliator. Sunt item causae secundae, velut primae causae instrumenta: sed aliud est instrumentum inanime, ac vita carens, aliud vitale, activum, ac dominio, et libertate praeditum, cujus generis sunt creaturae rationales respectu Dei; de quibus, etsi liberis, quum dicitur, magis a Deo dependere, quam instrumentum ab artifice, id intelligitur quoad essendum, non quoad operandum. Facili quoque opera alterum diluitur: quod nempe indifferentia, quae ab alia causa exigit determinari, est indifferentia passiva. Causarum autem liberarum indifferentia activa est, non passiva. Causae igitur liberae, tametsi indifferentes, nequaquam exigunt ab alia causa determinari.

Objic. 5.° Sublatis per scientiam mediam antecedentibus, ac praedeterminantibus Dei Decretis quoad actus liberos, nullum superest medium, in quo Deus infallibiliter illos praenoverit, nisi ipsum liberum hominis arbitrium. Hoc autem, utpote respectu eorum indifferens, medium esse non potuit, in quo Deus illos infallibiliter praenoverit, ut enim ipsimet diximus prop. 2., in causa, quae indifferenter se habeat ad hunc, vel illum effectum, nullus ex his determinate videri potest: Eos igitur, non per scientiam mediam, sed in suis praedeterminantibus decretis praenovisse, dicendum est.

R. neg. min.; non enim dicimus, Deum cognovisse ab aeterno actus liberos in ipso libero arbitrio, tanquam in causa cognita; quod negandum est, ac

nos negavimus loco cit., quia libertas, seu indifferentia arbitrii praecise sumpta indifferenter se habet ad omnes effectus, qui prodire ab ea possunt. Quomodo ergo esse potest ratio sufficiens determinate cognoscendi hunc potius effectum futurum, quam illum? At si ratio cognoscendi futuram voluntatis determinationem ipsa arbitrii libertas in se spectata esse non potuit, utique tamen esse potuit infinita intellectus Divini perfectio, quae plus potest in causa cognoscere, quam de facto in hac sit. Et sane si vir perspicax, qui ingenium, ac indolem alterius perspectam habet, potest probabiliter praevidere, quid hic facturus sit, si has, vel illas occasiones habeat; Deus, qui infinite praestat in intelligendo, certo, et infallibiliter praevidere potuit, praeviditque, quidnam singuli facturi essent, si in his, vel illis circumstantiis ponerentur.

Objic. 6.° Scientia media est scientia quaedam exploratrix, Deumque efficit, velut exploratorem. Id autem Deo indignum: Explodenda igitur.

R. neg. maj.; explorare enim dicitur, qui aliud cum sollicitudine, et anxietate investigat. Numquam autem Deus inquirit, vel investigat aliquid, eoque minus cum sollicitudine, et anxietate, quippe quod, ut diximus in initio cap. ant., unico, ac simplici intuitu, et absque ulla inquisitione, ac investigatione omnia ab aeterno, et infallibiliter novit futura tam necessaria, quam contingentia, et libera, atque haec sive absolute futura, sive futura sub conditione, vel quae futura essent sub conditione numquam ponenda, sicut et omnia possibilia. Hinc simul patet, quomodo intelligi debeant illae loquendi rationes, quas Spiritus Sanctus consecravit: *Quid est, quod debui facere vineae meae, et non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* (Is. 5.). Et Matth 23. *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* Et Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Nonne id genus verbis Deus quoque dicitur velut explorare, et expectare humanam voluntatem? Non tamen quod Deus incertus sit, et suspensus circa ea, quae futura sunt, *omnia* enim *nuda, et aperta sunt oculis ejus*, sed quod hominis libertati nullam vim infert, sed liberam esse vult ejus cooperationem.

Objic. 7.° Ex D. Aug., aliisque PP. praescientia Dei illa est, quae efficit cujusvis generis futura; nec ideo res quaslibet Deus praescivit, quia futurae erant, sed ideo futurae sunt, quia a Deo praescitae: *Universas creaturas suas* (ita D. Aug. l. 15. de Trin. c. 13.), *non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit.* Idem autem id dictu est, ac Deum decernendo quidquid facturus esset, idest in suis decretis cujusvis generis futura praenovisse: In his igitur ea omnia praevidit.

R. dist. maj.; quod nempe ex Patribus praescientia Dei est causa futurorum vel sensu illativo, quia nempe si videntur, necessaria est ista consecutio *ergo sunt*, Dei enim praescientia falli non potest: vel sensu, quod scientia Dei, tamquam causa dirigens, rerum productioni praefuerit, unde dicitur Ps. 103. *Omnia in sapientia fecisti*: Et Ps. 137. *Qui fecit Coelos in intellectu*: Et Sap. 7. *Omnium enim artifex docuit me sapientia*: vel demum illorum futurorum, quorum ipse Deus auctor est; unde idem S. D. subdit: *Non enim nescivit, quae fuerat creaturus.* Praescientiam tamen Dei omnium futurorum esse causam, negant immo SS. PP., ipseque D. Aug.; ita enim S. D l. 3. de lib. arb. c. 4. *Deus omnia, quorum ipse auctor est, praescit; nec tamen omnium, quae praescit, ipse auctor est.* Et D. Hier. in c. 26. Jer. *Non enim ex eo quod Deus scit futurum aliquod, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus novit.* Et passim alii, qui efficaciori argumento usi non sunt ad conciliandam libertatem cum Divina praescientia, quam eo quod non ideo res futurae sunt, quia a Deo praescitae, sed ideo praescitae ab eo sunt, quia futurae erant.

Objic. 8.° Praescientiam, ac praedestinationem unum, idemque in Deo esse, D. Aug. docet l. de dono persev. c. 19., ubi: *Quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei praescientiam, et agitur de vocatione electorum, eamdem praedestinationem intelligere oportet.* Idem autem id dictu est, ac Deum per praedestinationem, seu in suis decretis absolutis praescivisse libere futura: In illis ergo haec praescivit.

R. dist. maj.; in iis nempe, quae Deus fuerat ipse facturus, ut idem S. D. dixerat c. 18. in fine, ubi: *Sine dubio praescivit, si praedestinavit; sed praede-*

stinasse est hoc praescisse , quod fuerat ipse facturus ; idque appos te adversus Semipelagianorum errorem , qui praedestinationem a praescientia ita pendere volebant , ut haec illius causa foret certa , et infallibilis. In omnibus tamen unum , idemque in eo non esse praescientiam , et praedestinationem , docet idem Aug. loc. supra cit. , ubi : *Praedestinatio sine praescientia esse non potest ; potest autem esse sine praedestinatione praescientia , etc.*

Objic. 9 ° , quod D. Aug. multis in locis reprehendit in Semipelagianis scientiam conditionatorum: Rejicienda igitur.

R. dist. ant. ; quod eam nempe in iis reprehendit ob ejus abusum , ut diximus cap. ant. pag: 155., non tamen absolute. Caeterum nec Pelagianismi , nec Semipelagianismi nota inuri umquam possunt profitentes adversus tum Pelagianos , tum Semipelagianos juxta fidem catholicam, voluntatem humanam solis naturae viribus , et absque gratia , quae sit et praeveniens , et concomitans , et usque in finem adjuvans , nec etiam inchoative , vel dispositive quidquam valere in ordine ad salutem , vel ad efficiendum aliquod bonum ordinis supernaturalis.

Objic. 10. , quod nonne quidquid Dei Scientiae subjicitur, vel extiturum aliquando est , vel numquam ? Si autem est aliquando extiturum , scientiae Visionis ; si numquam , scientiae simplicis intelligentiae subjectum est : Ubinam ergo Scientiae Mediae locus ? Item conditionate futura vel pendent a conditione aliquando ponenda , vel a conditione numquam implenda Si i m autem , transeunt in absoluta , suntque objectum Scientiae Visionis ; si alterum , abeunt in possibilia , suntque objectum Scientiae simplicis intelligentiae : Ubinam aliud ergo , quod sit Scientiae Mediae objectum ? Demum si quod esset diversum ab absolute futuris , et a mere possibilibus objectum , id esset profecto nexus ille inter actum , et conditionem. Ejusmodi autem nexus numeratur quoque inter possibilia , tum quia pars totius systematis possibilis , tum quia intra nihilum absconditus : Nihil ergo superest , quod dicatur objectum Scientiae Mediae.

R. neg. cons. ; non enim multiplex distinguitur in Deo , scientia vel ex parte ipsius Dei , sub quo respe-

ctu una, ac simplicissima est, omnia unico, ac simplicissimo intuitu perspiciens; vel ex parte objectorum, quatenus erunt, vel non erunt futura: sed ex parte objectorum, quatenus sunt cognoscibilia. Hoc autem posito, quoniam objecta tripliciter sunt cognoscibilia, ut inter probationes ostendimus, triplex quoque sub praefato respectu distinguenda est in Deo Scientia, simplicis scilicet intelligentiae, quae respiciat mere possibilia; Visionis, quae respiciat absolute futura; et Media, respiciens quae essent futura, si aliqua poneretur conditio, licet haec numquam ponenda sit; haec enim futura utique distingui, quatenus ex numero cognoscibilium, a mere possibilibus, luculenter patet ex Davidis exemplo inter probationes allato, qui cognoscebat profecto possibilitatem tum descensus Saul in Ceilam, tum sui ipsius traditionis ab incolis Ceilae in manus Saul, nisi inde discessisset, at non cognoscebat, revera Saulem descensurum in Ceilam, et Ceilae incolas Sauli ipsum esse traditurum, si inde non migrasset.

Prop. VI. Proxima gratiae efficacia in actu secundo ab ipso voluntatis consensu dicenda est. Ita nobis verisimilius.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex ep. 2. ad Cor. c. 6. ubi: *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quem locum autem haberet exhortatio hujuscemodi, si gratiae efficacia in actu secundo ab ipso voluntatis consensu dicenda non esset? Quis inde non infert, ut in hunc locum advertit doctissimus Petavius Theol. Dogm. l. 10. c. 19., quod ideo *Apostolus orat, et exhortatur, ne in vacuum gratiam Dei recipiant fideles, nam eatenus efficit, et operatur* (sive est efficax, et operans), *si et libere assentimur, et cooperamur, et eam recipimus, non abjicimus*? Item ex ep. 1. ad Tim. 6., ubi: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*: Quasi diceret: Otiosam, et consopitam gratiam excita in opus, ac redde efficacem, et operativam. Proxime igitur, et in actu secundo efficax, et operans ex voluntatis consensu. Ex iis omnibus demum prop. 1., arg. 3 allatis Scripturae textibus: *Ante hominem vita, et mors; bonum, et malum: quod placuerit ei, dabitur illi* (Eccli. 15.). *Beatus vir, qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere ma-*

la, *et non fecit* (ibid. 31.). *Hominis est praeparare animam* (Prov. 16.). *Convertimini ad me*, *ait Dominus*, *et Ego convertar ad vos* (Zach. 1.). *Abundantius illis omnibus laboravi*, *non ego tamen*, *sed gratia Dei mecum* (1. ad. Cor. 5.). *Si quis emundaverit se ab istis*, *erit vas in honorem* (2. ad Tim. 2.). Nisi autem gratiae efficacia in actu secundo esset a voluntatis consensu, nec homini daretur, quod ei placet, sive bonum, sive malum; nec ipsi tribuendum esset, quod Dei mandata servaverit, cum eadem transgredi potuisset; nec ipsius esset praeparare animam suam; nec ipse demum ad Deum converteretur, ejusque gratiae cooperaretur sese emendando: Gratiae ergo efficacia proxime, et in actu secundo ab ipso voluntatis consensu agnoscenda est.

Prob. 2.° auctoritate Trid. sess. 6, ex cujus doctrina ita laudatus Petavius disserit Theol. Dogm. l. 16. c. 16.: *Celebris est illa usu trita Scholarum gratiae divisio in sufficientem*, *et efficacem. Ea vero non generis est in species*, *sed ejusdem speciei secundum accidens distinctio. Non enim alia est sufficientis natura*, *sive essentia*, *quam efficacis*, *cum una*, *eademque sit sufficiens ex sese*, *et efficax. Quippe omnis efficax eadem et sufficiens est*; *et quae efficax non est*, *et tantum sufficiens est*, *ex accidenti non habet effectum*, *quem per se cuique sua potest*, *et parata est exprimere*, *nisi libera consensio voluntatis obstaret. Hujus differentiae ratio ex catholicae fidei principiis oritur*, *quam Tridentina Synodus exponit*; *quae sess.* 6. *can.* 5., *et in can*- 3., *et* 4. *declarat*, *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse*; *hoc est ab ejus vocatione*, *qua nullis eorum existentibus meritis vocantur*; *ut qui per peccatum a Deo aversi erant*, *per ejus excitantem*, *atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem*, *eidem gratiae libere assentiendo*, *et cooperando disponantur*, *ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem*, *neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens*, *quippe qui illam et abjicere potest*, *neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Qua ex Synodi doctrina*, *fideque Christiana discimus*, *duo quaedam a se invi-*

rem distincta concurrere , et conspirare in justificationis negotium : alterum est gratia , sive auxilium Christi , quod nos praevenit , et movet , atque excitat , tangitque cor nostrum , hoc est illuminat mentem , et incendit affectum , sive voluntatem incitat : alterum est consensus ipse voluntatis libere amplectentis gratiam , hoc est ita inspirationem illam recipientis . ut possit abjicere. Quamobrem duo haec Tridentini Patres a se mutuo discernunt , quorum prius est a Deo solo in nobis operante sine nobis , quae est excitans, praeveniensque gratia : posterius a nobis simul , et a gratia , sive a gratia nobiscum operante , quod vulgo cooperari dicimus. Quocirca liberum homini esse , Tridentina Synodus sciscit , assentiri gratiae , vel dissentire ; eam recipere , vel abjicere. Neque propterea dispar , ac dissimilis est sui natura gratia , sed eadem prorsus est , sive , consentientibus nobis, effectum habeat , sive dissentientibus , eo ipso careat. Ita enim caret , ut utrobique sufficiat , et ex sese idonea sit ad opus perficiendum : nec , ut agat ipsa id , cujus causa datur, requirat aliud , quam voluntarium nostrum , liberumque consensum , sine quo gratia est ipsa quidem et sufficiens gratia , sed non efficax. Quod ut paucis dicamus, si definiit Trid. l. cit. can. 4. *Si quis dixerit , liberum arbitrium a Deo motum , et excitatum non posse dissentire , si velit , Deo excitanti , atque vocanti , anathema sit* , non ex natura gratiae , sed ex voluntatis consensu gratiae efficaciam proxime, et in actu secundo dicendam esse, nemo non videt ; haec namque: Potest dissentire , si velit : Consentit ergo quia vult : Gratiae ergo efficacia proxime, et in actu secundo ex ejus consensu; haec, inquam , ita se mutuo consequuntur , ut ut eat inficias , ipsa vel certissima neget , necesse est.

Prob. 3.° auctoritate D. Aug. , qui unus in materia de gratia satis esset ; ita enim S. D. l. de spir. , et litt. c. 34 *Nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem ; sed consentire , vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis , quando Deus agit cum anima rationali , ut ei credat , neque enim credere potest quolibet arbitrio , si nulla sit suasio , vel vocatio , cui credat , profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine , et in omnibus Misericordia ejus praevenit nos : consentire autem vocationi Dei , vel ab ea dissen-*

tire , sicut dixi , propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat quod dictum est : Quid enim habes, quod non accepisti ? Verum etiam confirmat. Accipere quippe , et habere anima non potest dona, de quibus hoc audet , nisi consentiendo ; ac per hoc quid habeat , et quid accipiat , Dei est. Accipere autem , et habere , utique accipientis , et habentis est. Nulli scilicet dubium esse potest , quod S. Doctoris sermo habeat hic pro objecto gratiam cum effectu conjunctam idest efficacem ; habet namque pro objecto illam gratiam , qua *Deus ipsum velle credere operatur in homine.* Eam autem *suasionem* , et *vocationem* appellat ; neque est , qui non videat , efficaciam suasionis , et vocationis in actu secundo ab eo esse , qui suadetur , et respondet : Et gratiae igitur efficacia in actu secundo ab homine , qui ei consentit , agnoscenda est. Addit S. D. , quod *ei consentire propriae voluntatis est.* Si autem gratiae efficacia in actu secundo non esset a voluntatis consensu , sed ab ipsius gratiae natura , dicere non debuisset , quod ei consentire propriae voluntatis est , sed quod ei consentire est ipsius gratiae tribuentis consensum. Cui accedit , quod propriae voluntatis esse ei dissentire , ejusque inefficaciam in actu secundo totam esse a voluntatis dissensu , nonne idem sonant , ac sunt ? Porro S. D. aeque dicit , propriae voluntatis esse ei dissentire , ac ei consentire ; hoc tantum discrimine , quod gratiae dissentire oritur a sola activitate , vi , atque energia libertatis arbitrii , consensus vero eidem ab ejusdem activitate , vi , atque energia , sed quae adjuta , ac super se elevata fuerit viribus ei superadditis a Dei gratia , unde subdit cum Apostolo : *Quid habes, quod non accepisti ?* Et l. de gestis Pelagii c. 3. *Manifestum est , quod si ad ignem manum mittit , et malum , et mors ei placet , id voluntas hominis operatur. Si autem bonum , et vitam diligit , non solum voluntas id agit , sed divinitus adjuvatur.* Quid igitur clarius , quam quod dicendo , propriae voluntatis esse consentire gratiae , aequivalenter dicat , ejus efficaciam in actu secundo a voluntatis consensu agnoscendam esse?

Quod et confirmatur ex l. de praed. SS. c. 5. , ubi : *Quisquis audet dicere : Habeo ex meipso fidem ; non ergo accepi : profecto contradicit huic apertissimae veritati Apostoli dicentis : Quis te discernit ? Non quia*

credere, vel non credere non sit in arbitrio voluntatis, sed in electis praeparatur a Domino voluntas. Et hom. 12. *Cum per Dei adjutorium in potestate tua sit, ut non consentias Diabolo, quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare deliberas? Quare ad peccandum seducit Sathanas, cum Deus posuerit hominis in potestate non consentire Sathanae? Dat quidem Diabolus consilium, sed, Deo auxiliante, nostrum est vel agere, vel repudiare, quod suggerit.* Et hom. 16. *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo, an Diabolo.*

Subscribit D. Hier. in c. 49. Js., ubi: *Dei vocare est, et nostrum credere; nec statim, si nos non credamus, impotens est Deus, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut juste voluntas praemium consequatur.* Item D. Fulg. l. de praed., et gr. c. 9., ubi: *Deum inter se, et homines ita ordinasse, ut vocatione ipsius bonorum principia sumeremus, vocati autem, et illuminati viam mandatorum ejus boni ingenii intelligentia nosceremus, et ea libero eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.* Item D. Prosp. l. 2. de vocat. gent. c. 26. *Quod gratia a multis respuitur, ipsorum est nequitiae. Quod vero suscipitur, et gratiae Divinae est, et voluntatis humanae.* Adessent et alii, quos praetermittimus.

Prob. 4.° rationibus theologicis. Et 1.° Cum voluntas gratiae efficaci consentit; libere ei consentit, ita nempe, ut si vellet, posset ei dissentire. Eam autem libere consentire gratiae efficaci, ita nempe, ut, si vellet, posset ei dissentire, ac gratiae efficaciam in actu secundo a voluntatis consensu agnoscendam esse, nemo non videt, quod idem sonant, ac sunt. Ergo. Brevius: Potestne voluntas ei dissentire? Libere ei assentitur? Efficax igitur in actu secundo a voluntatis consensu; haec namque nexu tam indissolubili inter se cohaerent, ut nullatenus possint a se divelli. Huc etiam spectat, quod sub gratia efficaci voluntas vel determinatur ad opus bonum, vel ipsa se ad illud determinat. Si 1.m, actum de libertate est, libertas namque, et determinatio ab alio sese mutuo excludunt; neque ullus est, qui non videat, quod, ut voluntas sit libera, ipsa se ad opus determinet, necesse est. Si alterum, gra-

luntatis actio sub ipsa gratia? A voluntatis igitur consensu ejus in actu secundo efficacia agnoscenda est.

4.° *Solent fideles* (ut disserit Cont. Tourn.), *quo sanctiores sunt, teporis, ac negligentiae seipsos accusare, quod cum acceptis a Deo gratiis ea pietatis opera non exercuerint, quae alii certo perfecissent. Hinc trita illa Augustini seipsum ad fervorem excitantis sententia: Non poteris, quod isti, et istae? Praeterea sacri Concionatores quotidie adhortantur fideles, ut ad Deum sincero corde redeant, ut continuis orationibus Deum exorent; eosque confutant, qui gratiae sibi ad bene agendum necessariae defectum, velut excusationem obtendunt. Denique quoties peccator accedit ad Tribunal Poenitentiae firmum debet habere melioris vitae propositum* (*t. 7. q. 5. §. 7 concl. 3.*). Locum autem nullatenus haec habere posse, si gratiae efficacia in actu secundo non esset a voluntatis consensu, nemo est, qui non videat: Magis igitur, magisque patet, quod a voluntatis consensu ejus efficacia in actu secundo agnoscenda est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illud Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* Et Ap. ad Phil. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Et ad Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus; in qua sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae,* Et c. 2. *Ipsius factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Ex quibus inquiunt: Deum nobis dare cor novum, et spiritum novum, ac velle, et perficere pro bona voluntate; ipsum nos elegisse, ut essemus sancti, creando nos in operibus bonis, ac sorte nos vocando secundum propositum, et consilium voluntatis suae: haec, et alia id genus, quae passim in Scripturis occurrunt, aliud litteraliter non ingerunt, nisi ex sese

gratiam efficacem esse, non vero ex voluntatis consensu: Non ex hoc igitur, sed suapte natura efficax.

R. neg. ant.; tametsi enim dicatur efficax in sensu exposito ex consensu voluntatis, verum quoque est, Deum nobis dare cor novum, et spiritum novum, quia ex infinitis, quae penes se habet, gratiae adjumentis, ea seligit, ac largitur, quibus praevidet emolliendam esse, penitusque frangendam humanae voluntatis contumaciam: ipsum operari in nobis velle, et perficere pro bona voluntate, quia sine gratia, quam gratis concedit, nullum nec velle, nec perficere possemus bonum; quod et dicitur facere, quia, ut ait D. Aug., *adjuvat, ut faciamus*: ipsum nos elegisse, ut essemus sancti, creando nos in operibus bonis, etc., quia nec ex propriis naturae viribus absque gratia quidquam in ordine ad salutem possumus, nec ipsa praevisa sanctitas ex gratiae beneficio regula Deo est, vel motivum, quo ducatur ad gratiam, et sanctitatem largiendam. Hinc merito et gratis vocati, et in operibus bonis secundum Dei propositum creati dicimur.

Objic. 2.° illud Ap. ep. 1. ad Cor. c. 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Si autem gratiae efficacia in actu secundo esset a voluntatis consensu, unius ab alio discretio non esset a Deo, sed ab homine; maxime, si par, et aequalis gratia in utroque supponatur: Non ergo ex voluntatis consensu, sed ex sese efficax.

R. neg. sequ. min; cum enim efficax gratia sit illa, cui Deus praevidit, hominem consensurum, tametsi eadem proinde sit ratione *entitatis* cum gratia mere sufficienti, non est tamen eadem cum ipsa in ratione *beneficii*: ex quo et sequitur, quod tametsi par, ac aequalis ratione *entitatis* gratia in duobus supponatur, non ideo qui huic consentit, seipsum ab alio non consentiente discernit, tum quia non sine gratia consentit, sine qua bene agere non potuisset; tum quia discretio causae nobiliori, ac principali adscribi debet, quare ajebat Ap. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Hinc etiam nemo gloriari sibi debet de operibus bonis, quia nempe ipsa hominis cooperatio gratiae a Deo est, cum nonnisi ab ejus gratia, quae sit et praeveniens, et concomitans, et usque in finem adjuvans, nec tantum illustrans intellectum, sed et volunta-

tem roborans, habet homo in ordine ad salutem quidquid boni habet, absque eo quod in ordine ad illam quidquam facere possit sine ejus auxilio.

Objic. 3.° preces Ecclesiae, quibus a Deo postulat, ut *nostras etiam rebelles ad se compellat propitius voluntates* (Dom. IV. post Pent.); quodque *infundat cordibus nostris sui amoris affectum* (Dom. sequ.). *Quid autem stultius* (ait D. Aug. l. de nat. et gr. c. 18.), *quam orare, ut facias, quod in potestate habeas?* In nostra igitur potestate non est gratiae assentiri, cujus proinde efficacia in actu secundo agnoscenda non est a voluntatis consensu.

Resp. neg. cons.; exinde scilicet sequi, quod gratiae efficacia in actu secundo agnoscenda non sit a voluntatis consensu: habeatur namque prae oculis, quod consensus voluntatis ad bonum absque gratiae virtute minime poneretur; quodque infallibiliter fuit, eritque semper, quod Deus praevidit, nec fieri ullatenus potest necessitate, ut suo loco diximus, consequenti, quod aliter aliquid se habeat, ac Deus praescivit: habeatur, inquam, id prae oculis, et simul ad litterae rigorem patebit, quod largiendo gratiam, cui ab aeterno praevidit, nos consensuros, *nostras etiam rebelles* (ut Ecclesia precatur) *ad se compellit propitius voluntates*; quod id genus gratia *a nullo duro corde respuitur*, ut ait D. Aug. l. de praed. SS. c. 8.; quod *voluntati Dei* (ut idem S. D. scribit l. de corrept. , et gr. c. 14), *quae in Coelo, et in Terra quaecumque voluit fecit, et quae etiam illa, quae futura sunt, fecit, humana voluntas non potest resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, quum vult, facit*; quod non solum gratia est efficax, quia homo consentit, verum etiam quod homo consentit, quia vocatur gratia efficaci; quod hujusmodi gratia Deus in nobis operatur velle, et tantum velle, ut ejus faciamus, impleamusque praecepta: quae omnia, et alia hujusmodi, quae de gratia efficaci passim praedicantur, aliter accipi, quam a nobis accipiuntur, nullatenus profecto patitur fidei dogma a Trid. definitum *sess.* 6. *can.* 4, quod gratiae, quantumcumque efficax supponatur, voluntas libere semper consentit, eique potest dissentire, si velit.

Objic. 4. D. Aug.; ita enim 1.° S. D. l. de gr.

Chr. c. 13. *Omnis, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed venit, ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, at actionis effectus est.* Et c. 14. *Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Sancti Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non solum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Quemadmodum autem certum est, quod gratia, qua simul habemus et possibilitatis profectum, et voluntatis affectum, et actionis effectum, est gratia efficax, ita certum esse debet, quod ibi loquitur S. D. de gratia efficaci; idemque dictu est, quod det simul et possibilitatis profectum, et voluntatis affectum, et actionis effectum, quodque citra voluntatis consensum suapte natura sit efficax: Taliter ergo, seu ex sese efficax.

Ita etiam 2.° S. D. c. 24 *Legant ergo, et intelligant, intueantur, atque fateantur* (Pelagiani), *interna, et occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et c. 25.: *Desinat dicere Pelagius: Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit; quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est. Desinat, inquam, ista dicere; non solum enim Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle, et operari operatur in nobis.* Quemadmodum autem est quoque certum, quod cum volumus, et operamur bonum, illud per efficacem gratiam volumus, et operamur, ita certum esse debet, quod ibi S. D. loquitur de gratia efficaci; de qua cum dicat, quod non solum posse nostrum donat, sed etiam velle, et operari operatur in nobis, quibusnam verbis clarioribus dicere poterat, quod suapte natura, non ex consensu voluntatis dicenda est efficax?

Addit quoque c. 47., quod *ubi de libero arbitrio voluntatis, et de Dei gratia disseritur, ita est ista quaestio ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Porro nec gratia mere sufficiens, nec gratia efficax ex voluntatis consensu difficillime conciliatur cum libero hominis arbitrio, sed sola gratia suapte natura efficax: Suapte ergò natura efficacem esse, dicendum ex Aug. est.

4.° Loquens S. D. l. de corrept. et gr. c. 11. de gratia, qua, homo egebat in statu naturae innocentis, ac de ea, qua eget in praesenti statu, unam ab altera distinguit dicens: *Tale erat adjutorium* (in illo primo statu), *quod homo desereret, quum vellet, et in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Et rursus: *Haec prima est gratia, qua fit, ut homo habeat justitiam, si velit. Secunda plus potest, qua etiam fit, ut velit.* Loquitur autem eo loci S. D. de gratia efficaci, nam loquitur de gratia, qua justitiam volumus; quam in praesenti statu docet, non esse adjutorium, *quod homo desereret, quum vellet, et in quo permaneret, si vellet, sed quo fit, ut velit*, idest non hujusmodi, quod sit efficax ex voluntatis consensu, sed suapte natura: Suapte igitur natura efficax.

5.° Ibidem agens quoque S. D. c. 12. de gratia utriusque status, hoc modo loquitur: *Factum est igitur, ut voluntas hominis invalida, in bono adhuc parvo perseveret per virtutem Dei, cum et voluntas primi hominis fortis, et sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut, ipso donante, invictissime, quod bonum est, vellent, et hoc deserere invictissime nollent.* Si hoc porro est discrimen ex D. Aug. inter gratiam primo homini datam ad perseverandum, et gratiam, quae ad perseverandum datur homini lapso, quod sine illa primus homo non potuisset perseverare, non tamen factum fuit, ut perseveraret in bono, hac vero reapse, et invictissime in bono perseveret, dicendum profecto ex eodem est, quod sicut illa ex se dabat primo homini, quod potuisset in bono perseverare, ita haec ex se dat nobis ipsam in bono perseverantiam; quod idem dictu est, ac suapte natura, non vero ex voluntatis consensu esse efficacem: Efficax ergo, non ex voluntatis consensu, sed suapte natura.

6.° Ad pleniorem intelligentiam gratiae utriusque status, haec S. D. ibidem addit: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur; et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua*

vinceretur. Porro si in hoc infirmitatis statu indeclinabiliter, ac invincibiliter agitur voluntas humana a Dei gratia, quid clarius, quam quod nihil prorsus ejus efficacia tribuenda est voluntatis consensui, sed suapte natura dicendum est, illam ei inesse?

Tandem l. de praed. SS. c. 5. declarans S. D. gratiam, quae bonos discernit a malis, quae procul dubio non est, nisi efficax, sic scribit. *Nihil certe sensui harum vocum : Quis te discernit? tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tamquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei, sed gratia, quae bonos discernit a malis, non quae communis est bonis, et malis.* Cum autem gratia sufficiens nulli desit, profecto, ut gratia efficax non sit communis bonis, et malis, suapte natura, necesse est, distinguatur a gratia mere sufficienti: Ab hac igitur suapte natura distinguitur; quam proinde suapte etiam natura efficacem esse, consequens est.

R., quod, ut objectis D. Aug. testimoniis germanus tribuatur sensus, ipsius mens prius declaranda est; iis namque omnibus omnino spurius, oportet, tribuatur, cum ejus mens antea perspecta non fuerit. Haec autem declaranda est ex Pelagii erroribus, contra quos semper pugnat; ut namque monet D. Hilarius l. 4. de Trin. n. 14: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed re est sermo subjectus.*

Primum itaque Pelagius omnem Dei gratiam in libero arbitrio constituit: *Ajunt Pelagiani* (ita ipse D. Aug. l. de spir., et litt. c. 2.), *ideo bona opera sine ope Divina non fieri, quia et hominem Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio.* Deinde admisit etiam gratiam consistentem in lege, atque doctrina: *It dando praecepta* (ita idem S. D.), *ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum, et in eo utique adjuvat, quod docendo aufert ignorantiam, ut sciat homo in operibus suis quid evitare, et quid appetere debeat* (*ibi.*). Deinde etiam gratiam consistentem in internis illustrationibus: *Ipsas quoque illustrationes* (ita idem S. D. l. 1. de gr. Chr. c. 3.) *ad nihil aliud adhibendas opiantur, nisi ut nobis doctrina Divina etiam revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id, quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione, et actione perficiat.* Tandem gratiam ipsam adjuvantem voluntatem sed tantum ad facilius operandum; negando enim originalis peccati trans-

fusionem, satis virium, semper pertinaciter contendit, voluntatem habere ad omne opus bonum, quod per illustrationem intellectus antea cognoverit: *Ut quod* (ita quoque D. Aug.) *per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam* (*ibid. c.* 29.).

Hinc autem quaenam S. D. mens in cunctis suis operibus de gratia adversus Pelagium? Haec semper nempe, ut vindicaret necessitatem illius gratiae, quae ipsam voluntatem ad bene agendum adjuvet, cum haec fuerit, quam Pelagius ad mortem usque numquam profiteri voluit, sed pertinaciter negavit: *Gratiam voluntatis, et operis numquam non respuerunt Pelagiani*; ita confirmat Nat. Alex. hist. Eccl. saec. V. c. 3. art. 11. Et Laur. Berti De Theol. Disc. l. 14. c. 5.: *Pelagius numquam admisit veram Christi gratiam, quae non solum proponit quid agere debeamus, verum etiam voluntatem adjuvat per subministrationem charitatis.* Quare et pergit: *Verus Augustini veborum sensus est, Pelagianos nullam admisisse gratiam, quae per inspirationem charitatis adjuvat hominis voluntatem, et facit, ut agat.* Qua super re audiatur quoque ipse Pelagius l. 3. de lib. arb. *Nos tria distinguimus: Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, idest posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturae suae contulit; duo vero reliqua, idest velle, et esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt.*

Quibus praejactis, objectis omnibus D. Aug. testimoniis respondetur, nihil aliud umquam a Pelagianis illum quaesivisse, nisi absolutam gratiae necessitatem, quae ipsam voluntatem et praeveniat, et usque in finem adjuvet: cumque absoluta necessitas hujusmodi gratiae demisso capite ab iis credatur, qui ejus efficaciam in actu secundo a voluntatis consensu, inquiunt, esse agnoscendam, nemo non videt, in medium contra eosdem proferri non posse D. Augustinum, quin S. Doctoris mens alio prorsus detorqueatur. Idque evidenter confirmat ipse Aug. l. de gr. Chr. c. 47., ubi: *Quantum attinet ad istam de Divina gratia, et adjutorio quaestionem, si consenserit nobis Pelagius, non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit nec agat bene, sed ipsam voluntatem,*

et actionem, idest ut bene velimus, et bene agamus, divinitus adjuvari, et sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus, et agamus; eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, nihil de adjutorio gratiae Dei inter nos controversiae relinquetur. Et ep. 214. ad Valentinum: *Plures vestrum liberum arbitrium adjuvari fatentur per Dei gratiam, ut recta sapiamus, atque faciamus. Hoc qui sentiunt, bene sentiunt.*

Sed et resp. directe. Et quidem ad 1.m neg. secundam partem min.; quia enim Pelagius, ut supra diximus, distinguebat posse, velle, et esse; ac deinde locando posse in natura, velle in arbitrio, et esse in effectu, primum illud, idest posse, ad Deum pertinere, ajebat, duo vero reliqua, idest velle, et esse, ad hominem, tamquam de arbitrii fonte manantia: hinc S. D., relatis Christi verbis, *Omnis, qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me*, sic pergit: *Omnis ergo, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed venit, ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est.* Rejiciebat nempe Pelagius omnem voluntat.s, et actionis gratiam, idest quae voluntatem praeveniat, et usque in finem adjuvet ad bene agendum; eamque S. D. pro virili tuebatur. Quaenam autem sit causa, ob quam S. D., quum de gratia disputat, semper ei adjungat fructum, et effectum boni operis, audiatur a Petavio l. 10. Theol. Dogm. c. 16.: *In Pelagiana enim causa hujusmodi controversia versabatur, quod haeretici isti justitiam, et sanctitatem, et demum gloriam adipisci homines putarent industria suapte, ac naturae viribus, sine adjutorio gratiae. Sanctos, inquam, Deoque gratos fieri, ac esse reipsa, nec posse tantum esse, dicebant Pelagiani, viribus suis homines. Contra quos contendens Augustinus, et gratiam, atque ejus necessitatem, usumque commendans, non quid illa posset, sed quid reipsa faceret in nobis, praedicare debuit: ut quemadmodum Adversarii, quid naturali, et insita virtute sine gratia reipsa fieret, testimoniis Scripturae, et exemplis struebant, sic ipse vicissim quid nonnisi per Christi gratiam in nobis operaretur Deus, iisdem argumentis ostenderet. Praeterquamquod ita fert usus, consuetudoque scribendi, et loquendi, ut quum de re aliqua sermo incidit, quae virtute, ac facultate aliqua praedita est, et*

usum habet, opportunitatemque corporis, aut animi, vel ad bonorum, et commoditatum procurandam, tuendamve copiam, de ea non aliter loquamur, quam ut reipsa id agit, et confert, ad quod adhibetur, et quod ex illa potissimum quaeritur. Sic quum herbarum, et aliorum simplicium, et medicamentorum, aut etiam compositorum vires, proprietatesque describunt Medici, non solent loqui, ut posse hoc, vel illud facere, posse his aut illis prodesse, dicant, sed reipsa facere, et prodesse. Exempli causa Dioscorides l. 1. c. 1.: Doloribus capitis (inquit) cum aceto, et rosaceo magna utilitate illinuntur. Plinius quoque l. 23. c. 7., ut quum de ficis ita scribit: Alvum molliunt, rheumatismis ejus, et stomacho contrariae. Vesicae semper utiles, et anhelationibus, ac suspiriosis. Item jocinerum, renum, lienum vitiis. Corpus, et vires adjuvant. Cornelius item Celsus l. 5. c. 1. Glutinant vulnus myrrha, thus, etc.. Hujusmodi passim apud Galenum, aliosque Medicos, et herbarios occurrunt innumera: quae quum leguntur, nemo tam inepte desipit, ut illa ipsa, quibus effecta ista tribuuntur, numquam iis carere, putet, aut nulla esse talia, nisi reipsa opus suum, fructumque praestent, ac sanitatem restituant. Sed nimirum quum Auctores illi scribunt ita, et id genus caetera, nemo, qui paullulum sapit, alium sensum subjicit, nisi hunc; eam vim habere ex sese illas herbas, illaque medicamenta, ac posse mederi certis aegritudinibus, et incommodis, etsi variis de causis interdum effectu careant. Quod idem et de adjutorio gratiae cogitandum est, quod in eum finem a Deo datur, et ejusmodi vim habet ex se, ut nisi quid obstet, reipsa id agat in nobis, cujus causa divinitus tribuitur. Obstat vero, quo minus hoc efficiat, obfirmata in partem alteram hominis voluntas, et pro eo ac juris est sui, et potestatis Divinae vocationi resistens, et gratiae. Placuit non brevem Petavii locum exscribere, ut desinant Adversarii adeo illa Aug. verba urgere, in quibus de gratia S. D. loquitur, quasi *ex sese* det ipsum bonum velle, et agere.

R. ad 2. neg. etiam secundam partem min.; quum enim docet S. D., quod Deus non solum posse nostrum donat, atque adjuvat, sed etiam velle, et operari operatur in nobis, docet solum contra Pelagium, non sufficere ad opus bonum supernaturale liberum arbitrium, le-

modo enim, ajebat, natura homo liber, cum tamen naturae viribus voluntatem suam flectere nequeat ad totius legis observationem? Respondebat itaque S. D.: *Ista quaestio etc.* . Cui accedit, quod modus conciliandi ipsam gratiae efficaciam cum libero hominis arbitrio est quidem ex D. Aug. difficilis, non vero impossibilis, vel inintelligibilis; ita enim S. D. l. 2. contra Petilian. c. 84. *Si tibi proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu penetrare pauci valent.* Non desunt igitur in S. Doctoris sententia, qui id intellectu penetrare valeant.

R. ad 4. neg. sequ. min.; non enim S. D. ibi loquitur de gratia in specie, prout nempe sufficiens, vel efficax, sed de adjutorio, quo homo egebat ante lapsum, et de eo, quo eget post lapsum. Cum nempe primus homo fuerit per gratiam sanctificantem in statu supernaturali constitutus, fueritque ejus voluntas adhuc sana, et robusta, egebat tantum in primo illo statu id genus adjutorio, quod intellectum illustrasset. Eget vero in hoc statu id genus adjutorio, quod ipsam voluntatem adjuvet; haec enim in praesenti statu viribus attenuata, atque ad malum inclinata, ut idem S. D. loquitur, amplius sibi ipsi non sufficit. Qua super re audiatur prae aliis Honoratus Tourn., qui in suis Praelect. Theol. t. 1. qu. 16. art. 5., *in hoc* (ait) *maxime stare ex S. Aug. discrimen gratiae utriusque status, quod in statu innocentiae opus non erat gratia, quae voluntatem praeveniret, et afficeret, cum sana foret, nullisque motibus inordinatis agitata, unde ipsi sufficiebat gratia intellectus, seu illustrationis; non ita vero in praesenti naturae lapsae, et corruptae conditione, ob infirmitatem scilicet voluntatis ex primo peccato derivatam. Unde non semel ait S. D., sententiam Pelagii circa necessitatem gratiae interioris, quae mentem illustraret, veram fore, si ageretur de statu innocentis naturae, falsam vero esse in praesenti statu, in quo necessaria est, praeter illustrationem mentis, gratia voluntatis, seu quae voluntatem praeveniat, moveat, sanet, ac liberet: quam quidem gratiae voluntatis necessitatem urget, ac demonstrat S. Aug. contra Pelagianos disputans, sive illa sit ex sese*

efficax, *sive non*. De quo etiam suo loco opportunius. En igitur germanus ejus verborum sensus. Dum nempe loquitur de gratia prioris status, eamque appellat adjutorium, *quod homo desereret*, *cum vellet*, *et in quo permaneret*, *si vellet*, *non quo fieret*, *ut vellet*, eam ita appellat, quia simul et nullam ei necessitatem intulit, et nullam vim ejus voluntati tribuit. Dum vero loquitur de gratia praesentis status, eamque appellat gratiam, qua volumus justitiam, eam ita appellat, quia homo in hoc statu, praeter gratiam intellectus, eget etiam gratia, quae ipsam voluntatem adjuvet, tribuendo ei vires ad volendum, implendumque bonum. Quae etiam clariora fient ex dicendis.

R. ad 5. neg. etiam sequ. min.; neque enim S. D. loquens de adjutorio *sine quo*, et *quo*, de gratia loquitur, prout sufficiens, et efficax; sed dum loquitur de adjutorio *sine quo*, loquitur de gratia intellectus, qua tantum egebat homo innocens ad perseverandum; dum vero loquitur de adjutorio *quo*, loquitur de gratia voluntatis, qua ad perseverandum eget praeterea homo lapsus. Illam autem appellat adjutorium, *sine quo* non poterat velle perseverantiae bonum, quia voluntas nihil velle potest, nisi antea ab intellectu illustrata fuerit. Hanc vero appellat adjutorium, *quo* fit, ut velit perseverantiae bonum, quia in praesenti statu, praeter gratiam intellectus, eget quoque gratia, quae ipsam ejus voluntatem et praeveniat, et usque in finem adjuvet. Quod ut confirmemus Petavii auctoritate, ita Maximus Vir l. 10. Theol. Dogm. c. 18. *Sufficiens gratia non est adjutorium* sine quo *Pelagianum*, *quod Augustinus homini fracto*, *debilitatoque peccato non satis esse*, *judicavit*; *neque adjutorium ejusmodi possibilitatis*, *quo contentus erat prior Adami status*, *quippe non solum agendi potestatem tribuit*, *quantum est in ipso*, *sed agit etiam*, *et allaborat*, *et communiter cum voluntate opus efficit* : Non ego, sed gratia Dei mecum, *ait Apostolus*; *quod illa prior Adami*, *et Angelorum gratia non habebat*, *quae intelligentiae tantummodo praelucens*, *et quid facto esset opus edocens*, *nihil in voluntatem derivabat*, *quod minime tunc erat necesse*. *Satis enim*, *ut idem Aug. inquit l. de corrept.*, *et gr. c.* 12., *magnas vires habebat hominis voluntas*, *quae sine ullo fuerat instituta peccato*, *et nihil illi ex seipsa con-*

cupiscentialiter resistebat, ut digne tantae bonitati, et bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Ac subinde utriusque gratiae, hoc est, ejus, quae Adamo data est, et quae post ejus calamitatem restituta per Christum, discrimen clarius exponens, accendi per hanc posteriorem docet voluntatem, ut ideo velint, quia Deus operatur, ut velint. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, et imbecilla, in bono adhuc parvo, etc. . Hic manifeste discrimen apparet, quod dixi, utriusque gratiae, ut quae Adamo data est, sine qua in eo statu perseverare non posset, in quo erat conditus, qui supra naturam erat, nihil in voluntate ipsa sit operata, sed ea sibi relicta, et permissa fuerit, utpote fortis, et integra. At Christi gratia, propter aegrae voluntatis infirmitatem, tum hanc afficere debuit, tum ad eam humi stratam, abjectamque relevandam manum admovere, tum denique cum eadem pariter opus efficere.

R. ad 6. neg. etiam sequ. min.; quis enim non videt, quod si Aug. verba de gratiae efficacia volumus interpretari, ita ut illa adverbia *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, *invictissime* referantur ad ipsam gratiae efficaciam relate ad voluntatem, actum jam est de ipsius voluntatis libertate sub gratiae efficacis motione? Non haec tamen S. D. mens, quemadmodum ex ipso ejus contextu manifeste colligitur; ita enim l. cit.: *Inter tot, et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanae etc.* . Quasi diceret: Quia ob originalem culpam nimis infirma est voluntas, ut resistere queat tot, quae eam urgent, tentationibus, subvenit Deus ejus infirmitati, largiendo ei gratiam, qua a quibuscumque tentationibus indeclinabilis, insuperabilis, et invincibilis constituitur; et ita indeclinabilis, insuperabilis, et invincibilis, ut ampliores, majoresque vires acquirat per Dei gratiam, quam non erant illae, quibus ipsa gaudebat in statu sanitatis sibi relicta. Hinc pergit S. D. *Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, et imbecilla in bono adhuc parvo etc.* . Paucis: Praefata adverbia *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, *invictissime* referenda sunt ex D. Aug., non quidem ad gra-

tiae efficaciam relate ad voluntatem, sed ad voluntatem sub gratia efficaci relate ad hujus vitae tentationes.

R. ad ultimum, neg. pariter sequ. min., neque enim S. D per gratiam communem bonis, ac malis auxilium gratiae intelligit, quae a nobis dicitur sufficiens, sicut per gratiam, quae discernit bonos a malis, auxilium gratiae, quae a nobis dicitur efficax: sed per primam intelligit liberum arbitrium, quod Pelagiani, ut fucum Catholicis facerent, incautosque deciperent, vocabant gratiam; per alteram vero intelligit absolute gratiam, sive ipsam gratiam in genere. Id autem patet ex verbis immediate sequentibus: *Sit ergo gratia naturae attributa, qua sumus animantia rationalia, discernimurque a pecoribus: sit etiam gratia naturae attributa, qua in ipsis hominibus a deformibus pulchri, vel ingeniosi discernuntur a tardis, ac si quid ejusmodi est. Sed non se ille, quem coercebat Apostolus, adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum de aliquo naturali munere, quod inesse posset, etc.*

Objic. 5.° Ex eodem D. Aug. à Bertistis, quod l. de corrept., et gr. c. 11. docet S. D. de gratia, qua homo indiget in praesenti statu: *Secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit; et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* Quibus similia habet quoque l. de spir., et litt. c. 29., ubi: *Inspirata gratiae suavitate per Spiritum Sanctum, facit Deus plus delectare, quod praecipit, quam delectet, quod impedit.* Et c. 35: *Fieret, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantae rei. Esset autem tanta, si et nihil eorum, quae pertinent ad justitiam, nos lateret; et ea sic delectarent animum; ut quidquid aliud voluptatis, dolorisve impedit; delectatio illa superaret.* Ex his autem Aug. verbis quid clarius, quam quod ex victrice delectatione coelesti relate ad delectationem oppositam concupiscentiae; non vero ex voluntatis consensu gratia dicenda est efficax? Ita igitur.

R. neg. min.; loquitur enim S. Doctor in allatis locis de delectatione; qua ad exercendas virtutes interdum excitari sentimur, ac voluntatem praevenit: quod tamen ejus efficacia proxime, et in actu secundo agnoscenda sit ex ipso voluntatis consensu, quae coelitus al-

lecta ad bonum, libere illud amplectatur, non semel ipse S. Doctor docet; ita enim serm. 17. de verb. Ap. c. 2. *Inter omnia, quae delectant, plus te delectet justitia. Non ut alia non delectent, sed plus ipsa delectet. Justitia sic delectet, ut vincas etiam licitas delectationes; et ei delectationi, qua licite delectaris, praepone justitiam.* Et c. 4., et 5. *Decertant in te duae delectationes. Modo interrogo, quid praeponas? Praepone delectationem mentis.* Et l. 2. contra Petilian. *Si dixeris, volo servare; sed vincor a concupiscentia mea: respondet Scriptura: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum; quod tamen ut fiat, adjuvat gratia.* Et l. 2 de peccat. merit, et remiss. *Ut innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates; quae ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Ex quibus Aug. verbis, quid clarius, quam quod efficacia delectationis coelestis proxime, et in actu secundo est consequens, non vero antecedens voluntatis deliberationem? Quibus accedit 1.º quod idem S. D. scribit l. 8. Conf. c. 8., et e diametro Bertianae sententiae opponitur: *Non faciebam quod incomparabili affectu mihi magis placebat.* En gratiae delectatio incomparabiliter excedens delectationem concupiscentiae.... nec tamen efficax, sed inefficax. 2.º quod ait l. 1. ad Simplician. c. 19. *Miris, et ineffabilibus, diversis, et innumerabilibus modis Deum homines ad se vocare, et trahere.* Quid autem mirum, ineffabile, et multiforme in operationibus gratiae, si omnis ipsius efficacia ex gradibus delectationis petenda esset? 3.º quod non raro operamur bonum absque ulla voluptate, ac dulcedine ex parte operis boni, immo tota sua vi pulsante ex opposito concupiscentia; quid enim frequentius perfectiores animae experiuntur? Quidnam testatur, qui interius exardescens, ac ulciscendi cupiditate exstimulatus ob atrocitatem alicujus offensae ei illatae, hanc compescit, ac suo offensori dimittit? Quamnam Paulo voluptatem, ac dulcedinem inspirabat castitas, cum illacrymans, *datus est mihi* (ajebat) *stimulus carnis meae, Angelus Sathanae, qui me colaphizet?* Non operamur autem bonum aliquod supernaturale absque gratia efficaci: Non raro igitur gratia est efficax, quin ulla habeatur delectatio coelestis, immo tota sua vi pulsante ex opposito concupiscentia. 4.º quod

si gratiae efficacia oriretur ex majori delectatione, quam ipsa inspiraret suprà delectationem concupiscentiae, an non gratia homini innocenti collata efficax esse debuisset, utpote nullam habens ex opposito concupiscentiam, cum qua dimicaret? Fuit autem inefficax. Non igitur gratiae efficacia ex illa majori delectatione petenda est. Demum cum homo lapsus sub delectatione coelesti victrice operetur bonum, homo vero innocens sub delectatione coelesti, nedum victrice, sed unica, nullam nempe habente ex opposito concupiscentiam, cum qua dimicaret, superbierit, ac peccaverit: quid dicendum, si gratiae efficacia petenda esset ex majori delectatione, quam gratia inspiraret supra delectationem concupiscentiae, nisi hominem lapsum minus homine innocente aversari bonum atque ad peccatum inclinari? Quid autem a vero alienum magis? Gratiae ergo efficaciam ex illa majori delectatione petendam non esse, evidentissimum est.

Objic. 6.° Ex natura gratiae, pro qua D. Aug. contra Pelagianos, ac Semipelagianos strenue pugnabat, inferebant hi, ut refert D. Prosper ad S. D. scribens, *fatalem quamdam necessitatem induci*, *ac liberum impediri arbitrium.* Ex natura autem gratiae, cujus efficacia petenda esset a voluntatis consensu, nulla necessitas videtur induci, nec ullatenus liberum impeditur arbitrium: Nec igitur id genus gratia, quam S. D. agnovit, sed adversari dicenda est illi, pro qua strenue pugnavit.

R. neg. maj; non enim ex natura gratiae, sed ex omnimoda, et absoluta necessitate gratiae tam praevenientis, quam cooperantis ad quodvis opus bonum supernaturale, nec non ex ejusdem omnimoda, et absoluta gratuitate, inferebant Pelagiani, et Semipelagiani, fatalem induci necessitatem, et liberum impediri arbitrium: *Non est liberum arbitrium* (ita Pelagius ap. D. Aug. l. de gestis Pelagii c. ult.), *si indigeat auxilio Dei.* Semipelagiani vero ajebant, quod *per operantem*, *et praeoperantem gratiam liberum impeditur arbitrium*; ita nempe ap. D. Prosp. l. cit. Hinc gratiae praevenientis, et cooperantis necessitate, et gratuitate supposita, eadem prorsus incommoda, quae Pelagiani, ac Semipelagiani opponebant contra doctrinam D. Augustini, opponi pariter possunt contra eos, qui docent, gratiae efficaciam in actu secundo a voluntatis consensu agnoscendam esse,

quia nempe praevenientis, et cooperantis gratiae necessitatem, et gratuitatem aeque profitentur. Quare tantum abest, ut allatum argumentum quidquam habeat roboris, ut potius ostendat, nihil nostram sententiam de gratiae efficacia D. Augustino esse oppositam, utpote quae easdem ex parte haereticorum difficultates, et objectiones patitur.

Objic. 7.° Sententia, quod gratiae efficacia in actu secundo agnoscenda sit a voluntatis consensu, derogat Divinae Omnipotentiae, quasi Deo virtus, ac potentia deesset, hominum voluntates, quo voluerit, inclinandi; cumque faciat gratiam humanae voluntatis pedissequam, videtur quoque Creatorem creaturae subjicere. Quod cum ita sit, rejicienda, ac diris tradenda est: Istud ergo ejus judicium.

R. neg. maj.; quoad 1.m enim, non magis inde derogatur Divinae Omnipotentiae, quam illi derogetur ex eo, quod nullum in praesenti rerum ordine statuitur esse gratiae genus, cui humana voluntas resistere non possit. Cujus ratio est, quia non ob Dei impotentiam dicimus, gratiae efficaciam in actu secundo agnoscendam esse a voluntatis consensu, sed ob suavissimam ejus providentiae legem, qua voluit, ita liberam esse, ut cuivis gratiae, quantumlibet efficaci, ac praepotenti, resistere semper possit, si velit; ex quo fidei dogmate sequitur, quod futurum hominis consensum praenoscere nequiverit in sola gratiae virtute, et efficacia independenter ab ipsius hominis voluntate sub tali gratia; quia in eo, cui voluntas potest, si placuerit, reluctari, certo, et infallibiliter cognosci nequit voluntatis consensus; ejusmodi autem est quaelibet, quantumcumque potens, et efficax, gratia, ut fide constat. Quoad alterum vero, tantum abest, quod ex positione gratiae efficacis in actu secundo ex consensu voluntatis gratia efficax libero hominis arbitrio subjiciatur, quin potius hoc efficaci gratiae subjicitur: non ita quidem, ut ab ea determinetur, compati enim nequeunt libertas, et determinatio ab alio, sed vires ab ea accipiendo, sine quibus numquam voluisset, quibus vero absolute, et infallibiliter vult bonum. Quibus quoad utrumque accedit, quod dum in gratiam versatilem adeo declamant, qui se Augustinianos dicunt, tam veteres, quam recentiores, quasi Deo injuriosa sit, tamquam ejus virtuti, et Omnipotentiae derogans, ejusque gratiam efficiens huma-

nae voluntatis pedissequam, atque hoc Creatorem creaturae subjiciens, talis tamen, idest versatilis, ab iisdem in statu innocentiae admittitur. Quis porro ex hoc solo non videt, quod si vere Deo injuriosa esset, ab omni penitus statu esset eliminanda?

Objic. 8.° Ex positione gratiae efficacis in actu secundo ex voluntatis consensu omnia Dei judicia circa hominum praedestinationem aperiuntur. Haec autem, ut docet Apost. ad Rom. 11., incomprehensibilia sunt, et investigabilia: Non igitur gratiae efficacia in actu secundo a voluntatis consensu agnoscenda est.

R. neg. maj.; quare enim Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, deditque semetipsum pro nobis, factus propitiatio pro peccatis nostris, nec tantum pro his, sed pro peccatis etiam totius Mundi, neget tamen gratiam, quam efficacem futuram praevideret, tot Paganorum, Judaeorum, Haereticorum, aliorumque Infidelium millibus, nec profecto a nobis vel explicatur, vel explicari umquam poterit. Item quare ex duobus hic praedestinatus fuerit; alter non? Quare hic ita vocetur, ut vocantem audiat, et sequatur; alter non? Quare ex duobus justis unus ex hac vita educatur, cum justus est; alter non? His omnibus a nobis quoque aliud responderi nequit, nisi cum Apostolo: *O altitudo! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Prop. VII. Ultimo expositum placitum quoad medium, in quo Deus praenovit futura libera, verisimilius caeteris nobis videtur.

Prob. Duo enim illud statuit; admittendam nempe in Deo esse scientiam mediam, qua novit quidquid creaturae liberae voluntas factura esset in quibusvis circumstantiis, ac sub quibusvis gratiae auxiliis, independenter ab ullo ejus decreto absoluto; nec non efficaciam gratiae in actu secundo ex ipso voluntatis consensu agnoscendam esse: quibus praejactis, apposite explicat, quantum rei altitudo patitur, quomodo Deus praenoverit futura libera, quin aliquid detrahat gratiae, ac simul quidquam officiat libero hominis arbitrio. Quod autem

admittenda in Deo sit scientia media, qua scilicet novit independenter ab omni ejus decreto absoluto quidquid creaturae liberae voluntas factura esset in quibusvis circumstantiis, ac sub quibusvis gratiae auxiliis, prop. V. ostendimus; quodque gratiae efficacia in actu secundo agnoscenda sit a voluntatis consensu, ostendimus prop. ant.: Placitum ergo ultimo expositum quoad medium, in quo Deus praenovit futura libera, merito nobis videtur caeteris verisimilius.

TRACTATUS XII.

DE VOLUNTATE DEI.

CAP. I.

De distinctionibus, quibus Scholae loquuntur de Voluntate Dei, nec non de ordine inter Dei Decreta statuendo, ac de variis Divinae Voluntatis actibus.

Tractatui de Deo, et Divinis attributis coronidem imponant quae de voluntate Dei respectu nostrum sunt praedicanda. Sunt autem haec 1.° ejus libertas. 2.° providentia de omnibus. 3.° vera, et activa volitio, quod omnes homines salvi fiant. 4.° praedestinatio justorum ad Coelestem gloriam, nec non addictio peccatorum ad inferos. Quibus omnibus praemittamus, quotuplex in Deo juxta nostrum concipiendi modum distinguenda sit voluntas; nec non pauca de ordine inter Dei Decreta statuendo, ac de variis Divinae voluntatis actibus.

Et quoad 1.m, quamquam unica tantum *realiter, et entitative* sit in Deo voluntas, ac nedum sumpta pro facultate, sed et sumpta pro actu, quippe quod unico suae voluntatis actu Deus ab aeterno voluit quaecumque voluit; multiplex tamen in eo distinguitur voluntas ex parte tum objectorum, ad quae fertur, tum modi, quo erga eadem fertur. Et 1.° distinguitur in voluntatem beneplaciti, et signi. Prima est *ipsa interior Dei volitio decernens aliquid sibi gratum*. Altera vero *exterior voluntatis Divinae declaratio per aliquod signum*; quod appellatur voluntas, ut signum irae dicitur ira, signum dilectionis dilectio. Quinque autem assignari solent ejusmodi signa, praeceptum nempe, prohibitio, permissio, consilium, et operatio, sequenti versu expressa:

Praecipit, ac prohibet; permittit, consulit, implet; quum enim Deus aliquid jubet, signum est, quod velit illud fieri; unde ejus praecepta in ipsis Scripturis vocantur ejus voluntates; ut cum dicitur Ps. 102. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Item quum aliquid prohibet, signum est, quod illud nolit; quum aliquid permittit, signum quoque est, nolle id impedire, dum posset, si vellet; quum aliquid consulit, signum est,

illi placere, quod consulitur: ac demum quum aliquid operatur sive per se, sive per causam secundam, signum est, velle id, quod agit, nam si id nollet, non ageret.

Non semper tamen voluntas signi est quoque voluntas beneplaciti, ut scite advertit D. Th. de vol. Dei art. 3. resp. ad 6., ubi ita scribit: *Quaedam voluntas signi numquam incidit in idem cum voluntate beneplaciti, sicut permissio, qua permittit mala fieri, cum mala fieri numquam velit. Quaedam semper in idem incidit, sicut operatio: quaedam vero quandoque incidit, et quandoque non, sicut praeceptum, prohibitio, et consilium.* Sed undenam istud dignoscendum? Docet Estius dignoscendum id esse ex effectu, meram, dicens, esse signi voluntatem, non beneplaciti, quoties ea, quae Deus exterius imperat, aut consulit, non eveniunt, vel prohibet, quae fiunt; omnis namque (ait), et quaelibet Dei vera, et beneplaciti voluntas semper est efficax, et impletur; ex quo sequitur, quod si non impletur, signi dumtaxat dicenda est, figurata, et metaphorica.

Refellitur tamen haec Estii sententia 1.° ex Eccli. 35., ubi: *Est beneplacitum Domino recedere ab iniquitate.* Et. Ap. ep. 1. ad Thess. c. 4. *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione.* In Estii autem sententia neutrum esset verum simpliciter, et universim, sed tantum de iis loquendo, qui ab iniquitate recedunt, et sanctificantur; quod patienterne ferre possunt Christianae aures? 2.° si quoad ea, quae non implentur, dicenda esset voluntas Dei meri signi, figurata, et metaphorica, non vero etiam beneplaciti, dicendum quoque esset, vere Deum non velle, quod ejus mandata observentur ab iis, qui illa non observant, nec proinde eos agere contra voluntatem Dei veram, et sinceram, sed figuratam dumtaxat; et metaphoricam; vere Deum non velle, quod salvi fiant, qui pereunt; quod demum fingat, se velle, quod reipsa non vult, quasi esset personatus, ac scenicus. Haec autem quam absurda sint, et fidei adversa, nemo est, qui non videat. Nec facessit, quod cum Deus sit omnipotens, concipi nequit, aliquid velle, quod non fiat. Cum enim non tantum sit Omnipotens, sed et sapiens Provisor, hinc quum homini quidquam imperat, aut prohibet, eum simul suae libertati relinquit, ut obsequatur, vel resistat, ac inde meriti laudem, vel demeriti poenam reportet.

Satius proinde dicendum videtur, praeceptum, vel prohibitionem rei alicujus faciendae simplicem, ac meram esse voluntatem signi, quando vel ipso eventu, vel Scripturae testimonio novimus, Deum rem, quam praeceperat, subinde prohibere, ne fiat; ut cum jussit Abrahamo, quod immolaret filium suum Isaac, quem subinde prohibuit immolari. Quod et dicendum de comminationibus effectu carentibus; quo casu signi tantum voluntatem in Deo fuisse homines puniendi credendum est. Quae tamen signa nobis a Deo exhibita cum falsa esse nequeant, semper idcirco aliquam simul beneplaciti voluntatem supponere; licet non semper illam, quam nos ex primo signi intuitu possumus cojicere. Sic in facto Abrahami apparebat, Deum suo praecepto velle Isaaci mortem; sed intendebat dumtaxat fidem, et obedientiam Abrahami manifestam facere, ac promissi Reparatoris, atque Unigeniti sui praesignare crucifixionem. Sic etiam in praefatis comminationibus apparebat, velle homines ob eorum peccata punire; sed intendebat tantum, quod a malo declinarent, et ad ipsum converterentur.

Subdistinguitur voluntas beneplaciti in antecedentem, et consequentem: *Invenitur* (ita D. Th. de verit. qu. 23. art. 3.) *in Deo proprie ratio voluntatis, et sic voluntas de Deo proprie dicitur, et haec est voluntas beneplaciti, quae per antecedentem, et consequentem distinguitur. Prima est, qua Deus erga rem fertur, praecisis ejus circumstantiis. Altera, qua erga rem suis omnibus circumstantiis stipatam fertur.* Qua super re praeclare D. Th. in Summa qu. 19. art. 6. ad 1., ubi agens de illis Ap. verbis: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ita ait: *Secundum Damascenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente. Quae quidem distinctio non accipitur ex parte voluntatis Divinae, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum. Unumquodque enim secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quae est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens*

in periculum multitudinis, *sic bonum est*, *eum occidi*, *et malum est*, *eum vivere. Unde potest dici*, *quod Judex justus antecedenter vult*, *omnem hominem vivere*, *sed consequenter vult*, *homicidam suspendi. Similiter Deus etc.* . Pergit quidem S. D., quod voluntas antecedens *magis potest dici velleitas*, *quam absoluta voluntas*: id tamen ab eo dicitur, non ut eam opponat voluntati verae, reali, formali, ac beneplaciti, dicendo enim loco superius citato, quod voluntas beneplaciti et verae voluntatis rationem habet, et distinguitur in antecedentem, et consequentem, expresse etiam ait, voluntatem antecedentem et verae voluntatis habere rationem, et ad voluntatem beneplaciti pertinere; sed tantum, ut eam opponat voluntati absolutae, efficaci, et consequenti, quia nempe comparate ad illam, et ad finem beatitudinis assequendum perinde se habet, ac si mera esset, ac sterilis velleitas, reipsa enim inefficax est respectu finis, licet respectu aliquorum mediorum ad finem sit efficax, atque hominis culpa sit, quod ad destinatum finem, Divina auxiliante gratia, non perveniat.

Accedit, quod relata Apostoli verba interpretatur S. D. de voluntate antecedente. Porro non ait Apostolus, quod Deus *vellet*, sed quod *vult* omnes homines salvos fieri: Non igitur D. Thomae mens, quod voluntas Dei antecedens mera sit velleitas, sed vera juxta eum, formalis, ac beneplaciti voluntas. Quam demum voluntatem veram juxta eum esse, formalem, ac beneplaciti, illud quoque ostendit, quod docet in c. 12. ep. ad Heb.; relatis namque illic iisdem Apostoli verbis ep. 1. ad Tim. c. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*, continenter subdit: *Et ideo gratia Dei nulli deest*, *sed omnibus*, *quantum in se est*, *se communicat*, *sicut nec Sol deest oculis caecis*: si enim ex voluntate antecedente, de qua illa Apostoli verba S. D. interpretatur, docet, Deum moveri ad largiendum omnibus auxilia saltem sufficientia, antecedens igitur Dei voluntas vera juxta eum, formalis, ac beneplaciti voluntas, cujus tantum est activam esse, non velleitas, utpote quae otiosa, sterilis, ac iners esset.

Ut autem innuimus, prima, idest antecedente, vult Deus, omnes homines salvos fieri, facta scilicet abstractione ab eorum peccatis: altera, idest consequente, vult salvos fieri eos tantum, qui ejus mandata usque in

finem servaverint; eos vero, qui suis mandatis non obtemperant, et impoenitentes decedunt, perdere, et damnare, discretione scilicet facta electorum a reprobis per circumstantias personales, non vero, ut Janseniani docent, per circumstantias naturales, idest totius naturae. Docent nempe, ut more suo fucum Catholicis faciant, incautosque decipiant, velle quidem Deum, omnes homines salvos fieri voluntate antecedente, sed tali, quae abstrahat etiam a circumstantia toti humanae naturae communi, qualis est circumstantia peccati originalis. Contra quos, eam tantum abstrahere a circumstantiis personalibus consensus gratiae, vel dissensus ab eadem, suo loco probabimus.

Subdistinguitur quoque voluntas beneplaciti in absolutam, et conditionatam; quae tamen distinctio in modo expositam recidit, ut laud. D. Th. advertit l. 1. sent. dist. 46. qu. 1. art. 1. resp. ad 2., ubi: *Voluntas antecedens potest dici conditionata.* Sed ut utriusque peculiarem praebeamus definitionem, 1.ª est, *qua Deus aliquid vult independenter ab ulla conditione, et hypothesi.* Altera. *qua vult aliquid, sub data tamen conditione, et hypothesi; quae simul pendeat ab ipso, et a creatura rationali libere agente.* Hujus autem voluntatis nonnulla in ipsis sacris Litteris occurrunt exempla; ut quum Ps 105. legitur, quod Deus decreverat Judaeos disperdere in eorum peccatorum poenam, si Moyses pro iis Divinam clementiam non exorasset; *Dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.* Item quum legitur l. 3. Reg. c. 9 Salomoni dixisse: *Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit Pater tuus in simplicitate cordis, et in aequitate, et feceris omnia, quae praecipio tibi, ponam thronum Regni tui super Israel in sempiternum.* Nec non quum legitur l. 4. c. 13., quod plenam Regi Joas de Syriis concessisset victoriam, si terram jaculo percussisset *quinquies, aut sexies, sive septies.* Ut quum demum Jonae c. 3. legitur, quod infra quadraginta dies statuerat Ninivem subvertere, nisi poenitentiam egisset. Utque etiam diximus paullo supra, *voluntatem antecedentem*, qua Deus vult, omnes homines salvos fieri, expresse docet D. Thomas, *posse dici conditionatam; nec tamen* (subdit) *est imperfectio ex parte voluntatis Di-*

vinae, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quae exiguntur ad rectum ordinem in salutem.

Hanc ceterum subdistinctionem voluntatis Divinae rejiciunt, ut alibi etiam diximus, Thomistae; inquiunt enim 1.° , quod voluntas conditionata est voluntas suspensa, et pendens ab aliquo eventu; quae Deum dedecet. 2.° quod nemo sanae mentis potest concipere, Deum in aliquo instanti suspendere decretum propter conditionem, quae ad ipso pendet, et quam ponere non vult; sicque statuisse, *volo salvare omnes homines, si habeant perseverantiae donum, quod multis denegabo.* 3.° quod cum omne futurum sit Deo objective praesentissimum, omnium proinde reproborum futura videt peccata; absurdumque est, Judicem, cui praesentissima sunt alicujus civis latrocinia, et homicidia, velle conditionate, hujusmodi hominem vivere, quem morte plectendum absolute judicat. Ad allatos vero Scripturae textus respondent, taliter Scripturas loqui more humano.

Ita igitur Thomistae; sed parum solide, in allatis enim Scripturarum locis Deum locutum fuisse more humano, et ipsum Scripturarum objectum ostendit falsum, et ut gratis asseritur, gratis negatur. Praefatis vero rationibus respondetur, quod locum haberent, si voluntas *subjective* conditionata in Deo diceretur, quasi scilicet suspensa, et dependens ab eventu futuro, quemadmodum in contractibus humanis conditio apposita dicitur suspendere consensum, non vero, quum tantum dicitur *objective* conditionata, qua Deus nempe hoc, atque illud voluerit ab aeterno sub conditione, quam ipsemet posuerit: hujusmodi enim voluntas, dum nihil imperfectionis praesefert, indicat simul summum Dei in creaturas dominium, quibus imponit leges, quas nisi servaverint, finem, ad quem institutae sunt, non consequentur. Nec, quod asseritur de Judice respectu Rei convicti, est ad propositum; ubi enim agatur de peccatore finaliter impoenitente, locum non habet voluntas antecedens, seu conditionata, de qua nos loquimur, sed consequens, et absoluta.

Subdistinguitur quoque voluntas beneplaciti in efficacem, et inefficacem; in eam nempe, *quae semper impletur, et quae non semper impletur*; manifeste enim patet ex Scripturis, esse quamdam Dei voluntatem, quae

suum semper effectum sortitur; ut ubi dicitur Js. 46. *Consilium meum stabit. et omnis voluntas mea fiet*; et Ps. 113. *Omnia quaecumque voluit, fecit*; sicut etiam aliqua Deum velle, quae tamen non eveniunt ob contumacem hominis resistentiam; ut ubi dicitur Matth. 23. *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* Et Ezech. 24. *Mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis*. Et Is. 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?*

Dum autem Voluntas Dei est inefficax, absit, quod credamus, hujusmodi esse ex defectu potentiae, cum hujusmodi sit ex suavissima ejus Providentia, qua rei exitum, et eventum voluit a nobis pendere; quare dicitur Sap. c. 12., quod *cum magna reverentia disponit nos*; quia nempe, ut scribit D. Hieronymus in c. 63. Isaiae, *provocat ad salutem, ut voluntas habeat praemium*. Et in c. 49. *Potentiam suam Deus nostro arbitrio derelinquit, ut justi voluntas praemium consequatur*. Hinc semper efficax est ejus Voluntas 1.º in iis, quae Deus solus operatur absque ullo creaturae consortio; in quem sensum ait Esther 13. *Domine Deus Rex Omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel*. Et Paral. l. 2. c. 20. dicitur: *Tu es Deus in Coelo, et dominaris cunctis Regnis Gentium, in manu tua est fortitudo, nec quisquam potest tibi resistere*. Ac 2.º etiam, quum absolute decreverit ipsas liberas hominis actiones: *Quis enim* (ait D. Aug. in Enchir. c. 98) *tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, non posse convertere?* Hinc docet l. 1. ad Simplician. q. 2. *Effectus misericordiae non potest esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit. Si enim Deus miseretur, ergo jam volumus, ad eamdem quippe misericordiam pertinet, ut velimus. . . Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Et l. de corrept., et gr. c. 14. *Volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium; sic enim velle, seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. . . Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem*. Qua-

re tametsi ex fide certum sit, voluntatem a Deo motam, et excitatam posse dissentire, si velit, simul etiam certum esse debet, eam numquam velle dissentire, quum Deus absoluta, et efficaci voluntate statuit, ut non dissentiat; id enim sine injuria, et praejudicio Divinae Omnipotentiae Deo denegari non potest. Hinc Prov. c. 21., *Cor Regis* (dicitur) *in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.*

Pauca demum de ordine inter Dei Decreta statuendo, ac de variis Divinae voluntatis actibus. Et quoad 1.m quamvis inter Dei decreta nec ullus ordo habeatur secundum prius, et posterius ratione existentiae, quia unum ab alio realiter non distinguitur, sed una in Deo est, ac simplicissima entitas, eaque aeterna; nec ullus ordo verae causalitatis, quia ubi nulla adest dependentia unius ab alio, neque etiam unum esse potest alterius causa: utique tamen aliquis inter illa habetur ordo virtualis secundum prius, et posterius, quatenus nempe unicus, ac simplicissimus secundum entitatem Divinae voluntatis actus respondet, et aequivalet diversis, ac realiter distinctis humanae voluntatis actibus. Hinc quia prius intenditur finis, quam media ad illum obtinendum necessaria, prius quoque concipitur in Deo voluntas reparandi hominem, quam voluntas Incarnationis. Hinc etiam quia non datur praemium, nisi propter meritum, prius quoque concipitur volitio meritorum, quam volitio praemii. Hinc etiam quia prius est velle subjectum, quam formam ipsi accidentalem, prius quoque concipitur velle hominem creare, quam velle ipsi gratiam concedere: in quibus omnibus ceteroquin verum etiam est, quod ait D. Thomas, quod *ultimus finis est prior in intentione.*

Quoad alterum vero, 1.° amat Deus seipsum amore *necessario*, nequit enim seipsum non amare; *comprehensivo*, nam se amat, quantum amabilis est; et *infinito*, infinite enim est amabilis. 2.° amat necessario omnia possibilia amore complacentiae; cum enim necessario sibi complaceat in omnibus suis perfectionibus, ex quibus est omnipotentia, necessario etiam complacere sibi debet in iis, quae haec potest producere, suntque omnia possibilia. 3.° amat quoque res creatas; nam diligere, et bonum velle idem sunt; et quidquid boni est in rebus creatis, non est, nisi a Deo. Hinc dicitur Sap. 11. *Diligis*

omnia , quae sunt , et nihil odisti eorum , quae fecisti. Libere tamen , quia cum sibi sit sufficientissimus, nulla re indiget ; itemque in ordine ad seipsum , ut enim dicitur Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* ; et Js. 43. *Omnem , qui invocat nomen meum , in gloriam meam creavi illum.* Cui accedit, quod ipse est ultimus finis omnium rerum ; nec esset finis omnium , quae ab eo fiunt , si omnia non faceret propter seipsum , et faceret aliquid , quod ad seipsum non referret. 4.° creaturas rationales amat quoque amore charitatis ; quare ait Ap. ad Eph. 2. *Propter nimiam charitatem suam , qua dilexit nos* ; immo et justos amore amicitiae , ut legitur Judith. 8. , Ps. 138. , Lucae 12. , et Jo. 15.

E contrario tam peccata , quam peccatores ipsos et abominationis , et inimicitiae odio prosequitur : quorum 1.m constat tum ex Sap. 14. *Similiter odio sunt Deo impius , et impietas ejus* ; tum ex eo quod ejus voluntas, utpote rectissima , aversatur omnia , quae aversione sunt digna , cujusmodi sunt nedum peccata , sed et ipsi peccatores propter peccata. Alterum tum ex Ps. 91. *Inimici tui peribunt* , ubi vox *inimici* sumitur active etiam ex parte Dei ; tum ex eo quod sicut Deus amat justos amore amicitiae , sibi complacendo in illis ob gratiam sanctificantem , et ex tali complacentia volendo illis beatitudinem aeternam , et alia bona supernaturalia , quia sunt illorum bona , ita peccatores prosequi debet odio inimicitiae propter peccata , sibi displicendo in illis , et ex tali displicentia volendo illis poenam debitam , ut illorum poena est. Ita Gabriel Antoine. Negant tamen alii , quod Deus peccatores odio habeat odio inimicitiae.

CAP. II.

De voluntatis Dei libertate.

Fide certum est, in omnibus operibus ad extra, Deum esse liberum; adeo tamen explicatu difficile, per quod ejus libertas in hujusmodi constituatur, et quomodo cum ejus immutabilitate conciliari queat, ut Aristoteles negare auserit, Deum esse liberum, ut faceret immutabilem; Vasquesius vero dixerit, indissolubile id esse, ac solis Beatis manifestum, et Suaresius nostrae Religionis Mysterium esse, quod in hac mortali vita cognosci non potest. Vestigiis caeterum D. Thomae inhaerentes, qui *l.* 1. *contra Gentes c.* 82. scribit, habitudinem voluntatis Divinae *ad se* esse necessariam, et naturalem, habitudinem vero ejusdem *ad alia* esse voluntariam, conabimur in hoc capite, et quomodo Dei libertas a nobis concipienda sit, et quomodo cum ejus immutabilitate conciliari queat, quantum saltem fas est, et mysterii altitudo patitur, explicare.

Id tamen priusquam suscipiamus, advertere opus est 1.° quod quum de Dei libertate agitur, non agitur, ut innuimus, nisi de operibus ad extra; eum namque liberum non esse in actibus suis internis, et immanentibus, qui ad Divinam Essentiam pertinent, quoad scilicet generationem Verbi, processionem Spiritus Sancti, amorem sui ipsius, etc., fide constat, et ex ostensis ubi de Divina immutabilitate tract. VII. pag. 70., et sequ. manifeste sequitur. 2.° libertatem *contradictionis* non esse in Deo, quatenus praesefert voluntatem intrinsece suspensam ab omni actu volitionis. aut nolitionis, quia nihil novi potest incommutabili Deo contingere; sed quatenus significat indifferentiam ad agendum, vel non agendum, ac spectata tantum indifferentia ejuscemodi ex parte connotatorum, ut infra explicabimus. 3.° nullam Deo inesse libertatem *contrarietatis* ad bonum, et ad malum, est enim mali incapax. Nec libertatis essentia postulat, ut in malum ferri possit, ut enim disseruimus in tract. de act. hum. c. 1., definitur libertas *ipsa voluntas, quatenus habitis omnibus ad agendum requisitis, facultatem habet se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppositis, seu incompossibilibus.* Voluntas autem ferri nequit, nisi in bonum, nec potest, sibi bonum prose-

qui, verum nempe, vel apparens: Et libertas igitur. Quod autem feratur in bonum apparens, oritur ex mentis imperfectione, ex qua fit, ut plerumque bonum apparens pro vero accipiat, licet reapse, et in veritate sit malum: Ex imperfectione igitur oritur, quód libertas feratur quoque in bonum apparens, seu malum; ac proinde Ens, quod perfectissima libertate gaudet, numquam in malum fertur; ideoque et dicendum, quod libertas *contrarietatis* ad bonum, et ad malum ad essentiam libertatis non pertinet, sed dicenda potius est ejus imperfectio. Quod si per libertatem *contrarietatis* non illa intelligatur, quae refertur ad bonum, et malum patrandum, sed ad poenam, vel praemium rependendum, utique cum Scotistis tribui Deo potest, quandoquidem unum eligit, alterum reprobat, eamdemque personam deserit peccantem, quam amplectitur poenitentem.

His modo praemissis, demostrandum suscipimus 1.° quod vera in Deo sit libertas. 2.° qua ratione a nobis in eo sit concipienda. Quibus statutis, objectionum demum solutione patebit, quomodo cum Dei immutabilitate non pugnet. Sit igitur

Prop. I. In omnibus operibus ad extra perfectissima Deus libertate gaudet. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex Ps. 113., ubi: *Omnia quaecumque voluit, fecit.* Et ep. 1. ad Cor. 12. *Haec omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Et ad Rom. 9. *Cujus vult, miseretur; et quem vult, indurat.* Et ad Eph. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Porro, ut hic D. Th. disserit, quod operamur ex consilio voluntatis, non ex necessitate volumus, sed libere: Neque ergo Deus aliquid ex iis, quae ad extra operatur, ex necessitate operatur, sed libere...

2.° Rationibus theologicis; 1.° enim si ea, quae Deus extra se efficit, quadam compulsus necessitate efficeret, nec ulla deberetur laus misericordiae, quam erga nos exercet, nec nulla gratiarum actio ob beneficia nobis collata, nec demum aliquid ab eo sperandum, ac petendum esset. Haec autem omnia quam sint absurda, nemo est, qui non videat: Nulla ergo compulsus necessitate ea efficit, sed libere. 2.° Si voluntas Dei necessario voluisset rerum actualitatem, ratio, cur eas voluisset necessario, vel in ipso, vel in ipsis rebus adhuc possibili-

bus fuisset. At non 1.m, cum enim Deus sit Ens perfectissimum, nullius rei eget, sed sibi ipsi sufficit. Non alterum, qua enim ratione res adhuc possibiles determinare tamen poterant voluntatem Divinam, ut ipsis actualitatem tribueret? Non ergo voluntas Divina eorum actualitatem necessario voluit. 3.° quae necessaria inter se sunt, ita nempe, ut unum necessario se habeat ad alterum, separationem nullatenus patiuntur. At inter voluntatem Divinam, et rerum actualitatem separatio per totam aeternitatem adfuit: Voluntas igitur Divina necessario se non habuit ad rerum actualitatem. Utque idem diversimode dicamus, quia generatio Verbi, sicut et Spiritus Sancti processio actus uterque est absolute necessarius, fuitne, vel umquam est aut Verbum, aut Spiritus Sanctus in mero possibilitatis statu? Minime, ac dictu nefas. Cum igitur et res creatae, et quaecumque Deus operatur ad extra in eo statu per totam aeternitatem fuerint, hinc semper in hisce operibus libere se gessisse, ac gerere, dicendum est.

Prop. II. Dei libertas concipienda non est, velut aliquid absolutum, sed concipienda est, velut aliquid connotativum; nec per modum facultatis, sed per modum actus.

Prob. 1.ª pars. Versatur enim ex dictis Dei libertas tantum circa opera ad extra, non enim vel in cognoscendo, vel in amando seipsum Deus est liber. Quod cum ita sit, concipi numquam poterit libertas Divina, nisi respectus, seu connotatio habeatur ad objecta ad extra; ideoque concipienda non est, velut aliquid absolutum, sed concipienda est, velut aliquid connotativum: Patet ergo propositum.

Prob. 2. pars. Si enim Deus esset liber per modum facultatis, non jam per modum actus, non esset simul immutabilis; nam immutabilitas concipitur per impotentiam non volendi in tempore, quod ab aeterno noluit, libertas vero per modum facultatis concipitur per potentiam volendi in tempore, quod ab aeterno noluit. Deus autem est simul liber, et immutabilis: Non igitur libertas Divina concipienda est per modum facultatis, sed per modum actus.

Hinc 1.° Dei libertas ipsa est Dei volitio libera.

Hinc 2.° indifferentia, quae ingreditur in ideam libertatis, applicanda non est, dum sermo sit de liberta-

te Divina, ipsi Dei voluntati, sed volitioni Divinae liberae, seu quatenus liberae.

Prop. III. Indifferentia volitionis Divinae liberae petenda non est ab ulla contingentia ipsius volitionis Divinae, in quantum est quid Divinum.

Prob. Volitio enim Divina ab ipso Deo non distinguitur. Deus autem ita est, ut prorsus nequeat non esse; idque omnem contingentiam excludit: Non ergo indifferentia volitionis Divinae liberae petenda est ab ulla contingentia ipsius volitionis Divinae, in quantum est quid Divinum.

Hinc 1.° dicenda non est ulla Dei volitio ob id libera, quod potuerit non esse.

Hinc 2.° nihil obstat, quod libertatem Divinam ex nostris volitionibus liberis concipiamus, modo ab iis omnem indifferentiam, quae oritur ex earumdem contingentia, caeterasque imperfectiones removerimus.

Prop. IV. Ad volitionem vere liberam non requiritur indifferentia, quae ex contingentia ipsius volitionis oriatur.

Prob. Nam velle liberum semper referri debet ad aliquod objectum, idemque est, ac velle illud objectum absque ullo principio invincibiliter determinante. Etsi autem aliqua volitio omnem a se excludat contingentiam, nihil tamen obstat, quod erga suum objectum feratur absque ullo principio invincibiliter determinante, potest namque contingentiae negatio volitionem subjective necessariam afficere, quin simul sit objectiva: Patet ergo propositum. Cui accedit, quod volitio vere libera quid, nisi volitio vere indifferens erga suum objectum? Ad volendum autem indifferenter aliquod objectum ferri et potest actus caeteroqui necessarius, prout in nobis idem actus, quo necessario volumus esse beati, indifferens tamen est respectu mediorum, quae eligimus ad beatitudinem consequendam: Quod ergo ad volitionem vere liberam non requiratur indifferentia, quae ex contingentia ipsius volitionis liberae oriatur, magis, magisque perspicuum est.

Prop. V. Dei libertas ipsa est Dei volitio indifferenter se habens relate ad objecta ad extra; quae tamen indifferentia non oriatur ex ulla contingentia ipsius volitionis Divinae, sed ex eo quod ab objecto, erga quod dicitur libera, invincibiliter determinari nequeat.

Prob. Nam ex prop. I.ª Dei libertas concipienda

non est, velut aliquid absolutum, sed velut aliquid connotativum; nec per modum facultatis, sed per modum actus. Ex prop. III. indifferentia volitionis Divinae liberae petenda non est ab ulla contingentia ipsius volitionis Divinae; ac denium ex prop. IV. ad volitionem vere liberam non requiritur indifferentia, quae ex contingentia ipsius volitionis oriatur: ex quibus sequitur, quod volitio Dei libera ipsa est Dei volitio indifferenter se habens relate ad objecta ad extra, quae indifferentia aliunde petatur, quam ab ulla contingentia ipsius volitionis. Ab alterutro autem ex his duobus peti potest hujusmodi indifferentia, nimirum vel a contingentia ipsius volitionis, vel a defectu objecti invincibiliter determinantis: Superest ergo, ut Dei libertas ipsa sit Dei volitio indifferenter se habens etc.

Accedit, quod volitio, quae a suo objecto invincibiliter determinari nequeat, per id solum jam est plus, quam spontanea, quod enim est mere spontaneum, invincibiliter a suo objecto determinatur. Sic homo invincibiliter determinatur a bono in genere, ac bruta ab objectis sensibilibus, propterea quod ille erga bonum in genere, haec erga objecta sensibilia mera spontaneitate gaudent. At Dei volitio invincibiliter determinari nequit ab objectis ad extra, utpote perfectissima, ac nullius indigens: En igitur per id solum, quod ab objectis ad extra invincibiliter determinari nequit, jam est plus, quam spontanea. At si per id solum est plus, quam spontanea, per id solum etiam dicenda est libera: Dei ergo libertas ipsa dicenda est Dei volitio indifferenter se habens etc.

Nec aliquid facessit, quod Deo conveniat libertas diversa prorsus ratione, qua nobis convenit; ipsi enim convenire debet, remota omni imperfectione, et solum qualenus est perfectio. At perfectio non est, quatenus praesefert contingentiam in suis actibus, quis enim contingentiam perfectionem dixerit? Sed tantum est perfectio, quatenus de voluntate praedicat, quibuscumque objectis finitis superiorem esse, nec umquam ab iis posse invincibiliter determinari: Hac tantum ergo ratione Deo attribuendam esse, nemo non videt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicitur 1.° Non est in Deo electio : Nec ergo libertas.

R. dist. ant. ; quod nempe in Deo non est electio cum consultatione , utpote quae mutationem , imbecillitatem , animique suspensionem dicit : utique tamen in eo est electio , quae sit unius optio prae alio absque ulla animi haesitatione , cum in hoc nulla imperfectio concipiatur.

Objic. 2.° In Deo nulla est mutabilitas. Sed libertas dicit mutabilitatem: Nec ergo in eo ulla est libertas.

D. dist. min. ; quod nempe dicit mutabilitatem , 1.° si ea sit per modum facultatis , non autem si ea sit per modum actus , nemo enim non videt , mutabilitatem quamdam significare facultatem , non vero quemdam actum. Sicut etiam mutabilitatem dicit , dum qui liber est non est simul Ens perfectissimum , non autem dum qui liber est , idem quoque est Ens perfectissimum, quomodo enim cum perfectione infinita compossibilis est mutabilitas?

Objic. 3.° Qui liber est , id , in quo liber est , potest aeque velle , et non velle. Deus autem , quod ab aeterno voluit , nequit in tempore non velle : Non ergo liber.

R. dist: maj. ; quod nempe , qui liber est , potest id , in quo liber est , aeque velle , et non velle , 1.° si liber sit per modum facultatis , facultas enim volendi , et non volendi ea est , quae potest velle , et non velle ; non autem si in eo libertas sit actus , non facultas , quomodo enim actus non volendi potest non velle ? Hac porro ratione libertas de Deo praedicatur. Sicut etiam qui liber est , id , in quo liber est , potest aeque velle , et non velle , si non sit simul Ens perfectissimum ; non autem si et liber , et simul Ens perfectissimum sit ; si enim Ens perfectissimum nollet in tempore , quod ab aeterno voluit , id oriretur vel ex ignorantia , quam postea vinceret cognitio , vel ex inconstantia , et levitate , quae cum idea Entis perfectissimi evidenter pugnat.

Objic. 4.° Qui est intrinsece liber , potest carere eo actu , quem libere habet. Deum autem carere posse aliquo actu pugnat cum ejus immutabilitate : Non ergo liber.

R. dist. pariter maj. ; quod nempe actu, quem libere habet, carere potest, 1.° si liber sit per modum facultatis; non autem si in eo libertas sit actus, non facultas; qua ratione libertas de Deo praedicatur : ac 2.° si non sit simul Ens perfectissimum, ut modo diximus. Quibus accedit, Deum non posse carere actu libero quantum ad ejus entitatem, utique tamen eo carere posse quantum ad ejus terminationem, seu habitudinem ad creaturas; haud nempe *entitative*, at utique *connotative :* quo caeterum sensu improprie dicitur, quod Deus careat eo actu, cum tota carentia sit ex parte creaturae, ad quam actus terminatur, salva semper infinita, et immutabili entitate agentis.

Sed instant. Connotatio, quam dicit libertas divina, vel est Deo intrinseca, vel extrinseca. Si hoc, constituitur ergo Dei libertas per aliquid extrinsecum. Si illud, erit igitur Deo intrinseca, et necessaria connotatio ad res creatas. Utrinque scopulus : Non igitur liber.

R., negando, quod si connotatio, quam Dei libertas dicit, asseritur Deo extrinseca, constituitur ipsa Dei libertas per aliquid extrinsecum ; definitur enim actus liber Dei *entitas, aut volitio Divina, quatenus ad creaturas terminatur*. Hinc, quod actus Dei liber addit supra necessarium, est tantum habitudo, seu respectus, et terminatio ad creaturas, non tamen quatenus haec habitudo, seu respectus, et terminatio est externa, nam actus liber, etiam quatenus liber, est Deo internus, pro conditione scilicet libertatis, quae ipsi est interna, sed quatenus praefata habitudo Deo interna terminatur ad creaturas, ac dum est *entitative* intrinseca, est simul *terminative* extrinseca ; sive, ut scribit Tournelius, *ratione terminationis intrinsecae ad extrinsecum* (De immutab. Dei resp. ad 4.).

Rursus instant. Si actus liber Dei esset ipsa *entitas, aut volitio Divina, quatenus ad creaturas terminatur*, nihil esset discriminis inter cognitionem Dei, ejusque volitionem liberam, nam et de cognitione creaturarum in Deo dici potest, eam esse entitatem Divinam, prout terminatur ad creaturas. Absurdum autem, nihil esse discriminis inter cognitionem Dei, ejusque volitionem liberam : Non ergo actus liber Dei ipsa etc.

R. neg. maj., nam nullam equidem inter cognitionem Dei, ejusque volitionem liberam est discrimen ex

parte Divinae entitatis, cum illa sit simplex; utique tamen inter utramque est aliquod discrimen ex parte modi, quo et cognitio, et volitio tendit in suum objectum. Omnis quippe volitio est affectus vel prosecutivus boni, vel aversativus mali; non item cognitio, quae est actus vitalis Mentis Divinae, qui fertur ad creaturas cognoscendas.

Demum instant. Unus, idemque actus nequit esse necessarius simul, et liber. Ejusmodi autem a nobis asseritur volitio Dei libera: Figmentum igitur.

R. dist. maj.; quod nempe *secundum idem* unus, idemque actus nequit esse necessarius simul, et liber; at non secus, dumque relate ad entitatem actus est necessarius, relate vero ad terminum liber. Hinc etiam, ut supra diximus, idem in nobis actus, quo necessario volumus esse beati, est simul liber respectu mediorum, quae eligimus ad beatitudinem consequendam. Ingenue caeterum fatemur, quidquid a nobis hac super re allatum est, nonnihil quoque obscuritatis adhuc relinquere; est enim praesens controversia maxime intricata; utque in exordio diximus, verum mysterium humanae menti hac in vita impervium.

CAP. III.

De Voluntatis Dei Providentia.

Definitur Providentia *rerum omnium in finem suum ordinatio*; quare, ut ait Hugo Victorinus, tria haec complectitur: *Scientiam dirigentem*, *voluntatem imperantem*, *et potentiam exequentem.* Ne detur autem errandi locus, distinguendus 1.° est finis creationis, *ratio* scilicet *voluntatis Divinae*, *cur hanc*, *ac illam rem creaverit*; et finis rei creatae, idest *hujus ordo ad aliam*: ut enim advertit D. Th. 1. *p. qu.* 19. *a.* 2. *in corp.*, vult Deus, unam rem esse propter aliam, media nempe propter finem; sed ratio, cur ipse id velit, non est res creata, vel creabilis, sed sola sua bonitas: *Vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult.* Et q. 44. a. 4. ad 1. *Non agit Deus propter suam utilitatem*, *sed solum propter suam bonitatem*; ut eam nimirum *aliis communicet secundum quod est possibile*, *et in quantum condecet*, *Divinam bonitatem ab aliis participari.* Praeiverat D. Aug. *l.* 11. *de Civ. Dei c.* 21., ubi docet, *hanc*

condendi Mundi justissimam causam fuisse, ut a bono Deo bona opera fierent. Cujus ratio est, quia si Deus aliquid extra se appeteret, ut finem suum, jam non esset perfectissimus, infinitus, ac sibi sufficiens, quod nefas dictu. Quare voluit quidem creationem Mundi, caeteraque omnia ordinari in gloriam nominis sui, juxta illud Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est, etc.* Et Js. 43. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi illum*: dum tamen id voluit, fuitque gloria ex Mundi creatione sibi obventura finis quoque, quem necessario praestituit rebus ab ipso volitis, immutabilis namque ordo postulabat, ut sicut ipse est rerum omnium principium, ita et rerum omnium esset finis; advertendum est simul, quod cum nec creaturis, nec honore ab iis sibi exhibito prorsus indigeat, sed ipse sibi sit sui ipsius gloria, et honor, sola idcirco ejus bonitas fuit causa, cur et voluit creationem Mundi, et ejusmodi finem creatis rebus praestituit, ut nempe extra se eam diffunderet, et per bonorum communicationem a creaturis rationalibus cognosceretur, et diligeretur.

Finis vero rei creatae subdistinguendus est in proximum, et ultimum. Ille est, ut diximus, *ejus ordo ad aliam.* Hic *gloria ex creaturis Deo obventura*, seu *manifestatio per ipsas perfectionum Divinarum*; non enim Deus semper assequitur fines proximos inefficaciter, et conditionate tantum intentos; semper tamen assequitur finem ultimum rerum creatarum, nempe ipsius gloriam, positam in manifestatione ejus Divinarum perfectionum. Neque id pugnat cum ratione perfectae providentiae; ad hujus enim rationem non requiritur, ut Provisor finem inefficaciter, et conditionate tantum intentum assequatur, praesertim si illa deviatio a fine sic volito evadat et ipsa medium sapienter praevisum ad finem ultimum efficaciter intentum.

His praemissis: errarunt contra Dei Providentiam Stoici, et Epicurei ex veteribus Philosophis, negando Supremi Numinis regimen; nec non Genethliaci, qui omnia fato, et inevitabili siderum constitutione ajebant contingere. Ex Christianis vero Marcion, Priscillianus, et quotquot vel fortuito aliqua evenire, vel potiora dumtaxat, non vero minima, et vilia Deo curae esse, et ab eo regi, somniarunt. Contra quos sit

Prop. Cuncta, etiam minima, eaque etiam, quae no-

bis videntur fortituto evenire, ita Divinae Providentiae subjacent, et ab ea diriguntur, ut nihil omnino sit, praeter peccatum, quod Deus non velit voluntate singulari, directa, et positiva. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; ut ex c. 14. Sap., ubi: *Tua, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat.* Et c. 8. *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et 1. Petri c. 5. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Diximus *etiam minima*; additur enim Sap. 6. *Pusillum, et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus.* Et Ps. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus.* In quae verba ita D. Aug. *Quemadmodum ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis faciunt verbum ejus, sic omnia, quae vanis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt, nisi verbum ejus, quia non fiunt, nisi jussu ejus.* Et Luc. 12. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Et c. 21. *Et capillus de capite vestro non peribit.* In quae ita idem D. Aug. ser. 133. *Non perit capillus, quem, quum tondetur, non sentis; et peribit anima, per quam sentis? Si sic tua custodiuntur superflua, in quanta securitate est anima tua? Jacta te in Deum; optime te habebis in optimo.* Et 1. Petri 3. *Quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis?* In quae ita idem S. D. enarr. 3. in Ps. 32. *Fera saevit? Deum time. Serpens insidiatur? Deum time. Homo te odit? Deum time. Diabolus te impugnat? Deum time; tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere. Quid formidaturus es? Aliquid de Coelo, aliquid de terra, aliquid de mari? Ipse dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt. Cum jubet, moventur; cum jubet, quiescunt. Et malitia hominum cupiditatem nocendi potest habere propriam; potestatem autem, si ille non dat, non habet.* Quod et demum asseritur in aliis Scripturae locis, ut enim scribit doctissimus Petav. Theol. Dogm. t. 1. l. 8. c. 4. *Innumera sunt testimonia omnibus in Scripturae libris, quae hoc docent, Deum, non universe solum, sed minutatim quoque rationem habere singularum rerum, iisque propria, et accommodata unicuique providentia*

consulere, et quae opus habent, suppeditare : . . Nec dubitare licet Christiano ulli, quin Deus rerum omnium tam anima carentium, quam animatarum peculiarem, et cujusque naturae congruentem habeat curam.

Item diximus *eaque etiam, quae nobis videnter fortuito evenire*; quae enim fortuita nobis videntur, a Deo tamen sunt ordinata, et definita. Et sane, nihil magis contingens, ac fortuitum videtur caede hominis, qui a lignatore, praeter suam intentionem, sit occisus; haec tamen Deo tribuitur Ex 21., et Deut. 19. Nihil quoque tam fortuitum videtur, quam exitus sortium; attamen et hic in Deum refertur Prov. 16., ubi: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Quod et dicitur de Moyse in fiscella scirpea ad fluminis alveum exposito; de Joseph Ismaelitis vendito, et in Ægyptum ducto; de asinis a Saul deperditis, ac subinde, indicante Samuele, inventis; quare D. Aug. l. 1. cont. Academicos c. 1. ait: *Quae vulgo fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur; nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio, et causa secreta est.* Et l. 5. de Civ. Dei c. 10. *Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, et linguam corrigat.* Addit D. Th. 1. p. q. 22. a. 2. in corp. *Dicendum, quod in quantum aliquis effectus ordinem alicujus causae particularis effugit, dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu causae particularis: sed respectu causae universalis, a cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum: sicut et concursus duorum servorum, licet sit casualis quantum ad eos, est tamen provisus a Domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat.*

Relatis D. Aug. testimoniis accedit, quod idem ait in Ps. 148. *Quidquid hic accidit, noveritis non accidere, nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: et si nos non intelligimus quid, quare, fiat; demus hoc providentiae ipsius, quia non fit sine causa.* Accedit quoque D. Ambr. l. 2. de offic. c. 13. *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat, et destituat, quod ipse condendum putavit? Cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare, quod feceris, summa inclementia.* Nec non quod scribit D. Th. l. cit. *Necesse est dicere, omnia Divinae Providentiae subjacere, non in universali tantum, sed etiam in singulari.*

Ac demum accedit multiplex ratio. Et 1.° ducta ex rerum conservatione, quae est perpetua, et indeficiens rei creatio: nec possibile est, quod in creatione tria illa desint, quae diximus cum Hugone Victorino Providentiam complecti, *scientiam dirigentem*, *voluntatem imperantem*, *et potentiam exequentem*. 2.° ducta ex constanti, ac perpetuo rerum ordine, temporumque aequabili successione; quis enim inde non perspicit, Deum esse in Mundo, quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro praeceptor, in Regno Rex, in exercitu Imperator; quodque, sublata ejus Providentia, in confusionem, et indigestum chaos omnia relaberentur? 3.° ex infinita Dei bonitate; nam et homines quoque, immo et bruta propriorum faetuum providentiam habent; et qui iis non providet, dignus ab omnibus vituperatione censetur. 4.° ex communi omnium Gentium sensu; inter quas nulla umquam fuit adeo barbara, quae non censuerit, esse aliquod Numen Supremum, quod res humanas cognoscat, et regat, et ad quod in periculis, et afflictionibus sit confugiendum, et a quo praemia pro recte factis, supplicia pro sceleribus sint expectanda.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Sub providentia Dei Optimi Maximi nec ullum deberet malum extare, nec conspici umquam deberet, quod impii florescant, et justi affligantur. Innumera autem extant mala; nec raro impii florescere, et justi affligi videntur: Figmentum ergo haec Dei O. M. providentia.

R. neg. maj.; quoad 1.m enim, triplex distinguitur malorum genus; nec ullum ex iis pugnare cum Dei bonitate, ostendimus tr. 4. de unit. Dei, resp. ad 1. pag. 50., et sequ.. Quibus hic addimus, quod D. Th. advertit 1. 2. q. 22. a. 2. ad 2. *Dicendum, quod aliter, de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali: quia provisor particularis excludit defectum ab eo; quod ejus curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Si autem omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo.* Ad cujus bonum proinde, et pulchritudinem conducunt, ut ait D. Aug.

l. de Gen. ad litt. c. 5., sicuti umbrae in pictura, et in musica concors vocum discordia ad picturae ornamentum, et concentus suavitatem prosunt: neque enim Deus, ut addit in Enchir. c. 11., *cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, et bonus, ut bene faceret etiam de malo.* Hinc ipsorum peccatorum, quae omnium malorum sunt maxima, non est quidem auctor, *sed tamen ordinator est*, ut idem S. D. ait cit. l. de Gen. ad litt.: *neque enim* (ut pergit l. 11. de Civ. Dei c. 18.) *ullum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem saeculorum, tamquam pulcherrimum carmen, ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Ita venditionem Joseph ad Ægypti salutem ordinavit; quare ait Joseph ad fratres suos: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum* (*Gen.* 50.). Ita etiam obstinatam Judaeorum malitiam, quae Christo mortem intulit, ordinavit ad ipsius Christi exaltationem, et humani generis salutem; quare illis ait D. Petrus: *Hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis, quem Deus suscitavit* (*Act.* 1.). Qua super re addit demum D. Aug. in Ps. 54., quod *omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per eum bonus exerceatur*; et D. Th. 1. p. q. 19. a. 6. in corp., quod dum *peccator, quantum in se est, recedit a Divina voluntate peccando, incidit in ordinem Divinae voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.*

Quoad alterum vero, licet nostrum non sit, providentiae arcana, ejusque occultas rationes investigare, ac tametsi occultum, justum semper credendum sit Dei judicium, utique tamen redditur ratio, et quidem multiplex, cur non raro impii florescere, et justi affligi in hac mortali vita videantur: 1.° enim nemo tam justus, qui aliquando etiam non delinquat. Hinc ergo ejus temporalis punitio. Nemo tam malus, qui aliquod bonum morale interdum non operetur. Hinc ergo ejus temporalis felicitas. 2.°, ut D. Aug. ait l. 1. de Civ. Dei c. 8., *placuit Divinae Providentiae praeparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia*

bona , *et mala utrisque voluit esse communia*, *ut nec bona cupidius appetantur* , *quae mali quoque habere cernuntur* ; *nec mala turpiter evitentur* , *quibus et boni plerumque afficiuntur*. 3.° , ut idem S. D. pergit, quia *si nunc omne peccatum manifesta plecteretur poena* , *nihil ultimo Judicio servari putaretur* ; *et si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas* , *nulla esse Providentia Divina videretur*. 4.° quia nec adversa , quibus hic justi exercentur , proprie mala sunt , tum quia ipsis in bonum cedunt , ut testatur Ap. ad Rom. 8. illis verbis : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* ; tum quia , ut ipse scripsit Seneca , fidei tametsi lumine carens , *non sunt mala* , *nisi male sustinenti* : nec bona e contrario , quibus impii hic fruuntur , ipsis revera sunt bona , tum quia succedentibus prosperis magis in dies obdurescunt; quare dicitur Prov. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos* ; et laud. D. Aug. ait ep. 138. *Nihil infelicius felicitate peccantium*, *qua poenalis nutritur impunitas* , *et mala voluntas velut hostis interior* , *roboratur* : tum quia cum sint semper animo , *quasi mare fervens* (ut dicitur Js. 57.) , *quod quiescere non potest* , non est proinde omnis eorum felicitas , nisi tantum ludicra, et apparens.

Objic. 2.° Si nihil omnino esset praeter peccatum, cujus Deus singulari , directa , et positiva voluntate non esset causa , nihil quoque , nisi optimum , et perfectissimum, conspiceretur ; nequit enim Ens perfectissimum , nisi perfectissimo modo operari. Falsum autem , quidquid est , optimum , ac perfectissimum esse : Et falsum igitur nihil omnino esse praeter peccatum , cujus Deus singulari , directa , ac positiva voluntate non sit causa.

R. neg. sequ. maj. ; quod nempe ex eo , quod Deus perfectissimo modo operetur , consequens sit , optimum semper , ac perfectissimum productum iri ; nam semper quidem operatur modo perfectissimo ex parte sui, nam cum omnis ejus actio ab ipso non distinguatur, hinc et actio , qua viliora producit , non est minus perfecta , quam sit ea , qua Angelos , et universam Coeli militiam creavit , juxta illud tritum D. Aug. *Creavit in Coelo Angelos* , *in terra vermiculos* , *nec major in illis* , *nec minor in istis* ; et quod facit , *non potest facere* (ut ait D. Th. 1. p. q. 25. a. 6. ad 1.) , *ex majori sapientia* , *et bonitate* , et ad finem , quem intendit , magis

idoneum, et proportionatum. At si ex parte sui semper quidem operatur modo perfectissimo, non tamen hoc semper modo operatur ex parte termini, seu objecti, nam secus et exhauriretur ejus omnipotentia, quod absurdum dictu; et causis secundis non tribuisset entitatem eorum limitationi congruam; et nullam creaturam rationalem creare potuisset, nisi perfectissimam, immo infinite perfectam, quia enim perfectiones creaturarum possunt semper in infinitum augeri, nulla ex iis dici potuisset perfectissima, nisi fuisset infinite perfecta; nullam quantitatem, nisi immensam; nullum numerum, nisi infinitum: quae aeque absurda. Quare dicendum, quod sicut non necessitatur ad volendum, ut suae perfectiones exprimantur, ita non necessitatur, ut hoc, vel illo modo, quoad hunc, vel illum gradum exprimantur.

Objic. 3.° Indignum Deo videtur de minimis, ac vilibus rebus curam gerere; quemadmodum confirmat Ap. 1. ad Cor. 9., ubi: *Numquid de bobus cura est Deo?* Quibus similia habet quoque D. Hier. in c. 1. Habac.: Non igitur Dei providentia ad minima, ac vilia se extendit.

R. neg. ant.; ut enim disserit D. Amb. l. cit.: *Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse?* Nec aliquid facessit allatus Ap. textus, ubi ostendere volens, aequissimum esse, ut praecones Evangelii vivant ex Evangelio, argumentum petit ex lege Deut 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, quod dicit, datum specialiter fuisse causa hominis. Textui autem D. Hier. respondimus tr. 11. de scientia Dei cap. 1. respon. ad 4. pag. 152.

Objic. 4.° Si Dei providentia omnia ab aeterno disposuit, et necesse erit evenire, quae disposuit, et quaevis cura, ac sollicitudo in rebus sive hujus, sive alterius vitae promovendis, tamquam omnino inutilis, ac superflua, erit abjicienda. Id autem libertatem destruit, ac Stoicorum fatum inducit: Non ergo ejus Providentia omnia ab aeterno disposuit.

R. dist. sequ. maj., quemadmodum l. cit. de scientia Dei resp. ad 6. pag. 153.

CAP. IV.

De voluntate Dei quoad hominum salutem.

Dum agendum suscipimus in hoc capite de voluntate Dei quoad hominum salutem, agamus quoque, necesse est de Christi morte pro omnibus; Deum namque velle omnes homines salvos fieri, et Christum pro omnibus mortuum esse una simul conjungi, tamquam causam, et effectum, docet Ap. 1. ad Tim. c. 2.. ubi: *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et sane cum voluntas Christi conformis semper fuerit voluntati Divinae, ob id quoque unum cum altero conjungi, manifestum est.

Dum tamen dicitur, Deum velle omnes homines salvos fieri, non intelligitur id velle voluntate absoluta, consequente, et efficaci; cum enim haec semper impleatur, hac proinde non velle, nisi tantum salutem electorum, procul dubio est: sed intelligitur, id velle voluntate antecedente, de qua diximus cap. 1.; antecedenter nempe ad eorum peccata personalia, seu abstractione facta, non quidem a peccato originali, ut Janseniani inquiunt, sed tantum ab eorum peccatis personalibus. Pariter quum dicitur, Christum pro omnibus mortuum esse, neque etiam id intelligitur, ut iidem Janseniani inquiunt, hoc tantum sensu, quod pretium pro omnibus sufficiens solvit, vel quod causa, propter quam sanguinem fudit, toti naturae humanae erat communis, vel quod omnibus, etiam reprobis, temporalia gratiae auxilia promeritus fuit, quae omnia in dubium a nemine vocari possunt; sed hoc sensu, quod pretium sanguinis sui Deo Patri obtulerit, non pro solis praedestinatis, sed etiam pro omnibus hominibus.

His positis: errarunt 1.° circa utrumque Pelagiani, et Semipelagiani, ajentes, Deum, quantum ex se est, omnium quidem salutem velle, sed libero ipsorum arbitrio reliquisse, eos salvos fieri; si quaererent nempe, si peterent, si pulsarent solis naturae viribus; nec posse, nisi positis naturae viribus id genus dispositionibus, illos salvare, quin personarum acceptor sit: *Personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod*

sine ullis praecedentibus meritis, cujus vult, miseretur; ita D. Aug. ep. ad Sixtum. Hinc, quod pronum erat inferre, unam quoque generalem, communem, et indifferentem Dei pro salute omnium hominum voluntatem, ac Christum aequaliter, nulla facta speciali electorum discretione, et dilectione, pro omnibus sanguinem fudisse, agnoscebant. Cumque ipsis objicerentur parvuli cum, vel absque baptismo decedentes,, quos plane praesens voluntas discernere non potest, ad futuram confugiebant, quam habituri essent, si ad pleniorem pervenirent aetatem.

Errarunt 2.° Praedestinatiani, ajentes, ex hominibus alios ad sempiternum exitium, alios vero ad gloriam sola Dei voluntate ab aeterno destinatos fuisse; quare nec Christum pro omnibus, sed pro solis praedestinatis mortuum esse. Eorum errorem propugnavit quoque Calvinus l. 3. Inst. c. 21., ubi: *Non pari conditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, etc, ita vel ad vitam, vel ad mortem praedestinatum dicimus.* Hinc infert c. 23, et 24., quod si quis conditus est, ut damnetur 1.° negat illi Deus fidem, et omnem gratiam. 2.° eum necessitat ad peccandum. 3.° misere decipit, et illudit. Aures Christianae horrescunt!

Erravit 3.° Jansenius, qui l. 3. de gr. Chr. c. 20, et 21. expendens Ap. verba, quod *Deus vult omnes homines salvos fieri*, quodque Christus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, ait, triplici hoc sensu esse intelligenda: 1.° scilicet *per accommodam distributionem*, quia nullus nempe, nisi ex Dei voluntate, et Christi meritis salvus est; eo nempe sensu, quo publicus aliquis ludimagister dicitur omnes alicujus oppidi pueros docere, non quod omnes revera doceat, sed quia quicumque docentur, ab eo docentur. 2.°, ut vox *omnes* non *pro singulis generum*, sed *pro generibus singulorum* usurpetur, ita ut sensus sit, Deum velle, et Christum mortuum esse, ut multi ex quavis gente, conditione, sexu, aetate salutem assequantur; quomodo etiam dicitur, omne animal fuisse in Arca Noe, non quod omnia ad unum animalia in ea fuerint, sed quia in ea fuit cujuscumque speciei animal. 3.° ut sensus sit, Deum *velle omnes homines salvos fieri*, quia *nos facit velle*; eadem nempe ratione, qua dicitur de Spiritu Sancto ad Rom. 8. *in-*

terpellare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, non quod ipse interpellet, sed quia interpellare nos facit. Christum vero docet, dedisse *redemptionem semetipsum pro* omnibus et quoad sufficientiam pretii, et quoad causae communitatem, et quoad temporalia quaedam gratiae auxilia, quae etiam reprobis conceduntur. Quibus interpretationibus utriusque Apostoli textus prolatis, pergit, quod Apostoli verba ad omnes omnino extendere idem est, ac *ad illam Pelagianis omnibus probatam expositionem confugere*; additque c. 20., voluntatem salvandi omnes homines, si quam Deus habet post Adae lapsum, esse nudam velleitatem, qualem et habet circa homines, et Angelos damnatos. Et c. 21., Christum non magis pro salute aeterna reproborum sanguinem fudisse, aut orasse, quam pro salute aeterna Diaboli. Fidem proinde, charitatem, et justificationem nonnullis reprobis propter merita Christi ad tempus conferri: quia tamen pro aeterna eorum salute mortuus non est, justificationem eos necessario amittere, nec posse in gratia finaliter perseverare. Atque hae in Dei erga nos charitatem Jansenii etiam blasphemiae. Contra quos sit

Prop. I. Deus vera, interna, ac formali voluntate, originali etiam peccato supposito, alios quoque vult salvos fieri, quam praedestinatos; nec pro solis his, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus, eodem quoque peccato supposito, Christus mortuus est. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; quas omnes praesentem naturae lapsae statum pro objecto habere, ideoque originale peccatum supponere, evidens est; ut ex illis Christi verbis ap. Jo. c. 6. *Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et c. 17. *Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Ita autem ex allatis textibus simul collatis arguitur: Dum c. 6. asseritur, voluntatem Dei Patris esse, quod salvus a Christo fieret quisquis illi ipse Deus Pater dedit, asseritur simul c. 17., unum ex iis, quos Deus Pater Christo dederat, fuisse filium perditionis: nempe Judam: dumque eodem c. 6. dicitur, voluntatem ipsius Dei Patris esse,

ut omnis, qui credit in Christum, habeat vitam aeternam, nemo simul est, qui nesciat, non omnes, qui in Christum credunt, vitam aeternam, consequi. Quod cum ita sit, nemo non videt, voluntatem Dei Patris esse, alios quoque salvos fieri a Christo, quam praedestinatos, e quorum numero non erat filius perditionis, nempe Judas; ipsiusque Dei Patris voluntatem esse, eos etiam ex Christi fidelibus, qui pereunt, vitam aeternam consequi: Et in praesenti igitur naturae lapsae statu, quem pro objecto habere laudatos Scripturae textus, evidens est, ideoque originali etiam peccato supposito, Deus vera, interna, ac formali voluntate alios quoque vult salvos fieri, quam praedestinatos; nec pro his solis Christus mortuus est, sed etiam pro aliis, saltem, qui credunt in eum.

Quid item clarius ex illis quoque Christi verbis Jo. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam?* Nonne vox *Mundus* ad solos praedestinatos restringi potest? Nonne immo expresse ad eos omnes, qui credunt in Christum, ibi refertur?

Quid item clarius ex illis quoque Christi verbis Jo. 17. *Non pro eis rogo tantum, sed et pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me?* Non omnes autem, qui credunt in Christum, sunt praedestinati: Pro aliorum ergo, quam praedestinatorum, salute Christus oravit, eorumque praecise, qui in ipsum credituri essent; pro quibus idcirco pretium sanguinis sui obtulisse, procul dubio est. Cumque voluntas Christi fuerit quoque Divinae voluntati semper conformis, hinc et dicendum, omnium, pro quibus Christus oravit, Deum salutem velle, ideoque aliorum etiam, quam praedestinatorum.

Quod et confirmatur ex ep. ad Rom. c. 14, ubi Apostolus: *Noli (ait) cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et 1. ad Cor. 8. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Qui autem ex fidelibus pereunt, non sunt profecto ex numero praedestinatorum: Pro iis omnibus ergo, tametsi non praedestinatis, Christus mortuus est. Cumque, ut diximus, voluntas Christi fuerit semper conformis voluntati Divinae, hinc et dicendum, eorum quoque omnium Deum salutem velle; ideoque originali etiam

peccato supposito, utpote quod laudati Scripturae textus supponunt, Deum vera, interna, ac formali voluntate alios quoque velle salvos fieri, quam praedestinatos, nec pro solis his, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus, Christum mortuum esse. Quibus demum Scripturae textibus coronidem imponunt et quae ait idem Ap. 1. ad Thess. *Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum J. C., qui mortuus est pro nobis*; neque enim Thessalonicenses, ad quos scribebat, erant omnes praedestinati: et expressissima ejus verba ad Tim. 4. *Speramus in Deum vivum, qui et Salvator omnium, maxime fidelium*; qui profecto non omnes quoque sunt praedestinati.

Prob. 2.° ex Symbolo Nicaeno, ubi de Christo dicitur: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem homo factus, crucifixus, et passus est.* Omnes autem fideles, tametsi Adae filii per originalem noxam, tenentur fide profiteri, quae praefatis verbis exprimunt; ideoque quod, originali etiam peccato supposito, e quo immunes non fuerunt, Christus tamen pro iis homo factus, crucifixus, et passus est; idque non tenerentur fide profiteri, nisi esset de fide: De fide ergo est, quod, originali etiam peccato supposito, Christus pro iis homo factus, crucifixus, et passus est. Cumque voluntas Christi, ut diximus, fuerit semper conformis voluntati Divinae, de fide etiam dicendum proinde est, quod, originali etiam peccato supposito, Deus vera, interna, ac formali voluntate, eorum omnium, saltem nempe fidelium, salutem vult.

Idem quoque confirmatur ex Symbolo, quod dicitur Athanasianum, quodque ab universa Ecclesia est receptum, quo similiter profitemur, quod Christus *passus est pro salute nostra*, et in fine addimus: *Haec est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Vox autem *quisque* denotat omnem fidelem: Quivis fidelis ergo fideliter, firmiterque debet credere, Christum pro ejus salute passum esse: ac pro conformitate, quam Christi voluntas cum Divina voluntate semper habuit, fideliter quoque, firmiterque debet credere, Deum omnium, saltem fidelium, salutem velle.

Prob. 3.° ex Const. Innoc. X., quam et recepit universa Ecclesia, quae proscripsit quintam Jansenii

propositionem dicentem : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse*, tamquam *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*: *et intellectam eo sensu*, *ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit*, *impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *Divinae pietati derogantem*, *et haereticam*. Constitutionem autem Innoc. X. confirmavit postea Alex. VII., declarans quoque, famosas quinque propositiones in Jansenio damnatas et contineri in Jansenio, et in ejus sensu fuisse damnatas; et utriusque Constitutiones denuò confirmavit Clemens XI. Bulla, quae incipit *Vineam Domini Sabaoth*. Hinc cum Jansenius negaverit solum, Christum mortuum esse pro salute aeterna aliorum, quam praedestinatorum, dicendum hoc est haereticum; ideoque et dicendum, oppositam doctrinam, quod mortuus sit pro aliorum, quam praedestinatorum, aeterna salute, ad fidem catholicam pertinere.

Prob. 4. ex modo dicendis; sit enim

Prop. II. Non est quidem de fide catholica, sed utique dicimus de fide theologica, idest nondum declarata, et definita, quod, et supposito peccato originali, Deus vera, interna, et formali voluntate omnes, et singulos homines vult salvos fieri, et Christus pro omnibus, et singulis hominibus mortuus est. Ita et Gabriel Antoine, et Tournelius, a quo dicitur propositio *vera*, *pia*, *catholica*, *et fidei proxima*, *et cui una dumtaxat deest expressa*, *et publica Ecclesiae declaratio*, *ac definitio*, *ut rei ad fidem expresse pertinentis vim*, *et auctoritatem habeat*.

Prob. Et 1.º ex Scripturis; ut ex c. 18. Matth, ubi: *Venit Filius hominis salvare*, *quod perierat*. Omne autem humanum genus perierat: Ergo et omne humanum genus salvare venit. Et Jo. 4. dicitur de Christo: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi*. Et 1. Jo c. 2. additur de eodem: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi*. Et ad Rom. 3. *Justitia Dei per fidem J. C. in omnes*, *et super omnes*, *qui credunt in eum*; *non enim est distinctio*. *Omnes enim peccaverunt*, *et egent gloria Dei*. Nonne autem evidens, omnia haec verba et pro objecto habere praesentem naturae lapsae statum, et neminem excipere, pro quo Christus non advenerit, et sanguinem fuderit? Ergo et evidens, quod, supposito

etiam praesenti statu, idest peccato originali, nemo excipiendus est, pro quo Christus non advenerit, et sanguinem fuderit. Cumque, ut non semel diximus, voluntas Christi fuerit semper conformis Divinae voluntati, evidens quoque dicendum, quod, et supposito peccato originali, Deus vera, interna, et formali voluntate omnes, et singulos homines vult salvos fieri.

Accedit, quod, teste Ap., pro illis omnibus mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adam; ait enim 2. ad Cor. 5. *Charitas Christi urget nos, aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* In Adam autem omnes, et singuli homines (una B. V. excepta) mortui sunt : Pro omnibus ergo, et singulis hominibus Christus mortuus est; quare et Deum, supposito etiam peccato originali, omnium, et singulorum salutem velle, dicendum est.

Maxime tamen omnium decretoria sunt Ap. verba 1. ad Tim. c. 2. *Obsecro igitur fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt . . . hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus; unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: ex quibus sic argumentari liceat. Quod haec verba proprio, ac litterali sensu intelligenda sint de vera, et interiori Dei voluntate, non de illa, quae dicitur meri signi, figurata, et metaphorica, patet ex recepta de interpretatione Scripturarum regula, quod Scripturae ad sensum figuratum, improprium, et metaphoricum numquam detorqueri debent, nisi sensus litteralis aliquid contineat, quod sit vel Deo indignum, vel pugnet contra fidem, vel bonos mores; ex quibus nihil tale hic occurrit. Loquuntur autem 1.° de homine in praesenti statu naturae lapsae, idest supposito peccato originali; secus namque Apostolus considerasset hominem in abstracto, quae consideratio merum est ens rationis, ut expresse Jansenius scripsit *l. 3. de gr. Chr. c. 20.*, dicens, voluntatem illam Dei antecedentem *in mera praecisione mentis consistere*: quem loquendi modum cum nemo non dicat Apostolo indignum, consequens proinde est, eum loqui de homine, qualis est revera, obnoxius

scilicet communi naturae peccato, cumque in hoc statu juxta Apostolum Deum velle salvum fieri. 2.° neminem excipiant, quem Deus non velit salvum fieri, et pro quo Christus, tanquam mediator Dei, et hominum, semetipsum redemptionem non dederit: Et supposito igitur peccato originali, Deus vera, interna etc.

Utque ab iisdem Apostoli verbis aliud quoque argumentum ducamus, obsecrat Apostolus, ut pro omnibus, nulla alicujus exceptione facta, hominibus oretur, ac praecise pro Regibus, qui omnes tunc temporis nedum detinebantur in infidelitate, sed et Christi fideles persequebantur, loquens proinde non de hominibus in abstracto, et facta mentis praecisione aliqua, sed de hominibus, prout sunt in praesenti statu, ac peccati Adae haeredibus. Rationem vero, quam reddit, cur pro omnibus omnino oretur, est, quia hoc acceptum est coram Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, et quia unus Mediator Dei, et hominum Christus Jesus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Locum autem non haberet Apostoli ratio, quod pro omnibus omnino oretur, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, et unus Mediator Dei, et hominum Christus Jesus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, nisi Deus omnes omnino homines vellet salvos fieri, et nisi Christus pro omnibus omnino redemptionem semetipsum dedisset, cum nemo ignoret, quod a particulari ad universale non valet illatio, ideoque manifesto laboraret vitio hoc Apostoli ratiocinium: Deus aliquos tantum vult salvos fieri ex omnibus hominum generibus; et Christus Jesus pro aliquibus tantum ex omnibus hominum generibus redemptionem semetipsum dedit: Ergo pro omnibus omnino hominibus obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones fiant.

Prob. 2.° ex Symbolo Nicaeno, ubi non dicitur, quod Christus homo factus, crucifixus, et passus sit *propter nos fideles*, sed *propter nos homines*.

Prob. 3.° ex prop. damnata ab Alex. VIII., quae ajebat: *Dedit Christus semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, et solis fidelibus.*

Prob. 4.° ex PP.; praetermissis enim Graecis, quos Jansenius ipse ultro nobis dimittit *l.* 3. *de gr. Chr. c.* 20., ita D. Ambr. l. 2. de Abel, et Cain c. 3. *Omni-*

bus opem sanitatis detulit, ut quicumque perierit, morti suae causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere. Et l. 3. de offic. c. 3. *Christus quoque, qui pro omnibus mortuus est, mercedem suam evacuatam dolebit.* Et l. de Joseph c. 7. *Christus omnibus vitam dedit, ipse pro omnibus mortem suam obtulit.* Ita etiam D. Hieron. Comm. in 2. ad Cor. c. 5.; ubi in haec verba, *Christus pro omnibus mortuus est, Solus* (inquit) *inventus est, qui, ut immaculata hostia, pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.* Et in ep. ad Oceanum: *Mentitur Joannes Baptista, et digito Christum, et voce demonstrans: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi, si sunt adhuc in saeculo, quorum Christus peccata non tulerit.*

Maxime tamen omnium audiamus D. Aug., qui in quaestionem vocatur. Sed prorsus immerito, ita enim S. D. l. de spir., et litt. c. 33. *Vult Deus, omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium; quo bene, vel male utentes, justissime judicentur. Quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno bono, malisque poenalibus implicant; experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Et in Ps. 68. enarr. 2. ait de Juda: *Punivit, per quem passus est. Projecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat.* Et Enarr. in Ps. 95. *Judicabit orbem terrarum in aequitate; non partem, quia non partem emit. Totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.* Et l. 20. De Civ. Dei c. 6. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive in originalibus, sive etiam voluntate additis; et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, idest nullum habens omnino peccatum.* Et l. 6. cont. Jul. c. 4. *Ex hoc probavit Apostolus, omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans dixisti, Christum etiam pro parvulis mortuum. Nullo modo igitur negare permitteris, cos*

trahere originale peccatum. Quibus similia habet quoque aliis in locis.

Prob. 5.° ratione theol.; ex dictis enim cap. ant. cum SS. Aug., et Th., ratio, cur Deus nos creavit, non fuit, nisi solà sua bonitas; ut eam nimirum nobis communicaret. Suam autem bonitatem nobis communicat, vera, interna, ac formali voluntate nobis volendo aeternam salutem, ad quam nos ordinavit, nobisque providendo de necessariis ad eamdem obtinendam; idque omnes omnino homines complectitur, quos ex primis parentibus tracturos fore originale peccatum, bene noverat: Et supposito igitur peccato originali, Deus vera, interna, ac formali voluntate omnes, et singulos homines vult salvos fieri; iisque providit de Christo, qui eos sui sanguinis pretio salvos faceret.

Id vero nedum diximus certum, sed et *de fide theologica, idest nondum declarata, et definita*: ut enim scripsimus in tractatu de fide c. 3., quum continentia propositionum singularium in aliqua propositione universali revelata cognoscitur absque ullo respectu ad has, vel illas circumstantias extrinsecas, tunc formalis revelatio aeque afficit propositionem universalem, ac propositiones singulares in ea contentas; quaevis namque propositio universalis eadem formaliter est cum propositionibus singularibus in ea contentis. Quod autem formaliter revelatum fuerit, est de fide: Quum igitur continentia propositionum singularium in aliqua propositione universali revelata cognoscitur absque ullo respectu ad has, vel illas circumstantias extrinsecas, aeque dicenda est de fide et ipsa prop. universalis, et omnes, ac singulae propositiones in ea contentae. Continentia autem harum propositionum singularium *Deus vult Petrum salvum fieri, etc.* in illa propositione universali revelata *Deus vult omnes homines salvos fieri* cognoscitur absque ullo respectu ad extrinsecas circumstantias: Aeque igitur dicenda est de fide et propositio universalis *Deus vult omnes homines salvos fieri*, et quaevis ex propositionibus singularibus in ea contentis *Deus vult Petrum salvum fieri, etc.*. Et sane, sicut haec prop. *Petrus peccavit in Adam* in illa continetur *Omnes in Adam peccaverunt*: ita haec *Deus vult Petrum salvum fieri* in illa continetur *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Quare sicut de fide est, omnes, et singulos homines in Adam

peccasse, ita de fide dicendum est, Deum velle, omnes, et singulos homines salvos fieri. Quod et dictum esto de Christi morte; tum ob similes propositiones universales formaliter revelatas: *Unus pro omnibus mortuus est*: Et: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: tum quia, ut dicitur Act. 4., *non aliud nomen est sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Nequaquam colligi dicendum est, quod Deus vere velit omnes omnino homines salvos fieri, quodque Christus vere pro omnibus omnino hominibus mortuus fuerit, ex illis Scripturae textibus, ubi dicitur, *Deum velle omnes homines salvos fieri*; *et Christum dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus*, si non raro in Scripturis vox *omnis*, licet ex se indeterminata, et universalis, limitatur tamen, et restringitur. Ita autem rem se habere, patet ex Jo. 1., ubi dicitur de Christo: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*; non quia nullus sit, qui non illuminetur, sed quia nullus, nisi ab ipso, illuminatur. Et c. 12. ait Christus: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*; neque tamen Christus omnia ad se trahit. Et 1. ad Cor. 15. dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*, neque tamen omnes vivificantur: Neque ergo ex illis Scripturae textibus colligitur, quod Deus vere velit omnes omnino homines salvos fieri, quodque Christus vere pro omnibus omnino hominibus mortuus fuerit.

R. neg. sequ. maj.; licet enim vox *omnis*, non pro omnibus, sed pro multis aliquando usurpetur in Scripturis, insulsus tamen est, qui inde generaliter infert, numquam omnes homines eam significare, eo quod aliquando usurpetur ad multos denotandos. Porro omnes omnino homines in allatis textibus eam significare, evidenter liquet ex momentis supra allatis; ac ex eo maxime, quod Ap. pro iis omnibus Christum mortuum esse, inquit, qui in Adam mortui sunt; suntque hi omnes omnino homines.

Objic. 2.° Non semel legitur in Scripturis, Christum pro multis mortuum esse; ut Matth. 20. *Filius hominis*

non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. E c. 26. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et ad heb. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Porro haec loquendi ratio non omnes omnino homines significat, sed aliquos ex illis : Ne ergo dicamus, Scripturas sibi contradicere, neque etiam omnes omnino homines, sed tantum aliquos ex iis significari, dicendum est, ubi legitur, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, quodque Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.

R. 1.° neg. cons., quia enim Scripturae nequeunt sibi contradicere, ac expresse Ap. docet in relatis locis, *Deum velle omnes homines salvos fieri*, et Christum *dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus*, etc., cur non potius dicendum est, quod pro *multis*, non quidem *aliqui*, sed *omnes* quoque in objectis locis intelligendi sunt, eoque magis, quia, ut advertit D. Augustinus, revera omnes homines multi sunt? Et sane, ut S. D. disserit l. 6. contr. Jul. c. 14., *etiam de Abraham, cui promissae fuerant omnes gentes illis verbis : In semine tuo benedicentur omnes gentes, dictum est alio loco : Patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideo sic locutam Scripturam, quia possunt esse utique omnia, quae non sunt multa ; sicut omnia dicimus Evangelia, et tamen brevi numero, idest quaternario, continentur. Et rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia ; sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt.*

R. 2.° dist. min.; quod nempe pro multis mortuus dicitur Christus, non pro omnibus, quantum ad efficacem ipsius meritorum applicationem, et assecutionem vitae aeternae ; licet quantum ad sufficientem eorumdem oblationem mortuus fuerit pro salute omnium.

Objic. 3.° Non semel quoque legitur in Scripturis, Christum mortuum esse pro electis dumtaxat; ut Jo. 10: *Animam meam pono pro ovibus meis* ; quibus similia habentur etiam Matth. 15., et ad Eph. 5. Non omnes autem sunt electi : Neque ergo pro omnibus mortuus est. Ac nonne etiam pro iis tantum mortuum esse, dicendum est, quos ipsi Deus Pater dederat ? Nemo autem ex iis, quos ipsi dedit Pater, ipse perdidit (Jo. 18.); hique

sunt praedestinati : Pro his ergo tantum dicendus est mortuus. Nonne etiam pro iis tantum Christum mortuum esse, dicendum est, pro quibus oravit? Oravit autem pro solis praedestinatis, ait enim, ut legitur Jo. 17. *Non pro Mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi.* Immo nec nisi pro iis orare poterat, noverat enim, reprobos in aeternum ignem mittendos, pro quibus idcirco noverat, quod nonnisi inaniter orasset; nec sapientis est inanem orationem fundere: Cum ergo pro iis tantum mortuum esse, dicendum sit, pro quibus oravit; cumque nec oraverit, nec orare potuerit, nisi pro solis praedestinatis, pro his quoque solis, non pro omnibus mortuum esse, consequens est.

R. dist. maj.; quod nempe, ut diximus, pro solis praedestinatis legitur mortuus quantum ad efficacem ipsius meritorum applicationem, et assecutionem vitae aeternae, licet quantum ad sufficientem eorumdem oblationem mortuus fuerit pro salute omnium: secus namque Scripturae sibi contradicerent, cum simul dicant, mortuum esse pro peccatis totius mundi, dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus, etc. Ex iis vero, quos ipsi dedit Pater, ipse quidem neminem perdidit, quia pro omnibus sanguinem suum fudit; sed ex iis etiam aliquos ob propriam malitiam periisse, ideoque per eos intelligendos tantum non esse praedestinatos, patet ex illis ipsius Christi verbis Jo. 17. *Quos dedisti mihi custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Demum, tametsi in illa oratione, quam post ultimam caenam fudit, pro solis Apostolis, seu praedestinatis, oraverit, negatur tamen, quod numquam oraverit pro aliis; habetur namque ibidem, quod et ait: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*, nec non, orasse, *ut Mundus credat, quia tu me misisti.* Nec facessit, quod noverat, reprobos in aeternum ignem mittendos, pro quibus idcirco noverat, quod nonnisi inaniter orasset: cum enim reprobatio sit effectus abusus, seu non usus gratiae, et haec concedatur, quia et Deus vult omnes homines salvos fieri, et Christus sui sanguinis pretio omnibus eam meruit; hinc prius concipienda est voluntas Dei, et mors Christi pro salute omnium, inde concipi potest reprobatio, ejusque praevisio, quia nempe quoquot fuerunt, sunt, eruntque reprobi, omnes reprobi facti sunt ob neglecta gratiae do-

na, quae Christus morte sua ipsis promeritus fuerat, et sua oratione impetraverat.

Objic. 4.° Triplex ratio explicandi Ap. textum *Deus vult omnes homines salvos fieri, etc.* ab Jansenio allata, de qua supra diximus, affertur a D. Aug. *in Enchir. c.* 103., *l. de praed. SS. c.* 8.; *et l. de corr.*, *et gr. c.* 14., *et* 15. Quaevis autem ex iis nihil commune habet cum Dei voluntate pro omnium, et singulorum salute: Non ergo recte ex citato Apostoli textu infertur, Deum velle omnes omnino homines salvos fieri.

R. neg. maj., loquitur enim S. D. in relatis locis de voluntate absoluta, et consequente, quae semper impletur, ut patet ex l. cit. de corr., et gr., ubi c. 14. *Volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium; sic enim velle, seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate; ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et in Enchir. l. cit., postquam tres allatas explicationes protulit, expresse tradit, sententiam Apostoli *alio modo posse intelligi, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri* (voluntate scilicet absoluta, et consequente), *factumque non esse.* Quod si id expresse tradit, nonne evidens, quod non excludit voluntatem antecedentem, qua Deus omnes homines vult salvos fieri? Quod et confirmatur tum ex aliis ejusdem textibus supra allatis, in quibus secus sibi contradiceret; tum ex eo quod praefatas explicationes profert ad eludendas dumtaxat Pelagianorum objectiones, et sic profert, ut permittat unicuique, ex illis, aliisque, quas adhuc posse afferri profitetur, eam eligere, quam voluerit, modo Pelagianum errorem declinet, et non adversetur Dei Omnipotentiae, cui Pelagiani derogabant, dicentes, ut supra innuimus, Deum, quantum ex se est, omnium quidem salutem velle, sed libero ipsorum arbitrio reliquisse eos salvos fieri, si quaererent nempe, si peterent, si pulsarent solis naturae viribus; nec posse, nisi positis naturae viribus id genus dispositionibus, illos salvare, quin personarum acceptor sit. Accedit, quod nullibi dicit S. D., testimonium Apostoli restringi debere ad solos praedestinatos, sed tantum posse restringi.

Objic. 5.° Non semel idem Aug. docet, nec Deum velle, nisi horum tantum salutem; nec Christum mortuum esse, nisi pro solis praedestinatis: ut l. 21. de Civ. Dei c. 24, ubi: *Omnium miseretur vasorum misericor-*

diae. Quid est omnium? Et eorum scilicet, quos ex Gentibus, et eorum, quos ex Judaeis praedestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit; non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus. Epist. vero ad Evodium: *Non perit* (inquit) *unus ex illis, pro quibus Christus mortuus est.* Ex eodem igitur Deus non vult salvos fieri, nisi tantum praedestinatos, nec, nisi pro his tantum, Christus mortuus est.

R. dist. ant.; Deum nempe ex eodem eorum tantum salutem velle voluntate absoluta, et consequente; ac pro iis tantum Christum mortuum esse quantum ad efficacem ipsius meritorum applicationem, et assecutionem vitae aeternae: dum simul Deus voluntate antecedente omnes omnino homines vult salvos fieri; et Christus quantum ad sufficientem ipsius meritorum applicationem, non pro iis tantum, sed pro salute omnium mortem oppetiit; secus namque S. Doctor sibi contradiceret, ut patet ex testimoniis, quae ex eodem inter probationes adduximus.

Objic. 6.° D. Th. 3. p. q. 21. a. 4. ad 2., ubi docet, *Dominum non orasse pro omnibus, qui erant credituri in eum, sed pro his solum, qui erant praedestinati, ut per ipsum vitam consequerentur aeternam.* Quid clarius, quam quod D. Thomas adversatur doctrinae, quam tradidimus?

R. neg. cons.; agit namque ibi S. D. de voluntate Dei absoluta, ut praesefert ipse titulus, seu conclusio: *Cum Christi voluntas absoluta Deo semper fuerit conformis, semper ejus oratio a Deo Patre fuit exaudita.* Ultro autem fassi sumus, voluntate absoluta nec Deum velle salvos fieri, nec Christum mortuum esse, nisi tantum pro praedestinatis.

Objic. 7.° Nec etiam voluntate conditionata censendum est, Deum velle omnium salutem, si conditionem ad salutem obtinendam necessariam implere posset, si vellet, nec tamen vult implere. Ita autem res se habet; posset enim omnibus gratias efficaces largiri, quibus infallibiliter consequerentur salutem, nec tamen omnibus eas largitur: Nec igitur voluntate conditionata vult omnium salutem. Sic si in potestate mercatoris esset motos maris fluctus componere, ac tempestatem sedare, et nihilominus in mare merces projiceret, evidentissime ostenderet, non fuisse in eo sinceram voluntatem merces servandi.

R. neg. cons.; quod enim omnibus non largiatur gratias efficaces, quibus infallibiliter salvarentur, ostendit tantum, non omnes velle salvos fieri voluntate absoluta, et efficaci. Cum tamen omnibus largiatur gratias vere sufficientes, quibus cooperando, gratias quoque uberiores sibi compararent, sufficienter quoque habetur, quod in eo requiritur ad veram voluntatem, ut omnes salvi fiant. Ad mercatoris vero similitudinem respondetur, quod voluntas mercatoris servandi merces tempestatis tempore non esset vera, si cum posset maris fluctus compescere, id negligeret, quia nempe negligeret medium ad illas servandas necessarium. At Deus largiendo auxilia vere sufficientia, hoc ipso, quin largiatur efficacia, jam tribuit media ad salutem necessaria. Patet ergo disparitas.

Objic. 8.° Idem dictu est, quod Deus voluntate antecedente vult omnium salutem, ac simul voluntate consequente omnium salutem non vult, quodque omnium salutem velit simul, ac non. Id autem contradictionem implicat: Neque igitur voluntate antecedente omnium salutem velle, est dicendum.

R. neg. min.; tunc enim habetur contradictio, cum idem affirmatur simul, et negatur de eodem, et sub eodem respectu. Porro duplex illa voluntas, quae in Deo distinguitur quoad hominum salutem, antecedens nempe, et consequens, versatur quidem circa idem objectum, sed sub diverso respectu: nam voluntas antecedens hominem salvandum considerat absolute, ac praecisis circumstantiis personalibus meriti, vel demeriti, consensus gratiae, vel dissensus; consequens vero, facta consideratione circumstantiarum personalium, eum considerat. In hoc autem nullam adesse contradictionem, cuivis consideranti fit perspicuum.

Objic. 9.° Voluntas antecedens, qua dicitur Deus velle omnes homines salvos fieri, abstractione facta ab eorum circumstantiis personalibus, ad ipsos quoque Daemones, et damnatos posset extendi; non enim hos in barathrum detrusit, nisi ob personalia peccata. Falsum autem, Deum voluntate antecedente Daemones, ac damnatorum salutem velle: Et falsum igitur, quod voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri.

R. neg. maj.; cum enim effectus voluntatis antecedentis sit locare rationales creaturas in via salutis, eisque communia gratiarum dona parare, ut valeant aeternam

sibi promereri beatitudinem, donec liberi arbitrii facultate ad bonum, vel malum uti possunt: nequit profecto ad hanc voluntatem pertinere quisquis constitutus in termino, nec merendi libertate amplius pollet, nec ulla interiori gratia excitatur. Ejusmodi autem sunt Daemones, caeterique cum iis jam in barathrum detrusi: Falsum proinde, quod voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, abstractione facta ab eorum peccatis personalibus, ad ipsos quoque Daemones, et damnatos possit extendi.

Objic. 10. Quomodonam dicendum; Deum velle salvos fieri eos, quibus nulla tribuit salutis media? Hujusmodi autem sunt parvuli absque baptismo decedentes: Hos ergo saltem Deum non velle salvos fieri, nec proinde omnes omnino homines, consequens est.

R. neg min., cum etiam pro iis baptismum instituerit, nec turbare teneatur ordinem caussarum secundarum, qui obstat, ne iisdem applicetur. Et sane, quod pro iis etiam Baptismum instituerit, notius est, quam ut probatione egeat. Quod vero turbare teneatur ordinem causarum secundarum, qui obstat, ne iisdem applicetur, quis dixerit? Quis nempe dixerit, ad procurandam hominum salutem miraculis quoque Deo esse utendum? Nonne adultorum salutem non vult, quia signis eos non salvat, nec eorum convertit cor, quemadmodum cor Apostoli convertit? Nec facessit, quod potuisset aliud systema eligere, juxta quod hujuscemodi parvuli ad Baptismi gratiam pervenissent; id enim tantum ostendit, quod non voluerit eorum salutem omni modo, quo poterat, non autem, quod vera, sincera, ac formali voluntate illorum salutem non voluerit; ut enim ait D. Aug. l. 4. cont. Jul. c. 8., *numquid homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines vult salvos fieri?* Hinc addit D. Th. in 4. dist. 6. qu. 1. art. 1. ad 1: *Dicendum, quod non est ex defectu Divinae Misericordiae, quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii, per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, a qua est remissio peccatorum; quia non possunt subjici operationi Ministrorum Ecclesiae, per quos talia remedia ministrantur.* Accedit, quod cum ejuscemodi parvuli salvari nequeant per seipsos, eorum saluti sufficienter Deum pro-

vidisse, dicendum est, si sufficienter providit, ut ad eos perveniret baptismus per parentes. Id autem sufficienter providit; ut enim scribit Vega, qui Tridentino interfuit, *hactenus valere apud Deum possunt parentum preces, et aliorum justorum, ut qui secundum cursum naturalem morituri erant sine baptismo, sive intra uterum matrum, exeant in lucem, et supervivant, quousque gratiam baptismi percipiant. Et in hunc finem religiosissimum esset admonere parentes, ut pro filiis adhuc in uteris maternis inclusis jugiter orent, et Sanctis, ac piis viris, amicisque spiritualibus idipsum obnixe commendent.* Praeiverat Auctor Operis, cui titulus *De Voc. Gent.*; sive is fuerit D. Prosper, sive D. Ambros., sive D. Leo, sive alius, lib. 2. c. 23, ubi: *Non irreligiose arbitror credi, nec irrationabiliter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiae partem, quae semper universis impensa est nationibus; qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Ac demum favet, D. Th. qu. 14. de verit. a. 11. ad. 1., et 3. p. q. 68. a. 11. ad 1.

Instant. In nostra sententia dum Deus vult, parvulis applicari baptismum, impeditur simul ejusmodi applicatio a causis naturalibus, quarum dispositio est quoque a Dei voluntate; et non quidem permissiva, sed positiva, et directa, nam omnia, quae in Mundo contingunt, peccato excepto, Deus ex dictis cap. 3, positive vult, et ordinat. Ut autem ait D. Prosper ad 4. object. Vincent., *insanum omnino est, et contra rationem dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri:* Sincera igitur voluntate eorum salutem non velle, dicendum est

R. dist. maj.; quod nempe causarum naturalium dispositio, ex qua sequitur, ut infans prius moriatur, quam possit illi applicari baptismus, est a Dei voluntate positiva, et directa, si spectetur secundum se simpliciter; non vero si spectetur, quatenus salutis impeditiva, sub quo respectu est tantum ex permissione Divina, cum aliud non ponat, nisi quod Deus, dum posset impedimentum illud tollere, non tollit, sed ordinat ad altiores fines suae Providentiae cognitos. Quo posito, videtur, quomodo Deus possit vera, ac sincera voluntate velle, parvulis applicari baptismum, et simul voluntate permissiva velle iis non applicari: quemadmodum dum vera, et sin-

cera voluntate vult, quod omnes ejus mandata observent, potest simul voluntate permissiva velle, quod ea innumeri transgrediantur.

CAP. V.

De voluntate Dei quoad praedestinationem justorum ad Coelestem gloriam; nec non de peccatorum addictione ad Inferos.

Coalescit praedestinationis nomen ex *prae*, et *destinatio*: quorum 1.m denotat antecessionem tum dignitatis, ubi in bonam partem sumatur; tum temporis, cum omnia tempora praecesserit: alterum vero usurpatur pro statuere, proponere, ac in animo decernere; ut 2. ad Cor. 9., ubi: *Unusquisque, prout destinavit in corde suo.* Licet autem frequentius in bonam partem, idest ad gratiam, et gloriam sumatur, nonnumquam tamen sumitur quoque in malam, pro addictione scilicet peccatorum ad Inferos; ut a D. Aug. tr. 48. in Jo, ubi: *Quomodo ergo istis dixit, non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinatos.* Quare Conc. Valentinum can. 3. *Fidenter fatemur praedestinationem impiorum ad mortem.*

Et 1.° in bonam partem sumpta, definitur cum D. Aug. l. de dono persev. c. 14. *Praescientia, et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*; ex quo sequitur, esse actum tum intellectus, tum voluntatis Dei: et contra eam errarunt 1.° quotquot ex veteribus vel fatalem ex siderum influxu necessitatem invexerunt, ut Astrologi, Manichaei, Priscillianistae; vel dixerunt unumquemque natura sua bonum, aut malum, salvandum, vel reprobandum nasci, ut Valentinus, Basilides, Marcio, et alii. 2.° Pelagiani, qui cum necessitatem gratiae ad opera salutaria, et ad salutem negarent, negarunt quoque, ut erat consequens, ipsam praedestinationem ad gratiam: unde etiam ante praevisionem futurorum operum bonorum, vel malorum, aliam in Deo voluntatem non admiserunt salvandi homines, quam indifferentem, et aequalem circa omnes absque ulla praedilectione erga electos; ajentes, per praedestinationem, quam D. Aug. ex Ecclesiae fide contra eos tuebatur, libertatem peri-

mi, virtutes tolli, hominesque in socordiam, vel desperationem induci, quippe quod judicati, non judicandi nascebantur. 3.° Semipelagiani, qui praedestinationem ad gratiam admiserunt quidem, sed non gratuitam, ajentes, ad illam Deum praedestinasse, quos noverat liberi arbitrii viribus ad camdem se dispositurcs per pium quemdam affectum, orationem, aliosve conatus mere naturales. Praescientiam quoque futuri consensus voluntatis sub conditione gratiae causam, et motivum dixerunt praedestinationis illius gratiae. Ac demum perseverantiam finalem negarunt esse donum Dei. Cumque, ut alibi diximus, premerentur exemplo infantium cum, vel absque baptismo decedentium, id petendum esse, ajebant, ex eorum meritis, vel demeritis, quae Deus futura praevidebat, si ad adultam pervenissent aetatem. 4.° Praedestinatiani, de quibus diximus sub initio cap. ant.; quorum haeresim prodiisse apud Monachos Adrumeti, Bizacenae Provinciae Metropolis, circa an. 424., iterumque eam renovasse in Galliis Lucidum Presbyterum circa an. 429., ac rursus sacc. 9. Gothescalcum Monachum, affirmant Sigebertus, Baronius, Spondanus, aliique plurimi: sed contradicunt Usserius, Norisius, Cabassutius, Natalis Alexander, Berti, aliique, ajentes, commentum id fuisse Semipelagianorum, qui cultores Augustinianae doctrinae odioso nomine Praedestinatianorum traducere solebant. Quidquid tamen sit de veteribus Praedestinatianis, tales profecto sunt nostris hisce saeculis Calviniani, ut diximus loco cit.; nec non Janseniani, quia et hi nullam in Deo agnoscentes voluntatem salvandi alios praeter electos, pro quibus solis, inquiunt, Christum mortem oppetiis se, nec ullam agnoscentes post Adae lapsum in hominibus libertatem sive ad bonum sub gratia, sive ad malum sub concupiscentia, implicite docent, ex sola Dei voluntate esse, quod alii ad vitam, alii ad mortem praedestinati fuerint.

Parum recte scripsit quoque de Praedestinatione Catharinus, distinguens inter praedestinatos, et salvandos; ita ut paucissimi sint praedestinati, ut Deipara, Prophetae, Apostoli, etc., alii vero longe plures salvandi quidem sint, sed non praedestinati. Scribit tamen Tournelius, quod quum docuit Catharinus, aliquos esse quidem salvandos, sed a Deo non praedestinatos, non sic

intelligendum est, quasi omnem ab iis, qui salvi fiunt, praedestinationem removendam, arbitratus fuerit, sed solum aliquos insigniter a Deo vocatos fuisse, et praedestinatos ante omnem meritorum praevisionem; alios nonnisi ex praevisis meritis, et absque ulla speciali erga eos Dei praedilectione, sed communi dumtaxat providentiae relictos.

Praefatis porro erroribus rejectis, estne praedestinatio dicenda, vel non ex praevisis meritis? Et 1.º in bonam partem sumpta, vel sermo fit de praedestinatione ad gratiam, vel de praedestinatione ad gloriam. Si 1.m, distinguenda est gratia in actualem, et habituatem, seu sanctificantem; meritum vero distinguendum est in illud *de congruo*, seu ex decentia, et illud *de condigno*, seu ex justitia, ut diximus in tract. de actibus hum. c. 3., qui consulatur: sub qua distinctione, si de gratia actuali agatur, praedestinatio ad illam, eamque primam, omnino gratuitam esse, fides docet. Si vero agatur de gratia habituali, praedestinatio ad hanc, eamque item primam, nec non ad gratias posteriores actuales efficaces, et ad donum perseverantiae, potest esse ex merito de congruo, non tamen de condigno: ad augumentum autem gratiae habitualis potest esse ex merito de condigno. Haec de praedestinatione ad gratiam.

Praedestinatio vero ad gloriam dupliciter quoque spectari potest; *in intentione*, scilicet, pro qua intelligitur *absoluta Dei voluntas salvandi aliquos prae aliis per auxilia efficacia*: et *in executione*, pro qua intelligitur *ipsa gloriae retributio ob praecedentia merita*. Eaque item in intentione spectari potest vel *adaequate*, pro qua intelligitur *praeparatio gloriae, et gratiae simul*; vel *inadaequate*, pro qua intelligitur *praeparatio tantum gloriae*. Sub qua etiam distinctione, nemini dubium, quod praedestinatio ad gloriam adaequate sumpta, omnino etiam est gratuita, et ante omnem meritorum praevisionem: nam 1.º cum praedestinatio ad gratiam sit omnino grutuita, ut ex fide diximus, et infra ostendemus, hinc praedestinatio adaequate sumpta, ut nempe est ad gratiam simul, et ad gloriam, omnino etiam gratuita haberi debet. 2.º quia cum nullum, nisi ex gratia, haberi possit meritum supernaturale, hinc sicut gratia praecedit omne me-

ritum, et est ordine anterior quovis merito, ita dicendum, quod praedestinatio adaequate sumpta omne etiam meritum praecedit, et quovis merito anterior habenda est. Inadaequate tamen sumpta, ut nempe est ad solam gloriam, nemini quoque dubium, nulli prorsus quoad executionem Deum destinasse gloriam, nisi ex meritis; de fide enim est, neminem reipsa coronandum, nisi praevisis, ac praesuppositis ex gratia meritis. Quoad intentionem vero, nemini etiam dubium, quod intentione, seu voluntate inefficaci omnibus Deus voluerit gloriam; ut enim diximus cap. ant., est de fide theologica, quod Deus voluntate hac inefficaci, et generali omnes, et singulos homines vult salvos fieri. Hinc tamen, indeque disputatur, citra fidei discrimen, an intentione, seu voluntate absoluta, et efficaci prius, non quidem prioritate temporis, sed prioritate naturae, ac rationis, statuerit dare gratiam, quam gloriam, vel prius gloriam, quam gratiam?

Hactenus de praedestinatione in bonam partem sumpta. Sumpta vero in malam partem, seu pro reprobatione, distinguitur haec in negativam, pro qua intelligitur *non electio ad gloriam*; et positivam, pro qua intelligitur *addictio ad Inferos juxta peccatorum rationem*. Ac 1.° omnes communiter Theologi docent, estque de fide, quod reprobatio positiva nonnisi ex praevisis demeritis dicenda est. Quoad negativam vero, qui ex iis docent, praedestinationem ad gloriam inadaequate sumptam esse ex praevisis meritis, per gratiam acquisitis, nullam agnoscunt reprobationem negativam, seu exclusionem a gloria, nisi ex praevisis demeritis, seu peccatis, vel actualibus, vel originali, si hoc per baptismum dimissum non fuerit. Qui vero ex TT. docent, praedestinationem ad gloriam, inadaequate sumptam ante omnem meritorum praevisionem dicendam esse, negativam, quae inde sequitur, reprobationem, aeque ac positivam, dicere debent positivum Divinae voluntatis actum, tum quia si esset mera negatio praedestinationis; omnes non praedestinati, ideoque etiam homines mere possibiles, qui numquam existent, dici possent negative reprobati; tum quia sicut nobilis quidam intendens convivium parare ex tot determinate civibus, hoc ipso caeteros omnes positive excluderet e convivio, ita et Deus intendens tot determinate homines ad Regnum Coeleste

admittere, hoc ipso omnes caeteros ab eo positive exclusisset. An tamen reprobatio hujusmodi negativa fuerit ex sola Dei voluntate, vel ex praevisis demeritis, inter se disputant: quibusdam ajentibus, eam fuisse ante praevisum quodcumque peccatum, sive actuale, sive originale, ex sola Dei voluntate, cum enim gloria sit beneficium indebitum, hoc ipso poterat citra omne demeritum negari: aliis de ea loquentibus perinde ac de reprobatione positiva, ajentibus nempe, eam quoque fuisse ex praevisis demeritis, seu actualibus peccatis, cum nequeat reprobatio negativa citra omne demeritum cum vera, et sincera Dei voluntate omnes salvos fieri ullatenus conciliari.

Qui demum sint tam praedestinationis, quam reprobationis effectus, paucis juxta institutionum rationem prosequemur. Sit itaque

Prop. 1. Inter Dei arcana datur quoque praedestinatio justorum ad Coelestem gloriam, nec non addictio peccatorum ad Inferos. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis, ubi de electis legitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum* (*Matth.* 25.) Et ad Rom 8. *Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Et ad Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti .. praedestinavit nos.. secundum propositum voluntatis suae.* Et 2. ad Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc; cognovit Dominus, qui sunt ejus.* De reprobis vero dicitur Matth. 7. *Numquam novi vos; discedite a me.* Et ep. Judae v. 4., quod sunt *praescripti in judicium, et damnationem.* 2.° ex D. Aug., cujus innumera essent testimonia. Ac 3.° ex ratione, quia nempe Deus nihil operatur in tempore, quod ab aeterno non praeordinaverit faciendum; nec aliquid ab aeterno faciendum absolute praeordinavit, quod infallibiliter in tempore non operetur.

Diximus *inter Dei arcana*; nemo enim sine speciali revelatione certus de sua praedestinatione esse potest. Qua super re dicitur Eccl. 9. *Nemo scit, utrum odio, an amore sit dignus, sed omnia in futurum servantur incerta.* Et Ap. de se ajebat 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.* Accedit Trid. sess. 6. c. 9., quod scilicet nemo certus esse potest abs-

que speciali revelatione, quod post amissam gratiam, illam per Sacramenta denuo consecutus fuerit; *nam* (inquit) *sicut nemo pius de Dei Misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum' virtute, et efficacia timere debet, sic quilibet dum seipsum, suamque infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest.* Et c. 12. expresse ait, quod *nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certe statuat, se esse in numero pradestinatorum.* Et ibid. can, 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum, absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Utque nos paullo infra demonstrabimus, potest quidem homo illud promereri de congruo, numquam tamen de condigno illud promereri potest.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Ex doctrina praedestinationis istud sequitur dilemma: Vel sum praedestinatus, vel non. Si 1.m, salutem certissime consequar; ideoque, tametsi meis cupiditatibus indulgeam, non tamen mihi deerit finalis perseverantiae donum, quo salvus fiam. Si alterum, quidquid boni egero, tandem, me deserente gratia, aeternum peribo, soli enim praedestinati salvi esse possunt. Hoc autem dilemma libertatem perimit, virtutes tollit, hominesque in socordiam, vel desperationem inducit: Nulla ergo admittenda est praedestinatio.

R. neg. min.; vel enim agitur de praedestinatione ad gloriam tautum; vel ad hanc simul, et ad gratiam Si 1.m, nihil, posita, quam nos sequemur, praedestinatione ex praevisis gratiae meritis, dilemma illud facessit, quippe quod sicut praescientia Dei nec libertatem tollit, nec studium, ac sollicitudinem virtutum, quia res futuras supponit, non facit, ita nec praedestinatio ex praevisis gratiae meritis; cum enim haec supponat merita per gratiam comparata, hinc ideo praedestinatus quispiam esse potest, quia praevisus est ea futurus, quae necessaria sunt ad gloriam consequendam; quae proinde si sollicite; et perseveranter non fecerit, haud dubio e numero praedestinatorum non erit. Posita vero praedestinatione

ad gloriam omnino gratuita, et independenti a praevisis gratiae meritis, propositum quidem dilemna non ita facile, et ad plenam animorum pacem dissolvi poterit: satis tamen esse debet, quod, licet Deus juxta hanc sententiam gratis homines elegerit ad gloriam, quia tamen adultis eam non vult tribuere, nisi tamquam mercedem, et coronam justitiae, ab omnibus proinde allaborandum est, et satagendum, *ut per bona opera* (quemadmodum D. Petrus monet ep. 2. c. 1.) *certum suam vocationem, et electionem faciant.* Quod si agatur de praedestinatione ad gratiam, neque etiam illud dilemma facessit, posita sententia, quam sectati sumus tract. ant. cap. 2. prop. V. de gratiae efficacia in actu secundo ex voluntatis consensu; juxta quam respondetur, Deum paratum semper esse ad dandam gratiam; ac eum, qui talem non accepit, cum qua immediate operatur bonum, non idcirco a culpa excusari posse, quia saltem orando poterat uberiorem impetrare, quemadmodum saepe inculcat D. Aug., ut l. de corr. et gr. c. 2., ubi: *Quando non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent, accipiant . . O homo, in praeceptione cognosce, quid debeas habere; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere.* Et l. de dono persev. c. 22. *Vos etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere: atque hoc faciendo confidere, non vos esse a praedestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur.* Demum cum quisquis Divinam Legem transgreditur, quo magis eam transgreditur, eo magis suarum transgressionum poenas daturus sit, quis inde etiam non videt, quod per dogma praedestinationis nemo ad socordiam inducitur? Cumque item sit arcanum occultissimum, neque etiam ad desperationem; ac praesertim SS. exemplum sibi praestituens Dei gloriam in quacumque hypothesi pro viribus procurandi.

Objic. 2.° quod ait Moyses Ex. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo.* Et David Ps. 68. *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Et Ap. 1. ad Cor. 9. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et Angelus Apoc. 3. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

Et D. Petrus ep. 2. c. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis.* Ac demum quod Ecclesia precatur in Secret. Missarum Dom. Quadr., *ut fidelium nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat:* et quotidie, *ut in electorum suorum jubeat nos grege numerari.* Praedestinatio autem, quam defendimus, certa, et immobilis esset, utpote absolutum Dei Decretum: Figmentum igitur.

R. neg. cons.; nam quoad 1.m, Moyses vel suam tantum vitam temporalem in gratiam, et salutem populi devovere paratum esse, illis verbis expressit; prout sentit D. Hieron ad Algas., et cum eo D. Greg. M. l. 10. Moral.: vel, ut alii sentiunt, quos inter D. Chrysost. in c. 9. ad Rom., et D. Bern. serm. 12. in Cant., heroica caritate incensus, Deo se paratum exhibuit, ut ipse excideret a gloria, et in Infernum detruderetur (si id absque praevio peccato suo, ac ulla in posterum Dei offensa fuisset possibile), modo salvaretur populus; quia major fuisset Dei gloria in totius Nationis, quam in unius hominis salute. Quo etiam sensu, et motivo optavit D. Paulus, ut ait ad Rom. 9., pro Judaeis fieri anathema a Christo. Quasi dixisset, ut scribit Cornelius Alapide praefatae interpretationi adhaerens: *Malo, ut gloria tua a toto populo celebretur, quam a me solo. Malo, ut tot millia praesentium, et futurorum ex eis gignendorum te colant, laudent, ament, quam ego solus per te sim felix. Malo totum populum salvari, et beari, quam me solum. Unde S. Chrysostomus in c. 9. ad Rom. docet, Mosen, et Paulum transcendisse cogitatione non tantum omnes praesentis vitae agones, et mortes, sed etiam pro Deo, quem magis, quam seipsos diligebant, Coelos, et Angelos supergredientes, omnia invisibilia sprevisse, ac pro Dei amore ab ipsa Dei fruitione, beatitudine, et ineffabili gloria excidere non tantum petiisse, sed revera, et serio optasse .... Hinc patet, quam gloria Dei nostris commodis, ipsique beatitudini nostrae anteferenda sit; quamque peccatum quodvis lethale ipsi e diametro repugnans, magis detestandum sit, quam privatio beatitudinis, aut ipse etiam ignis infernalis. Rursum, quanti facienda, et procuranda sit animarum salus.* Ita ergo quoad 1.m

Quoad 2.m vero, David praenuntiavit tantum imminentem damnationis poenam, nisi resipiscerent, iis, qui Prophetas

persequebantur. Quoad 3.m, Ap. timebat, an esset, necne praedestinatus. Quoad 4.m, monet Angelus Philadelphiae Episcopum, ut cum timore suam operetur salutem. Quoad 5.m, id unum D. Petrus innuit, quod praedestinatio, quae certa est ex parte Dei, nobis certa esse nequit, nisi ex bonis operibus. Quoad 6 m demum in orationibus Ecclesiae sumitur praedestinatio vel prout a nobis agnoscitur per bona opera, et rectam vivendi rationem; vel inadaequate secundnm aliquos tantum effectus, quales sunt vocatio, justificatio, devotionis fervor, etc. Hac porro ratione iis explicatis, quae in objectione allata sunt, nihil prorsus vel certitudinem, vel immobilitatem praedestinationis impetunt: nec aliam significationem illis tribuendam esse, tum quae diximus et ubi de Dei immutabilitate, et ubi de praedestinationis doctrina egimus, tum Sacrorum Doctorum auctoritas, tum demum ipsa verborum proprietas ostendunt.

Objic. 3.° quod ait Ap. ad Rom. 8. *Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes*: quodque ait D. Jo. ep. 1. c. 5. *Haec scribo vobis, ut sciatis; quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei*: ac demum quod dixit Christus Marc. 11. *Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis*. Quisque autem certo scire potest, se credere in Christum, et orare, ut salvus fiat: Ergo et certo scire potest, aeternam salutem se consecuturum; ex quo sequitur, quod praedestinatio Dei saltem arcanis accensenda non est, utpote quae ex parte etiam nostrum certa esse potest.

R. neg. cons.; in allatis namque, aliisque similibus Scripturae locis spes tantum nostra, ac fiducia erigitur, non vero perfecta salutis securitas, ac de ea absoluta certitudo tribuitur. Nec prorsus certi esse possumus, impetraturos nos esse quidquid a Deo postulamus; nam, ut ait Ap. loco cit. ad Rom., *quid oremus, sicut oportet, nescimus*.

Prop. II. Tamquam Catharini figmentum habendum est duplex salvandorum ordo, quorum alii ante praevisa merita fuerint insigniter praedestinati, alii ex praevisis meritis praedestinati, et communi tantum providentiae relicti.

Prob. 1.° ex Scripturis, ubi unus tantum legitur ordo praedestinatorum; de quibus proinde dicendum, quod

una omnes, eademque ratione, licet nec ad aequales gratias, nec ad aequalem gloriae gradum, fuerint ab aeterno praedestinati. Ac 2.° ex eo quod praedestinatis specialia, et infallibilia salutis assequendae media conferri, ob specialem Dei erga illos praedilectionem, tum ex allatis prop. ant., tum ex aliis Scripturae textibus, de quibus infra opportunius, negari ullo pacto non potest.

Prop. III. Praedestinatio ad primam gratiam actualem dicenda est omnino gratuita. Ad gratiam habitualem vero, eamque primam, sicut etiam ad primam gratiam efficacem, qua vel creditur in Christum, vel gratia habitualis, seu sanctificans acquiritur, nequit esse ex merito de condigno; potest tamen esse ex merito de congruo, et aliquando etiam absque ullo prorsus merito. Ad posteriores gratias efficaces, et ad donum finalis perseverantiae nequit quoque esse ex merito de condigno, sed tantum esse potest ex merito de congruo; immo et praedestinatio ad donum finalis perseverantiae potest quandoque esse absque ullo prorsus merito. Ad augmentum demum gratiae habitualis potest esse ex merito de condigno. Quoad gratias posteriores efficaces propositio est theologice certa, in caeteris vero est de fide.

Prob. 1.ª pars. Et 1.° ex Scripturis; ut Jo. 6 *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et ibid. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Accedit Ap. ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Et ibid. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Et 1. ad Cor 4. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quo testimonio maxime se convictum fuisse, testatur D. Aug. *l. de praed. SS, c.* 3.; si enim omnis ad primam gratiam dispositio non esset ex gratia, sed ex aliqua saltem inchoata, et remota voluntatis dispositione, homo seipsum discernere posset. Et 2. ad Cor. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ad Eph. 2. *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus.* Demum 2. ad Tim. 1. *Nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta; non secundum*

opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia. Quae omnia praedestinationem ad primam gratiam actualem omnino gratuitam esse, evidenter ostendunt.

2.° ex Concilio Arausicano II., cujus canones, ut fidei dogmata continentes, confirmavit Bonifacius II, et tota Ecclesia recepit. In iis autem, et signanter can. 6. diris tradidit eum, *qui sine gratia Dei conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, etc. nobis Misericordiam dicat conferri*. Et can. 22. declaravit, quod *nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum*, in ordine scilicet ad salutem; significans, quod in ordine ad salutem nemo absque gratia quidquam potest, nisi demereri.

3.° ex PP., quorum innumera essent testimonia, quare D. Aug. Juliano ajebat l. 1. contra ipsum c. 4. *Non est, cur provoces ad Orientis Antistites, quia et ipsi utique Christiani sunt; et utriusque partis fides ista una est, quia et fides ista Christiana est.*

4.° ex ratione; quia ante primam gratiam actualem nihil est, nisi simplex natura. Haec autem sibi relicta nullatenus potest gratiam supernaturalem mereri, alias gratia non amplius foret gratia, et omnia Semipelagianorum principia valerent.

Prob. 2. pars. Et 1.° quoad gratiam habitualem, ad quam nequit esse praedestinatio ex merito de condigno; ait enim Ap. ad Rom. 3., *nos justificari gratis per gratiam*. Et Trid. sess. 6. c. 8. definit, *nihil eorum, quae justificationem praecedunt, justificationis gratiam promereri*. Quibus accedit, quod meritum de condigno requirit, ut homo sit justus, ut enim ait Christus Jo. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*; per gratiam scilicet sanctificantem, de qua dicitur 2. Petri c. 1., quod *per eam efficimur Divinae consortes naturae*; et 2. Jo. c. 2. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. Nemo autem justus est ante primam gratiam habitualem, seu sanctificantem: Cum igitur principium meriti non cadat sub meritum, prima gratia sanctificans, quae ad meritum de condigno requiritur, sub idem meritum cadere nequit.

Potest tamen praedestinatio ad eam esse ex merito de congruo; ait enim D. Aug. ep. 105. *Sed nec ipsa*

remissio peccatorum (quae cum prima gratia habituali necessario conjuncta est) *sine aliquo merito est*, *si fides hanc impetrat* ; *neque enim nullum est fidei meritum.* Cui accedit, quod potest peccator gratia actuali adjutus se excitare ad actum perfectae contritionis eliciendum ; cujus generis actus de congruo meretur primam gratiam habitualem hoc ipso, quod ad eam ultima est, et certa dispositio ; quaevis enim dispositio, praesertim ultima, seu proxima, ad aliquid congruentiam habere debet cum eo, ad quod disponit.

Idem autem locum habere quoad primam gratiam efficacem, qua vel creditur in Christum vel gratia habitualis, seu sanctificans acquiritur, ostendendum modo est. Et 1.° quod nulla ad eam esse possit praedestinatio ex merito de condigno, patet ex ratione allata, quod meritum de condigno supponit, ut homo sit justus. Nemo autem est justus, sive antequam in Christum credat, sive antequam acquirat gratiam sanctificantem, eaque ambo sunt per aliquam gratiam efficacem : Praedestinatio igitur ad primam gratiam efficacem, qua vel creditur in Christum, vel gratia habitualis, seu sanctificans acquiritur, nequit esse ex merito de condiguo.

Potest tamen esse ex merito de congruo, et aliquando etiam absque ullo prorsus merito ; nam quoad gratiam efficacem, qua in Christum creditur, patet ex facto, quo Cornelius Centurio in Christum credidit, ut legitur Actuum 10., nec non ex facto Lydiae purpurariae, *cujus Deus aperuit cor*, *ut intenderet iis*, *quae dicebantur a Paulo*, ut legitur ibidem c. 16. Tam Cornelius autem, quam Lydia non sine aliqua fide, ideoque non sine gratia orabant, bonisque operibus se exercebant, ex quo prodiit, quod Angelus introierit ad Cornelium, eique dixerit : *Orationes tuae*, *et eleemosinae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, ut cit. Actuum loco legitur ; quodque Lydia cum coleret Deum, ejus *Deus aperuit cor intendere his*, *quae dicebantur a Paulo* ; in quibus verbis nemo non agnoscit meritum quoddam de congruo ad fidem in Christum : Praedestinatio igitur ad primam gratiam efficacem, qua in Christum creditur, utique esse potest ex merito de congruo.

Quod et diximus de praedestinatione ad primam gratiam efficacem, qua gratia habitualis, seu sanctificans

acquiritur; et eam namque esse posse ex merito de congruo, patet ex supra relatis D. Aug. verbis, quod *remissio peccatorum* (quae cum prima gratia habituali necessario conjuncta est) *non sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat, neque enim nullum est fidei meritum.* Obtinetur autem remissio peccatorum per gratiam efficacem: Et haec igitur, qua ad illam pervenitur, non sine aliquo merito est.

Addidimus vero, quod praedestinatio ad primam gratiam efficacem, tamque illam, qua in Christum creditur, quam illam, qua gratia habitualis, seu sanctificans acquiritur, potest etiam aliquando esse absque ullo prorsus merito: id enim et docet Apostolus ad Rom. 10., laudans quoque illic Dei verba apud Jsaiam: *Inventus sum a non quaerentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant*; et luculentissime ostendunt tum Matthaei a telonio, ubi pecuniis inhiabat, ad Christi fidem, et Apostolatum assumptio; tum salus Zachaeo Publicanorum Principi, ac toti ejus domui a Christo data apud Lucam c. 19.; tum admirabilis Sauli conversio, dum, ut refertur Actuum 9., spirans minarum, et caedis in discipulos Domini, Damascum petebat, ut per epistolas a Sacerdotum Principe acceptas vinctos eos duceret in Jerusalem; de quo idcirco ait D. Aug. l. de gr., et lib. arb. c. 6., quod *non solum sine ullis meritis bonis, sed etiam cum multis meritis malis gratiam Dei consecutus fuit*; tum S. Mariae Ægyptiacae, S. Margaritae Cortonensis, aliorumque perditissimorum morum ad poenitentiam simul, et sanctitatem subita, ac stabilis transitio. Quod et demum evidenter comprobant infantes a parentibus vel fidelibus, vel infidelibus nati, quibus per baptismum et fidei habitus infunditur, et gratia sanctificans confertur sine ullo merito.

Prob. 3.ª pars, et 1.° quoad posteriores gratias efficaces, quod nempe ad eas praedestinatio nequit quoquoque esse ex merito de condiguo. En autem ratio; nam eo ipso, quo justus unum semel auxilium efficax de condigno posset mereri, jam vi talis meriti constitui posset in statu, in quo non esset amplius peccaturus, sed in bono infallibiliter perseveraturus; semel enim supposito in eo quodam actu meritorio alicujus gratiae efficacis ad non peccandum in prima occasione occurrente, jam certo obtineret gratiam illam efficacem, et primam oc-

currentem tentationem debellaret. Per illam autem victoriam posset quoquè mereri alteram gratiam efficacem pro victoria alterius tentationis primo occurrentis, et sic deinceps per totum vitae cursum: Ex merito igitur de condigno primi auxilii efficacis jam vi talis meriti constitui posset in statu, in quo non esset amplius peccaturus, sed in bono infallibiliter perseveraturus. Id autem dici nequit, tum quia, ut modo ostendemus, donum finalis perseverantiae nemo potest de condigno mereri: tum quia nullum id in Divinis promissionibus fundamentum habet; tum demum quia unusquisque actus meritorius justi suum habet proportionatum, et condignum praemium in augumento gratiae, et gloriae, ad quam intrinsecam, et naturalem dicit habitudinem; novum vero auxilium efficax ad subsequentem actum esset novum beneficium omnino distinctum, et extrinsecum respectu actus praecedentis, quare et esset ultra condignum ejus praemium: Praedestinatio igitur ad posteriores gratias efficaces esse nequit ex merito de condigno.

Bene tamen esse potest ex merito de congruo, quod probatur 1.° ex Ecclesiae precibus: *Fac nos tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas.* Id autem obtinetur per gratias efficaces: Has ergo orando, atque hinc de congruo promereri possumus. 2.° ex D. Aug. verbis supra relatis.

Idem vero dicendum esse de finalis perseverantiae dono, quo nempe ab hac ad sempiternam vitam in statu gratiae transitur, paullo fusius pertractandum est. Et quidem 1.° duplex est cum D. Aug. distinguenda perseverantia finalis, passiva scilicet, et activa. Per primam intelligitur *transitus ab hac ad sempiternam vitam in statu gratiae sanctificantis.* Per alteram vero *continuatio in statu gratiae sanctificantis usque in finem.* Quo posito, ubi agatur de perseverantia hoc secundo sensu accepta, ipsamet quoque Dei donum est; de qua proinde ait D. Aug. l. De corrept., et gr. c. 6. n. 10. *Negare non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem magnum esse Dei munus; nec esse, nisi ab illo, de quo scriptum est: Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Et l. de dono persev. c. 1. *Nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam*

pertinere, *ut homo non recedat ab eo*. . *ac per hoc sicut operatur*, *ut accedamus*, *sic operatur*, *ne discedamus* : *ait enim Jer*. 32. *v*. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum*, *ut a me non recedant*. Ad quod demum in Ps. 126. refert quoque illa verba : *Nisi Dominus custodierit civitatem*, *frustra vigilat*, *qui custodit eam*. Quibus accedit et ratio; dum enim in tam multis offendimus omnes, ac tam frequentes sunt prolapsiones, et negligentiae nostrae, nonne pro speciali Dei beneficio haberi debet, quod, his non obstantibus, gratiam conferre dignetur, per quam perseverare in bono usque in finem valeamus?

Dum tamen Dei donum est, penes hominem quoque est Dei gratia adjutum taliter perseverare: unde idem S. Doctor subdit loco cit. c. 7. n. 11. *Homo*, *in eo*, *quod audieras*, *et tenueras*, *in eo perseverares*, *si velles*. Quod et probatur, 1.° ut advertit D. Chrysost., ex illis Christi verbis Matth. 10. *Qui autem perseveraverit usque in finem*, *hic salvus erit*: quibus profecto verbis, ait S. Doctor, voluit nos Christus hortari ad rem, quae penes nos ejus gratia adjutos fuisset, eique salus, tamquam merces, ac praemium fuisset reddita. 2.° ex eo quod cum *Deus* (ut ait Trid. sess. 6. cap. 11.) *sua gratia semel justificatos non deserat nisi prius ab eis deseratur*, ideoque, numquam homini justo desit gratia, qua Dei mandata observare possit; penes illum proinde Dei gratia adjutum dicendum quoque est, quod Dei mandata usque in finem observet, et salvus fiat; in quantum scilicet dum gratia operatur, et ipse potest, ac debet cooperari. Hinc ubi agatur de perseverantia secundo sensu accepta, seu quae activa dicitur, est quidem ipsa Dei donum, sed simul penes hominem Dei gratia adjutum, eique sedulo cooperantem.

At ubi agatur de perseverantia primo sensu accepta, seu quae dicitur passiva, adeo Dei donum est, ut homo illam nec umquam promereri de condigno, nec nisi a sola Dei Bonitate, ac liberalitate expectare possit. Et sane quod nemo illam promereri possit de condigno, probatur 1.° ex Scripturis; ut ex cap. 4. Sap., ubi singulari Dei Bonitati, ac Misericordiae adscribitur, quod hominem ex hac vita tunc rapiat, quum justus est, *ne* (si diutius viveret) *malitia mutaret intellectum ejus*, *aut fictio deciperet animam illius*. Item ex c. 6, Matth., ubi

omnibus, nemine excepto, Christus praecepit, ut a Deo usque in finem petant: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Si autem usque in finem omnibus, nemine excepto, praecipitur a Deo petere, ne inducantur in tentationem, sed liberentur a malo, nemo umquam dicendum est, quod promeritus fuerit de condigno perseverantiae donum, utpote quod cum semel quis promeritus esset de condigno, numquam amplius a justitia posset excidere? Nemo igitur illud de condigno promereri potest. Item ex ep. 1. ad Cor. c. 9., ubi Apostolus, *castigo* (inquit) *corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Si autem perseverantiae donum, de quo loquimur, mereri quis posset de condigno, quisnam magis, quam Apostolus, poterat sibi promittere, quod illud promeritus fuisset, quo metum, ne reprobus efficeretur, abjiceret? Item ex eo, quod idem hortatur ep. ad Phil. c. 2. *Cum metu* (inquiens), *et tremore salutem vestram operamini.* Si autem omnibus, quantumvis justis, ac perfectis, praecipitur, quod cum metu, et tremore salutem suam operentur, nemo plane, quantumvis justus, et perfectus, promittere sibi potest in hac mortali vita, quod finalem perseverantiam promeritus fuerit; quam proinde neminem posse de condigno mereri, consequens est. Demum ex verbis immediate sequentibus: *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Si autem et initium salutis, idest velle, et ejus perfectio, seu persaeverantia, per quam salus est in termino, non meritis, sed soli Dei voluntati; ac beneplacito tribuuntur, quis non videt, quod tam initium salutis, quam ejus terminum, idest transitum ab hac ad immortalem vitam in statu gratiae sanctificantis, nemo potest de condigno mereri?

2.° Ex Tridentino; sess. enim 6. can. 32. ea, quae de condigno mereri possunt, enumerans, nedum perseverantiae non meminit, sed dum affirmat, justum *bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt; vere mereri augumentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae consecutionem*, advertit simul, *si tamen in gratia decesserit.* Quorsum autem haec verba, nisi ut intelligamus; quod utique justus bonis operibus vi-

tam aeternam vere, seu de condiguo, meretur, non ita tamen, quod in gratiæ decedat?

3.° Ex D. Aug. l. de corrept. et gratia c. 8. *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter, et pie viverent, non tunc de vitae hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum. . . Utrum hoc in potestate non habuit; an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum, nisi perversissime, atque insanissime dicitur. . . Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse, ut finiat homo istam vitam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant; ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundum Scripturas. . fateantur nobiscum, et cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.* Et l. de dono persev. c. 9. *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Si autem perseverantia, de qua loquimur, cadere posset sub merito de condigno, praesto discriminis ratio fuisset, quod nempe alii promeriti illam fuerant, alii non: Nemo ergo illam potest de condigno mereri.

Addit quoque S. D. eodem l. de dono persev. c. 12. *An res humanas in parvulis non Divina providentia, sed fortuitis agi casibus, opinabimur? . . quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in Coelis est? Aut parentum negligentiae sic tribuendum est, quod parvuli sine baptismate moriuntur, ut nihil ibi agant superna judicia? . . Quid dicam, quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, exspirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, et Ministris paratis, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum paullulum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Et c. 13. ab infantibus absque baptismo decedentibus ad adultos regeneratos sermonem transferens, *alios* (advertit) *perseverantes usque in finem hinc exire, alios quousque decidant, hic teneri, qui utique non decidissent, si antequam laberentur, hinc exissent; et rursus quosdam lapsos, quousque redeant, non exire de hac vita, qui utique perirent, si antequam redirent, exirent.* Quae cum nemo vocare in dubium possit, *satis dilucide* (concludit S. D.) *ostenditur, et inchoandi, et usque in fi-*

nem perseverandi gratiam non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem. Quae omnia perseverantiam, quae passiva dicitur, magnum, ac singulare esse Dei donum, quod numquam de condigno homo vel meretur, vel mereri potest, ostendunt.

4.° Demum ratione, eaque duplici; 1.° enim si ob casus, ac negligentias, quibus Deo non raro displicemus, pro speciali ejus beneficio haberi debet, ut supra diximus, quod, iis non obstantibus, gratiam largiri dignetur, per quam perseverare in bono usque in finem valeamus: quanto magis pro speciali ejus beneficio est habendum; quod, iisdem non obstantibus, ex hac vita nos rapiat, atque ad immortalem transferat in statu gratiae sanctificantis, quo nos consortes ejus Regni efficiat? 2.° quia ad meritum de condigno requiritur, ut diximus in tr. de act. hum. c. 3., ut actui bono promiserit Deus id, quod per illum promereri quis velit. Nedum autem nullibi Scripturarum Deus promisit conferre donum perseverantiae per modum mercedis in compensationem cujuscumque operis boni, quin potius vetat, nos de ejusmodi dono esse umquam securos et ep. 1. ad Cor. loco cit., et ibid. c. 10, ubi: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*; et Apoc. 3., ubi: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Nec facessit, quod saepe promisit se orantibus daturum quidquid petierint; sub qua generali promissione continetur quoque perseverantiae donum; ut namque ex dictis colligitur, id non promisit, nisi per modum doni gratuiti, et ex liberalitate, non vero per modum mercedis, coronae, et ex justitia; ex quo sequitur, quod ut docet Suaresius t. 3. de gr. l. 12. c. 38, n. 16., justus, *qui oret perseveranter, petendo perseverantiam in gratia, infallibiliter quidem eam impetrabit*; non tamen ex justitia; cum aliud sit, quod instanter petendo perseverantiae donum infallibiliter illud obtinebimus, aliud, quod illud possimus ex justitia emereri, ut consideranti fit perspicuum. Quibus perpensis, dum evidenter patet, perseverantiam, quae passiva dicitur, adeo esse Dei donum, ut eam nemo emereri possit de condigno, patet simul, quod a sola Dei Bonitate, ac liberalitate expectari potest, ac posci; quodque idcirco praedestinatio ad eamdem ex merito de condigno esse nequit;

Bene tamen diximus, quod haec esse possit ex merito de congruo; 1.° enim ad id manifeste referuntur illa Christi verba Luc. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini stare ante Filium hominis.* 2.° espresse id docet D. Aug. l. de dono persev. c. 6., ubi: *Hoc itaque Dei donum suppliciter emereri potest.* Non autem de condigno ex probatis: ergo de congruo. 3.° demum quia illud instanter petenti nihil deest ex iis, quae loco cit. diximus requiri ad meritum de congruo. Ad quod etiam spectat, quod, ut docet D. Th. 2. 2. q. 83. art. 15., concurrentibus his quatuor conditionibus, ut scilicet aliquis petat *pro se*, *necessaria ad salutem*, *pie*, *ac perseveranter*, semper impetratur, quod petitur, in quo idcirco agnoscendum semper est meritum de congruo. Quodque demum possit quoque esse aliquando absque ullo prorsus merito, patet ex facto infantium, qui statim vita post perceptum baptismum decedunt.

Prob. tandem 4. pars, quod nempe praedestinatio ad augumentum gratiae habitualis utique esse potest ex merito de condigno; cum enim Christus ejus mandata observantibus gratiae augumentum promiserit illis verbis Jo. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*; quibus verbis, ait D. Aug. *tr.* 74. *in Jo.*, dum Spiritus Sanctus justis promittitur, augumentum ipsius gratiae promitti, intelligendum est; cum Christus, inquam, id promiserit, utique ad gratiae augumentum dari potest meritum de condigno. Hinc ait Apostolus ad Eph. c. 4. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus*: quodque Christus, ut addit scribens ad Coloss. c. 2., est, velut caput influens in totum Corpus Ecclesiae, vitam illi, et sensum impartiens *in augumentum Dei.* Idem quoque monet D. Petrus illis verbis ep. 1. c. 2. *In eo crescatis in salutem.* Et ep. 2. c. 3. inquiens: *Crescite vero in gratia.* Quod si ad gratiae augumentum dari potest meritum de condigno, utique etiam ad illud praedestinatio ex merito de condigno esse potest: Patet ergo propositum. Cui etiam accedit Trid. sess. 6. can. 32., ubi; *Si quis dixerit, justificatum bonis operibus, quae ab eo per gratiam J. C., cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augumentum gratiae, anathema sit.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° contra 1. partem illud Prov. 16. *Hominis est animam praeparare*. Et ibid. *Cor hominis disponit viam suam*. Et Zach. 1: *Convertimini ad me, et convertar ad vos*. Et Luc. 11. *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis*: Et ad Rom. 7. *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio*. Haec autem omnia significant, illis Deum gratiam suam conferre, quos novit liberi arbitrii viribus ad eam se dispositurοs per pium quemdam affectum, orationem, aliosve conatus: Non igitur praedestinatio ad primam gratiam est omnino gratuita.

R. neg. min.; relatis namque, aliisque similibus Scripturae testimoniis non aliud, nisi liberum commendatur arbitrium, quin simul Divinae gratiae praevenientis necessitas ad ipsum boni operis initium excludatur. Sive, quod idem est, iis proponuntur praemia volenti, petenti, facienti; sed ita, ut velit, petat, et faciat per gratiam, ut invicte probant alii Scripturae textus supra allati, et explicat D. Aug. l. 2. ad Bonif. c. 9. *Homo praeparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui sic tangit cor, ut homo praeparet cor, quia praeparatur voluntas a Domino*. Et Trid. sess. 6. c. 5. *In Sacris litteris cum dicitur, convertimini ad me, et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus, Converte nos, Domine, ad te, et convertemur, Dei nos gratia praeveniri, confitemur.*

Objic. 2.° Si Deus unum prae alio eligeret absque meritorum intuitu, esset personarum acceptor, hic enim dicitur, qui aequalibus (prout natura sunt omnes homines) inaequalia dispensat. Nefas autem dictu, quod Deus sit personarum acceptor: Pro meritorum ergo intuitu unum prae alio eligit; ex quo sequitur, quod praedestinatio saltem ad primam gratiam, non est omnino gratuita.

R. neg. sequ. maj, dicitur enim personarum acceptor, qui indigno, vel minus digno dat, quod digniori aliqua ratione debetur; non vero qui aequalibus inaequalia dispensat, ac simul nemini fraudat debitum. Porro Deus, nedum nulli hominum debet quodlibet donum supernaturale, ut enim ait Ap. ad Rom. 11., *quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Sed et omnes sumus quolibet

ejus dono supernaturali positive indigni ob peccatum primi parentis, in quo omnes peccavimus.

Objic. 3.° Neminem tritum illud latet: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Hinc autem sequitur, ad eam Deum praedestinasse, quos novit ad eamdem se disposituros liberi arbitrii usu: Si ergo ad eam praedestinavit, quos novit ad eamdem se disposituros per liberum arbitrium, falsum dicendum, quod praedestinatio ad primam gratiam actualem sit gratuita.

R. dist. maj.; quod nempe facienti, quod in se est, ex viribus gratiae, Deus non denegat gratiam actualem majorem; vel gratiam habitualem, si fecerit, quod in se est ex viribus gratiae proxime disponentis, et excitantis ad actus fidei, spei, et charitatis perfectae, vel imperfectae cum Sacramento; en quo sensu verum est allatum tritum: non vero sensu, quod facienti, quod in se est ex solis naturae viribus Deus non denegat gratiam, ut ex momentis in prop. allatis evidens est.

Objic. 4.° contra 2. et 3. partem. Qui potest de condigno mereri finem, potest quoque de condigno mereri media ad finem. Potest autem justus de condigno mereri vitam aeternam: Ergo et gratias efficaces, et perseverantiae donum; quare et praedestinatio ad illas, et ad istud esse potest ex merito de condigno.

R. neg. maj.; ad meritum enim de condigno requiritur, tamquam conditio necessaria, quod Deus promiserit actui bono id, quod per illum promereri quis velit; quae promissio adesse potest pro fine, prout adest pro vita aeterna, quam Deus, tamquam mercedem, promisit justis in bono perseverantibus; et deesse pro mediis, prout deest tam pro gratiis efficacibus, quam pro perseverantiae dono.

Objic. 5.° Qui de condigno meretur id, quod est excellentius, a fortiori potest mereri de condigno quod est minus excellens. Est autem vita aeterna tam gratiis efficacibus, quam perseverantia excellentior: Cum ergo justus de condigno mereatur vitam aeternam, a fortiori poterit quoque de condigno tam gratias efficaces, quam perseverantiae donum mereri.

R. neg. pariter maj., ob rationem supra allatam; quod nempe extat Dei promissio de conferenda vita aeterna mercedis titulo bonis justorum operibus; non vero de auxiliis efficacibus, vel perseverantiae dono.

Objic. 6.° Potest justus ex dictis mereri de condigno augumentum gratiae habitualis. Cum autem tam gratia habitualis prima, quam gratia actualis efficax aeque sint donum quoddam supernaturale, aeque etiam dicendum est, quod justus, prout potest de condigno mereri augumentum gratiae habitualis, aeque etiam mereri potest de condigno actualem gratiam efficacem; qua semel habita ad bonum opus agendum, eadem ratione per istud opus subsequens poterit mereri auxilium efficax ad aliud, et per istud aliud similiter, et sic deinceps: Patet igitur, quod et de condigno mereri potest tam gratias efficaces, quam perseverantiae donum; quare et praedestinatio ad illas, et ad istud esse potest ex merito de condigno.

R. neg. min., ob eamdem supra allatam rationem, quod de gratiae habitualis augumento extat Dei promissio pro observantibus ejus mandata; quae tamen nullibi extat de auxiliis efficacibus, et de perseverantiae dono.

Objic. 7.° contra 4, partem. Meritum de condigno exigit aequalitatem, et proportionem actus meritorii cum praemio. Nullam autem actus humani aequalitatem, ac proportionem habent cum augumento gratiae habitualis, *per quam efficimur* (ut D. Petrus ait). *Divinae consortes naturae*: Neque hoc igitur cadere potest sub meritum de condigno.

R. dist. min.; quod nempe actus humani aequalitatem, ac proportionem non habent cum augumento gratiae habitualis in se praecise spectati; non tamen quatenus informantur ipsa gratia habituali, per quam justus jam effectus est Divinae consors naturae, et sunt ex motione Spiritus Sancti.

Objic. 8.° Nemo potest de condigno mereri per id, quod gratis a creditore accepit. Hujusmodi autem sunt bona opera, nam et gratis a Deo conceduntur, et omnia pluribus titulis ipsi sunt debita: Neque igitur per ea potest justus mereri gratiae augumentum.

R. dist. maj.; quod nempe nemo potest de condigno mereri per id, quod gratis a creditore accepit, merito scilicet de condigno ad rigorem, cujus condignitas, et valor in nulla creditoris gratia fundatur, utique tamen merito de condigno simpliciter, quod dicit aequalitatem operis cum praemio, tametsi operis valor, et dignitas nitatur gratia remunerantis.

Objic. 9.° Inter Deum, et hominem nulla interce-

dit justitia : ergo nec meritum de condigno intercedere potest.

R. dist. ant. ; quod nempe nulla intercedit justitia perfecta , absoluta , et ad rigorem sumpta , tum quia omne meritum nostrum fundatur in gratia , tum quia omnia nostra Dei sunt , eaque sibi vindicare potest vi titulorum Creatoris , Conservatoris, Domini, etc. ; utique tamen vera , et propria justitia intercedere potest , praesupposita ipsius Dei ordinatione , et promissione , hac enim praesupposita , verum est , ac proprie dictum meritum inter Deum , et hominem , et quidem nedum ex fidelitate , sed etiam ex justitia , ut docet D. Th. 1. 2. *q.* 114. *a.* 1. 2. *et* 3. , et declarant illa Ap. verba 2. ad Tim. 4.: *In reliquo reposita est mihi corona justitiae , quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.*

Prop. IV. Praedestinatio ad gloriam inadaequate sumpta dicenda est ex praevisis meritis. Ita verisimilius *cum Theologis* (ut scribit Tournelius) *numero forte majoribus* ; quos inter ita praeclarissimus Dionysius Petavius.

Prob. Et 1.° ex Scripturis ; ita enim 1.° Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei , possidete paratum vobis Regnum: Esurivi enim , et dedistis mihi manducare ; sitivi, etc.* . Quo in loco advertendum est , quod verbum *paratum* intelligendum est nedum *in executione*, verum etiam *in intentione* ; immediate enim subditur , *Discedite a me maledicti in ignem aeternum , qui paratus est Diabolo , et Angelis ejus* , ubi idem verbum *qui paratus est* an non cogimur, ut illud et in executione, et in intentione intelligamus? Quibus similia habet Ap. 1. ad Cor. 2. , ubi : *Oculus non vidit , nec auris audivit, quae praeparavit Deus his, qui diligunt illum.* Idem autem dictu est , quod Regnum Coelorum paratum , seu ab aeterno destinatum electis fuerit ob praevisa Misericordiae opera , quibus se exercuere , id namque particula causalis *enim* litteraliter significat , ac illis praeparatum, qui Deum diligunt , quodque praedestinatio ad gloriam inadaequate sumpta dicenda sit ex praevisis meritis : Ergo. . Reponit quidem Laurentius Berti, Evangelica verba *Esurivi etc.* referri debere ad possessionem , non vero ad praeparationem gloriae ; idque , ait , constare ex subsequentibus verbis : *Discedite a me in ignem aeter-*

num, *qui paratus est Diabolo*, *et Angelis ejus. Esurivi enim*, *et non dedistis mihi manducare*; *sitivi*, *etc.*; quo in loco causalis *enim* refertur ad verba *Discedite in ignem aeternum*, non ad alia *qui paratus est Diabolo*, *et Angelis ejus*, non enim Diabolo paratus fuit infernalis ignis, eo quod homines facturi non essent opera Misericordiae. Sed ludit operam: nam referri debere nedum ad possessionem, sed et ad praeparationem gloriae, manifeste patet tum ex relatis Apostoli verbis: *Oculus non vidit*, *etc.*; tum ex ipsis verbis subsequentibus: *Discedite a me etc.*; ut enim supra disseruimus, sicut ex his infertur, reprobos praedestinatos fuisse in ignem aeternum ob praevisa demerita, ita ex antecedentibus inferri debet, electos praedestinatos fuisse ad gloriam ob praevisa merita.

2.° ex illis omnibus Scripturae locis, ubi gloria dicitur *merces*, *praemium*, *retributio*. Repugnat autem in terminis, aliquem velle alteri efficaciter dare mercedem, praemium, retributionem, nisi pro labore, et meritis, ac aliter, quam laboris, et meriti ratione habita: nec aliud est praedestinatio ad gloriam ex parte Dei, ac in ejus, ut Scholae loquuntur, intentione, nisi efficax voluntas electis suis dandi gloriam: Non igitur praedestinatio in ipsa Dei intentione, nisi pro meritis, ac meritorum ratione habita; quod idem dictu est, ac ex praevisis meritis.

3.° Regnum Coelorum simile dicitur Matth. 20. *homini Patrifamilias*, *qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*; *et conventione cum iis facta ex denario diurno*, *misit eos in vineam suam*. Porro denarius diurnus nonnisi laborantibus et confertur, et praedestinatur: Et Regnum Coelorum ergo nedum nonnisi laborantibus confertur, verum etiam nonnisi laborantibus praedestinatum dicendum est. Et sane quamvis operans prius intendat mercedem, quam opus, is tamen, qui operarium conducit, prius natura spectat opus ejus, quam mercedem. Ergo et Deus, qui nos in vineam suam, velut operarios, conducit, prius respexit opera nostra, quam mercedem nobis constituit.

4.° Suffragatur Ap. ad Rom. 8., ubi: *Quos praescivit*, *et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Porro an non inania, ac superflua essent verba *quos praescivit*, nisi hic esset totius propositionis sen-

sus, quod quos praescivit conformes futuros gratiae suae auxiliis Filio suo, hos et praedestinavit gloriae ejusdem Filii sui futuros consortes?

Quibus accedit quod idem ait ep. ad Phil. c. 2. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini.* Quibus similia habet quoque Apostolorum Princeps ep. 2. c. 1., ubi omnes illis verbis hortatur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis.* Quid autem satagendum, quidque timendum, si independenter a quavis meritorum praevisione sua cuique sors destinata ab aeterno fuit? Accedit etiam quod legitur ep. 2. ad Tim. c. 2. *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem.* Per vasa autem in honorem significantur praedestinati: Non igitur, nisi ab emundatione vitae, eorum praedestinatio. Ac demum, ne longiores simus, illud Apoc. c. 3. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Amitti autem non posset, si independenter a praevisis meritis dicatur efficaciter destinata: Non igitur destinata, nisi ex praevisis meritis.

Prob. 2.° ex PP. . Utque exordiamur a D. Aug., cujus praecipue in hac quaestione auctoritas magni ab omnibus aestimatur, advertendum 1.°, quod omnia, quae ex adverso proferuntur ejus testimonia, apte exponi possunt de praedestinatione adaequate sumpta, ac secundum omnes ejus effectus, inter quos est ipsamet gloria, seu vita aeterna: quodque utrum inter effectus illos aliquis sit ordo prioritatis, et causalitatis; et utrum intentio absoluta, et efficax gloriae sit causa beneficiorum gratiae, quibus electi donantur in tempore, numquam S. Doctor versandum suscepit, utpote ipsi extraneum in concertatione, quam habebat cum Pelagianis, et Semipelagianis, unice semper in ea intentus, ut ostenderet, vocationem secundum Dei propositum, quibus verbis universos complectebatur praedestinationis effectus, plene gratuitam esse; ipsamque praedestinationem ad gloriam taliter quoque, idest gratuitam, esse dicendam hoc sensu, quod ejus radix, et origo, est gratia, quae omnino est gratuita. En autem ejus verba, ne gratis id asserere dicamur, l. de gr., et lib. arb. c. 8., ubi: *Si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia, sine dubio et vita nostra aeterna, quae bonae vitae redditur, Dei gratia est, ipsa enim gratis da-*

tur, *quia gratis data est*, *cui datur. Sed illa*, *cui datur*, *tantummodo est gratia*; *haec autem*, *quae illi datur*, *quoniam praemium ejus est*, *gratia est pro gratia.* Et ep. 194. c. 5. *Cum Deus coronat merita nostra*, *nihil aliud coronat*, *quam munera sua. . unde et ipsa vita aeterna etiam ipsa gratia nuncupatur*, *non ob aliud*, *nisi quia gratis datur*; *nec ideo*, *quia non meritis datur*, *sed quia data sunt et ipsa merita*, *quibus datur*. Et l. de corr. et gr. c. 7. *Quoniam secundum propositum vocati sunt*, *profecto et electi sunt per electionem*, *ut dictum est*, *gratiae*, *non praecedentium meritorum suorum.* At quo sensu? *Quia gratia illis est omne meritum.*

Advertendum 2.° , quod numquam S. Doctor disputans contra Pelagianos, et Semipelagianos quaestionem egit, prout agitur in Scholis, utrum praedestinatio ad gloriam inadaequate, seu praecise sumpta, dicenda sit ante, vel post praevisionem meritorum; idque patet ex ejus verbis l. de dono persev. c. 19., ubi: *Hoc scio*, *neminem contra istam praedestinationem*, *quam secundum Scripturas Sanctas defendimus*, *nisi errando*, *disputare potuisse.* Quaestio autem, utrum praedestinatio ad gloriam dicenda sit ante, vel post praevisionem meritorum, libere in utramque partem absque ullo fidei discrimine in Scholis agitur: De ea igitur numquam adversus illos disputando quaestionem egit. Quod et confirmatur ex l. de gr. et lib. arb. c. 6., ubi: *Si merita nostra sic intelligerent*, *ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent*, *non esset reprobanda ista sententia. Quoniam vero merita humana sic praedicant*, *ut ea ex semetipso habere hominem dicant*, *respondet Apostolus*: *Quis te discernit*, *etc.* Nemo autem ex Catholicis, qui praedestinationem ad gloriam factam inquiunt ex praevisione meritorum, de aliis meritis umquam loquitur, nisi per gratiam acquisitis: Neque ergo eorum sententiam D. Aug. umquam carpit; immo reprobandam non esse, expresse asseruit.

Quibus praemissis, neque etiam deest, ubi S. Doctor, data sermonis opportunitate, praedestinationem ad gloriam inadaequate, ac praecise sumptam docet esse ex praevisis gratiae meritis; libro enim de dono persev. c. 22., Semipelagianis, qui illi objecerant, quod si praedestinatio nullatenus inniteretur meritis naturalibus,

populis praedicari posset : *Si qui obeditis , si praedestinati estis rejiciendi , subtrahentur obediendi vires , ut obedire cessetis* ; respondet S. Doctor , liberum hominis arbitrium non minus ex praedestinatione laedi , quam ex praescientia : *Illo modo (inquiens) , quo id dicendum putant , eadem sententia , eisdemque pene verbis etiam de praescientia Dei pronuntiari potest*: *Si qui obeditis , si praesciti estis rejiciendi , obedire cessabitis.* Ratio autem , cur praescientia nullam in humanis invehit necessitatem , est , ut alibi diximus , et ex se patet , quia res supponit , non efficit : Cum ergo S. Doctor aeque dicat , a praedestinatione ad gloriam nullam hominibus necessitatem invehi , impliciter ait , quod etiam praedestinatio ad gloriam hominem gratiae cooperantem supponit , non efficit ; ideoque praedestinationem ad gloriam ex praevisis gratiae meritis esse. Quod et l. 1. ad Simplicianum qu. 2. quibusnam clarioribus , verbis poterat exprimere ? Ita enim ibi S. Doctor : *Quomodo est justa qualiscumque electio , ubi nulla distantia est ? Non itaque. . electio praecedit justificationem , sed electionem justificatio ; nemo enim eligitur , nisi jam distans ab eo , qui rejicitur.* Quanam autem ratione distans , nisi meritorum ratione ? Quibus proinde verbis nihil clarius. Nec certum est , quod ab Adversariis reponitur , juniorem scilicet haec scripsisse Augustinum ; nam et Episcopus tunc erat, nec ullibi ostendi potest retractasse quae docuit in his ad Simplicianum quaestionibus , quas immo et valde commendat , et ad eas Pelagianos , Semipelagianosque remittit *l. de praed. SS. c.* 4. , et *l. de dono persev. c.* 20. . . Super quo Augustini testimonio advertatur item , quod justificatio in hac mortali vita communis est praedestinatis, et reprobis , siquidem multi etiam ex reprobis in hac mortali vita justificantur , ac filii Dei adoptivi efficiuntur : ex quo sequitur , quod praedestinati , et reprobi , nedum in tempore , verum etiam in aeterno Dei consilio possunt esse pares quoad justificationem. Quod cum ita sit , quaenam dicenda est causa , cur alii nihilominus praedestinati fuerint ad vitam , alii addicti fuerint ad mortem , nisi quia alii praevisi fuerunt bene , alii male operaturi post justificationem ? Quemadmodum ergo malorum operum praevisio rebrobatione , ita bonorum operum praevisio electione , seu praedestinatione ad gloriam

prior dicenda est. Haec quoad D. Aug., qui in quaestionem vocatur.

Quod enim reliqui DD. stent pro nostra sententia fere omnes, nequit in quaestionem vocari. Ita sane D. Ambr. l. 5. de fide c. 6., ubi in illa Ap. verba: *Quos praescivit, et praedestinavit; Non enim* (inquit) *ante praedestinavit, quam praesciret, sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit.* Ita D. Hier. ep. ad Hedib. c. 10. *Non salvat Deus irrationabiliter, sed causis praecedentibus. Non eliguntur Gentes, sed hominum voluntates.* Ita D. Hilarius in Ps. 64. *Non res indiscreti judicii electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est.* Ita D. Prosper ad XII. Object. Vincent. *Quia praesciti sunt casuri, non sunt praedestinati; essent autem praedestinati, si essent reversuri.* Addit in ep. ad D. Aug. n. 8. *Quaesumus, insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus* (ut videlatur, quamquam falso), *pene omnium par invenitur, et una sententia, qua propositum, et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, et sub ipso gratiae adjutorio, in qua futurus esset voluntate, et actione, praescierit.* Ex quibus patet, eo teste, omnes fere veteres numquam agnovisse aliam praedestinationem ad gloriam, quam ex praevisis gratiae meritis; non enim D. Prosper loqui poterat de praedestinatione ad gratiam, quam nemo veterum agnoverat ex praevisis meritis, cum haec ante gratiam neque etiam de congruo haberi possint. Quod vero in propria loqueretur sententia, non jam in sententia Semipelagianorum, ut Adversarii regerunt, aperte ejus verba innuunt: *Quaesumus, insipientiam nostram ferendo, demonstres.* Ait nempe *nostram*, non *alienam.*

Omittendus quoque non est D. Th. . Ita ergo S. D. in ep. ad Rom. c. 8. lect. 6 *Circa ordinem praescientiae, et praedestinationis, dicunt quidam, quod praescientia meritorum bonorum, et malorum est ratio praedestinationis, et reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus praedestinet, quos praescivit eos bene operaturos. Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum gloriam; sed*

sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno divinitus praeparatum. Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur; cujus praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud, quam ponere gratiam dari ex meritis nostris Distinguit nempe S. D. praedestinationem adaequatam ab inadaequata, quae est tantum ad gloriam: et hanc ex praevisis gratiae meritis fuisse, rationabiliter dici posse, docet. Et 1. p. q. 32. a. 5. *Nihil prohibet, aliquem effectum praedestinationis esse causam, et rationem alterius. . Sicut si dicamus, quod Deus praeordinavit, se daturum alicui gloriam ex meritis.*

Quibus demum addimus epistolam D. Francisci Salesii ad Lessium, quam PP. Societatis Antuerpiae servabant theca inclusam argentea: *Sententia illa antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissima, de Praedestinatione ad gloriam post praevisa merita, sane mihi gratissima fuit, qui nimirum eam semper, ut Dei Misericordiae, ac gratiae magis consentaneam, veriorem, ac amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in libello de Amore Dei indicavi.* Respondet Laur. Berti, suppositam dicendam esse Salesii epistolam, vel in eam mendum irrepsisse. Sed 1.° quanti id genus responsio facienda sit, caecus est, qui non videt. 2.° Salesium non aliter existimasse, patet ex *l.* 3. *de Amore Dei c.* 5., ubi id expresse docet, et probat ex verbis Ecclesiae, quibus Deum orat, *misereri omnium, quos suos fide; et opere futuros esse praenoscit*; nec non et ordinem statuit inter Decreta Dei quoad praedestinationem, quod nempe *voluit Deus ab aeterno vero, et sincero voluntatis affectu, etiam post praevisum Adae peccatum, ut omnes homines salvarentur, qui auxiliis, et gratiis, quas ipsis ad hunc finem praepararet, offerret, et conferret, consensum praeberent. Quos vero eas acceptaturos praevidit, et internis poenitentiae motibus assensuros, charitatis donum tribuere, auxilia ad perseverandum necessaria conferre, et demum iis, qui auxiliis illis fideliter cooperarentur, ipsam finalem perseverantiam, ac tandem beatam aeterni amoris gloriam largiri, decrevit.*

Prob. 3.° rationibus theologicis. Et 1.° cum nulla sit salus extra gloriam, idem proinde dictu est, quod

voluntate antecedente vult Deus omnes omnino homines salvos fieri, ut cap. ant. ostendimus, quodque voluntate antecedente vult omnes omnino homines gloriam consequi; quam idcirco voluntate antecedente omnibus homino hominibus paraverit, quin aliquem eadem voluntate antecedente ex illa excluserit. Et sane, ut disserit Honoratus Tournely tom. 1. qu. 23. art. 2. concl. 5., *quomodonam sincero affectu potest Deus velle salutem eorum, quos ex se noluit numero electorum comprehendere? Quomodonam potest concipi voluntas salvandi, supposito peccato originali, stare cum voluntate reprobandi a gloria propter hoc ipsum originale peccatum? Videntur haec duo secum invicem pugnare.* Ex praedestinatione autem ad ad gloriam ante praevisa merita evidenter sequeretur, Deum voluntate antecedente quosdam assumpsisse ad gloriam, quosdam vero eadem voluntate antecedente exclusisse a gloria, quos enim non assumpsisset ad gloriam, hoc ipso eos a gloria exclusisset: Vel igitur Deus voluntate antecedente non vult omnes omnino homines salvos fieri, contra id, quod cap. ant. ostendimus; vel dicendum, quod praedestinatio ad gloriam non est ante praevisa merita, sed ex iis praevisis.

Argumentum istud ita quoque affert laud. Tourn. t. 1. q. 22. a. 2. concl. 6. *Supposita nonnullorum efficaci, et absoluta praedestinatione ad gloriam ante merita, qui non sunt ita praedestinati, negative saltem sunt rejecti, et reprobati. At quomodo cohaerere potest, et conciliari reprobatio illa negativa nonnullorum cum voluntate vera, et sincera illos salvandi? Namque ejusmodi derelictis, et negative reprobatis vel Deus auxilia gratiae sufficientia ad salutem largitur, vel non. Si prius, ad quid quaeso illa auxilia gratiae pro assequenda salute, a qua jam exclusi sunt, et ad quam pervenire nequaquam possunt? Si posterius, cujus commodi, et utilitatis ipsis erit haec Dei sterilis, et otiosa voluntas?*

2.° Quia posita praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita, quomodonam poterit satis responderi ad illud dilemma, in quod necessario inciditur: *Vel sum praedestinatus, vel reprobatus. Si praedestinatus, salvabor, quidquid fecero. Si reprobatus, damnabor, quidquid fecero?* Cum enim (dicet quisquam) praedestinatio sit infallibilis simul, et immutabilis, fue-

ritque item ante omnem meritorum praevisionem, profecto, si sum praedestinatus ad gloriam, securus esse possum, me perventurum ad gloriam, tametsi perditissime vivam. At si Deo non placuit ad gloriam me praedestinare, quid mihi profuturum est, quod bene vivam? Eadem autem ratiocinatio locum non habet, in nostra sententia; nam licet aeque profiteamur, praedestinationem, et reprobationem infallibilem esse, et immutabilem, at simul dicimus, praedestinationem ad gloriam inadaequate, ac praecise sumptam, nec non reprobationem tam positivam, quam negativam ab eadem, petendam esse ex praescientia, qua Deus infallibiliter novit, quid nos libere facturi essemus: Huic ergo adhaerendum.

3.° Cum Deus sit immutabilis, hinc eo ipso modo, quo aliquid in tempore exequitur, eodem quoque illud ab aeterno destinasse, dicendum est. In tempore autem nobis non tribuit gloriam, nisi ob merita: Ergo et ob merita eam nobis ab aeterno destinasse, consequens est. Utque idem diversimode dicamus, eodem modo, dicendum est, Deum ab aeterno decrevisse dare gloriam Beatis, quo illam iis dat in tempore. In tempore autem dat gloriam ob merita: Et ob merita igitur eam dare ab aeterno decrevit. Quod ut alio etiam modo dicamus, contradictionem implicat, Deum velle gratis dare gloriam, et tamen eam non dare gratis. Si autem praedestinatio ad gloriam fuisset omnino gratuita, etiam scilicet inadaequate, et praecise sumpta, sequeretur inde, Deum voluisse gratis dare gloriam, et simul eam dare non gratis: Non igitur omnino gratuita, sed ex praevisis gratiae meritis: *Nonne pugnat* (ita praeclare laud. Tourn. l. c.), *rem eamdem simul, et eodem instanti rationis et ex pura gratia, et ex justitia destinari? Cum igitur certum sit, Deum velle adultis dare gloriam, tamquam mercedem, ac praemium meritorum, non potest simul velle illam dare gratis, alioquin Deus decerneret, quod non exequeretur; aut exequeretur, quod ab aeterno non decrevisset; atque aliud in executione, seu opere praestaret, aliud vero in intentione, seu praedestinatione decerneret: quae certe invicem pugnare videntur.* Quod et hoc illustrari potest exemplo. Sic posito, quod Titius efficaciter voluerit Cajo praedium dare ex sola sua liberalitate; si illud postea reapse dat Cajo nullo meritorum intuitu, in hac

quidem hypothesi illud ei ex mera liberalitate dat. Si tamen postea illud ei non dat, nisi ex meritis, an non agit contra prius decretum, juxta quod efficaciter decreverat praedium illi dare nullo meritorum intuitu, idemque postea illi non dat, nisi propter merita?

4. Cum praedestinatio ad gloriam complectatur praedestinationem ad gratias efficaces, hinc si gratiae efficacia proxime, et in actu secundo a voluntatis consensu agnoscenda est, nec esse potest, nisi qnid consequens liberum ipsius voluntatis consensum, an non etiam ipsa praedestinatio ad gloriam dicenda est quid consequens praevisionem consensus voluntatis efficacibus illis gratiae auxiliis? Gratiae autem efficacia proxime, et in actu secundo a voluntatis consensu agnoscenda est, nec esse potest, nisi quid consequens liberum ipsius voluntatis consensum; quemadmodum tract. ant. cap. 2. prop. 6. ostendimus: Et consequens ergo liberum voluntatis consensum auxiliis gratiae ipsa ad gloriam praedestinatio dicenda est.

4. Audiamus demum Petavium, quem *gravissimum, clarissimumque Theologum* ipse Laur. Berti appellat. Ita enim l. 10. Theol. c. 1., ubi 1.° ex gratuita praedestinatione ad gratiam consequens non esse, quod idem dicendum sit de praedestinatione ad gloriam, advertit., inquiens « *Minime sequitur: Ex solo Dei proposito homines eliguntur ad gratiam: ergo et gratis praedestinantur ad gloriam. Quemadmodnm non sequitur: Judas electus est ad Apostolatum: igitur est etiam praedestinatus ad Regnum*. Deinde pergit, quod, quum scribit *Apostolus ad Eph.* 1. Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti, *de sola electione intelligendus est, quam ipse declarat, dicens*, ut essemus Sancti: *Quod et facit in c.* 8. *ad Rom.*, *scribens*: Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui; *quae verba de sola electione ad fidem prolata, frustra pro absoluto decreto, quo et gratia, et gloria nectuntur, solent obtendi.* Et sane, ut ad id comprobandum subdit, *electionem refert ad incomprehensibilia judicia Dei ad Rom.* 11. *Electio autem ad gloriam non spectat ad incomprehensibilia judicia Dei, in Scripturis enim Deus patefecit, quod pro eo, ac quisque gessit in corpore, recepturus est in judicio. Igitur de electione ad fidem, et ad Christi notitiam intelligendus est S. Paulus, nam hujus electionis causa nemini comperta est.* Demum uni-

versae viae Domini sunt, ut habetur in Ps. 24, misericordia, et veritas. *Porro ubi de Misericordia agitur, non est locus inquisitioni meritorum, nec repetuntur rationes; quod ex Sacris litteris accepimus pertinere ad vocationem, et gratiam. Sed vicissim Scipturae ipsae nos docent, gloriam meritis Sanctorum ex justitia deberi. Id nos admonet Paulus 2. ad Cor. 9, et 2. ad Tim. 4. Id Parabolae Patrisfamilias conducentis operarios in vineam, et illius, qui peregre abiturus, pecuniam servis distribuit. Id forma Judicii a Matthaeo c. 25. descripta, et alia fere innumera*. Hactenus Petavius.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Si ex proposito dandi gloriam Deus electis gratiae suae beneficia largitur, dicenda profecto erit praedestinatio ad gloriam meritorum praevisione anterior. Ex proposito autem dandi gloriam Deum electis gratiae suae beneficia largiri, patet ex c. 10. Jo.; ubi: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea*. Et Ap. ad Eph. 5. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus Sancti*. Et ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit*. Et Act. 13. *Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam*. Dicenda igitur praedestinatio ad gloriam meritorum praevisione anterior.

R. neg. min.; dicimus namque ad 1.m, quod licet gratia fidei iis in tempore concedatur, qui sunt aeterno Dei consilio ad eam praedestinati, hinc tamen non sequitur, eos ante meritorum praevisionem esse praedestinatos ad gloriam. immo potius contrarium erui potest; si enim qui credunt, ideo crederent, quia essent gratis praedestinati ad gloriam, qui e contrario non credunt, ideo non crederent, quia negative saltem essent reprobati, vi cujus reprobationis ante praevisam eorum malam voluntatem in infidelitate sua usque in finem permanerent:

quod quis Catholicorum dicet ? Negat proinde Cornelius a Lapide, rectam praefatorum verborum interpretationem esse: *Vos non creditis, quia non estis praedestinati;* quia, ut disserit, *haec causa non est propria, nec adaequata. Non propria, quia reprobatio Dei non est causa, sed potius effectus infidelitatis, et peccati. Non enim quia Deus reprobaverat Judaeos, ideo ipsi erant infideles, et peccabant; sed quia ipsi volebant esse infideles, et peccare, ideo fuere a Deo reprobati. Non adaequata, quia multi ex Judaeis erant praedestinati, qui tamen tunc non credebant in Christum, sed postea, praedicante Petro, et Apostolis, in eum crediderunt. Rursum nonnulli tunc credebant in Christum, qui tamen non erant praedestinati, quia postea vel a fide, vel a charitate per peccatum exciderunt, uti excidit Judas, Nicolaus Antiochenus, et alii.* Rectior potius eorum sensus est, quod sicut, qui credunt, Christi ovile ingrediuntur, quod est Ecclesia, ejusque oves fiunt, ita qui non credunt, ad ejus ovile non pertinent, atque ex ejus ovibus dici nequeunt, quarum est ejus vocem audire, ab eo agnosci, et fideliter eum sequi. Quod cum sit praedestinationis causa, quotquot idcirco ejus oves sunt, vitam aeternam consequentur, et non peribunt in aeternum; *si nimirum* (ut pergit laud. Alapide) *ejus oves maneant, ac in fide, et obedientia ejus persistant.* Nec quisquam de ejus manu eos rapiet, quia, ut idem interpretatur, *gratia tam potens est, et valida, ut si ei cooperari usque ad finem vitae velint, nemo eos potest a Christo abripere; sed si ipsi libere eum relinquunt, non est hic raptus, sed liber eorum abitus, apostasia, discessus. Ita Cyrillus, Leont., Theophyl., Maldonatus. Vult enim dicere Christus, nullam esse tantam vim, quae fideles a se abstrahere, et abripere possit; esto ipsorum libertatis sit posse a Christo abire, eumque deserere* (In. c. 10. Jo.).

Ad 2.m, de electione ad gratiam ibi Apostolum loqui, patet 1.º ex ejus verbis: *Ut essemus Sancti:* ac 2.º quia nedum ignorabat, quinam essent electi ad gloriam, sed et de seipso id ignorans, ajebat 1. ad Cor. 9. *Castigo corpus meum .. . ne reprobus efficiar.* Quomodo igitur, si locutus fuisset de electione ad gloriam, dicere potuisset, et quidem de omnibus *Ephesi fidelibus in Christo Jesu*, quibus scribebat: *Elegit nos?*

Ad 3.m, illic quoque Apostolum loqui de praedestinatione ad gratiam fidei, et sanctificationis, cujus terminus est aeterna glorificatio in Coelis. Cui accedit, quod eo loci effectus quidem praedestinationis enumerat, non tamen inter illos ordinem causalitatis assignat; ita ut propositum dandae gloriae causa sit vocationis, justificationis, etc. Hoc unum proinde ex ejus verbis inferri potest, quod aeternum Dei propositum concedendi vocationem ad fidem, suamque gratiam sanctificantem causa est, cur utrumque in tempore conferat; sicut propositum dandi gloriam causa est, cur eam in tempore largiatur. Nec omittendum, relatum Ap. locum nobis potius favere, ut inter probationes diximus, ob verba: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri etc.*

Ad 4.m, eo loci Actuum per vitam aeternam intelligendam esse ipsam fidem in Jesum Christum, juxta illud ipsius Christi apud Jo. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti J. C.*; sensumque esse, eos omnes in tempore credidisse, qui ad credendum ab aeterno erant praeordinati. Et sane si praedestinatio ad gloriam esset causa vocationis ad fidem, sequeretur ex hoc 1.° , nullos, nisi praedestinatos, fidem habere, omnesque, et quoscumque fidem habentes esse praedestinatos, quod repugnat Scripturis, et Trid. *sess.* 6. *can.* 9.: ac 2.° eos, qui praeordinati, seu praedestinati non sunt ad gloriam, numquam credere, aut fidem habere; quod aeque est falsum.

Objic. 2.° pleraque alia Scripturarum testimonia; quibus multo plura adduntur ex D. Aug. Et 1.° ex Scripturis illud Jo. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et ad Eph. 1. *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratie suae.* Et ad Tit. 3. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Et ad Rom. 9, ubi Apostolus, allato Jacob, et Esau exemplo, ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem*

meam. Ergo cujus vult, miseretur; et quem vult, indurat. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quibus Scripturae testimoniis multo plura (diximus) adduntur ex D. Aug., ut l. de praed. SS. c. 18., ubi S. D. in Ap. verba: *Elegit nos ante Mundi constitutionem, ut essemus Sancti*, ita ait: *Non ergo, quia futuri eramus, sed ut essemus . . ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, praedestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Et l. de corr. et gr. c. 7. *Quicumque ab illa originali damnatione ista Divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium, quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et cum audiunt, credunt, et in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; et si quando exorbitant, correpti emendantur, et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt. . Haec enim omnia operatur in eis, qui vasa Misericordiae operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem Mundi per electionem gratiae.* Et c. 9. *Qui Evangelium non audierunt, vel qui, eo audito, in melius commutati perseverantiam non acceperunt. . non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Et l. de gr., et lib. arb. c. 9. *Cum posset dicere Apostolus, et recte dicere: Stipendium autem justitiae vita aeterna; maluit dicere: Gratia autem Dei vita aeterna; ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.* Ex his porro, aliisque similibus tum Scripturae, tum D. Aug. testimoniis, quae omnia exscribere longum esset, evidenter confici, Adversarii inquiunt, quod praedestinatio ad gloriam omnino gratuita dicenda sit.

R. neg. cons.; omnibus enim et relatis, et similibus tum Scripturae, tum D. Aug. testimoniis plene satisfit hoc uno, quod loquuntur vel de praedestinatione ad gratiam; vel de praedestinatione adaequate sumpta secundum omnes suos effectus; vel de praedestinatione ad gloriam, quatenus ejus radix, et origo est gratia, ad quam cum gratis praedestinemur, utique

etiam praedestinatio ad gloriam, quae nonnisi meritis gratia comparatis innititur, ad litterae rigorem sub tali respectu dicitur, ac revera est gratuita, quid enim clarius, quam, quod quum causa est gratuita, effectus quoque ejusdem naturae dicendus est? Est autem praedestinatio ad gratiam gratuita: Et praedestinatio itaque ad gloriam; hoc nempe sensu, prout etiam auxiliorum dona complectitur, prout complete, prout adaequate sumpta. Accedit quoad D. Aug. quod inter probationes diximus.

Peculiariter tamen respondendum censemus illis Ap. verbis: *Cum nondum nati fuissent, etc.*, utpote quibus Adversarii praecipue extolluntur; 1.° quod si de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita illic Apostolus loqueretur, sequeretur inde, reprobationem positivam, seu ad supplicium aeternum, dicendam quoque esse ante praevisa demerita, et ex solo Dei beneplacito; quod blasphemum dictu. Non ergo illic loquitur Apostolus, nisi de inaequali distributione, seu mensura donorum gratiae in hac vita; et praecise de praedestinatione ad gratiam fidei, seu de vocatione ad veritatem Evangelii, quae omnino gratuita est, et ab humanis meritis independens, ut colligitur et ex ipsius scopo, Judaeorum nempe jactantiam reprimendi, qui gloriabantur, quasi suis operibus, ac legis merito vocati fuissent ad fidem Christi, et ex D. Aug. l. 1. ad Simplic. q. 2., ubi: *Intentio Apostoli, quae per totam Epistolam viget, est, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitae gloriari, quod datae sibi legi servissent, et ex hoc Evangelicam gratiam, tamquam debitam meritis suis percepissent.* 2.° Quod odium, quo dicit, Deum prosecutum fuisse Esau, improprie, ac comparate ad Jacob ab eo accipitur, idest pro minori dilectione, quia nempe Deus magis Jacob dilexit, et majora gratiae dona ipsi concessit, quam Esau: quo sensu usurpatur quoque odium in Scripturis Lucae 14.; ubi: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem suam; non potest meus esse discipulus.* Idest, ut D. Matth. interpretatur c. 10. *Qui amat patrem, aut Matrem plus quam me, non est me dignus.* 3.° Quod dum Pharao excitatus a Deo dicitur, ut suam in eo virtutem, ac potentiam ostenderet, non quidem dicitur ab Apostolo hoc sensu, quod Deus illum

ad malum excitaverit, quod blasphemum dictu, sed quod, praevisa ejus perversa, et in malo contumaci voluntate, ea usus est in manifestationem virtutis, ac potentiae suae. Ait demum Apostolus, quod Deus *cujus vult, miseretur*, quia nemini suam gratiam debet; *et, quem vult, indurat*; idest, ut explicat D. Aug. ep. ad Sixtum 194., *non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*. Quodque alium facit *vas in honorem*, per gratuitam nempe donorum suorum largitionem; *alium vero in contumeliam*, suae malitiae, ac indurationi eum relinquendo. Ex quibus patet, quam immerito Adversarii ex relatis Apostoli verbis triumphum canant, quasi pro eorum sententia essent decretoria.

Objic. 3.° Eodem modo ex Aug. praedestinantur adulti, quo et parvuli, qui, percepto baptismo, ante rationis usum occumbunt; ita enim S. D. l. de dono persev. c. 9. *Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis; cur iste assumatur, ille relinquatur; ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem non ita vocetur; huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Quibus similia habet quoque aliis in locis. Praedestinationem autem parvulorum, qui, percepto baptismo, ante rationis usum occumbunt, nemo non dicet ante omnem meritorum praevisionem: Ergo et de praedestinatione adultorum idem dicendum.

R. 1.° neg. maj.; nam praedestinatio parvulorum, qui, percepto baptismo, ante rationis usum occumbunt, est gratuita etiam in ordine executionis, ex quo sequitur, habendam non esse, saltem adaequate, tamquam normam electionis, qua praedestinantur adulti. Videtur vero D. Aug. docere, quod eodem modo praedestinentur tales parvuli, quo et adulti, 1.° quia aeque talium parvulorum, quam adultorum praedestinatio etiam ad gloriam, non operibus, seu meritis eorum naturalibus ullatenus innititur, sed uni Christi gratiae omnino gratuitae; quod unum semper intendit S. Doctor. 2.° quia aeque praedestinantur ex meritis Christi ipsis applicatis. Taliumque parvulorum exemplo apposite utitur D. Aug. contra Pelagianos, et Semipelagianos, ut demonstret, nec gratiam, nec glo-

riam naturae meritis retribui, quae sane nulla sunt tam in adultis, quam in parvulis.

R. 2. neg. min.; dum enim disputatur, an praedestinatio ad gloriam dicenda sit ante, vel post meritorum praevisionem, quaeritur, an decretum dandi gratias, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, dicendum sit praecedens, vel subsequens decretum dandi gloriam. Quo posito, dicimus, praedestinationem ad gloriam parvulorum decedentium post perceptam baptismi gratiam dicendam quoque esse ex praevisis Christi meritis ipsis per baptismum applicatis; seu Decretum, ipsis dandi gloriam subsequens esse decretum, quod ad baptismi gratiam pervenirent.

Objic. 4.° Si donum perseverantiae immediate cum gloria conjungitur, et omnino prorsus est gratuitum, nequit profecto alia ratio assignari, cur aliquibus concedatur, et aliis non concedatur, quam quod alii sunt ad gloriam gratis electi, alii ab ea exclusi. Porro donum perseverantiae immediate cum gloria conjungitur, et omnino prorsus est gratuitum: Alii ergo dicendi sunt gratis ad gloriam electi, alii ab ea exclusi.

R. 1.° neg. sequ. maj.; 1.° enim si argumentum quid probaret, sequeretur inde, gloriam non tantum in intentione, sed etiam in executione omnino gratuitam esse, sicut omnino gratuita est etiam in executione finalis perseverantia. 2.° quia posita etiam praedestinatione post praevisa merita, recte dicitur, prius a Deo intendi, ac destinari electis perseverantiam, quam gloriam, quae fructus est, ac merces perseverantiae; quod et innuere videtur D. Aug. l. de corr. et gr. c. 6., ubi: *Quis in aeternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiae dono?* Quibus accedit, et quod quaestioni, cur uni detur finalis perseverantia, alteri non detur, non respondit D. Aug., causam esse, quia unus est praedestinatus ad gloriam, alter non, sed causam, dixit, se ignorare, et ad unum Divinae voluntatis beneplacitum, cujus nulla ratio reddi potest; recurrendum esse: *Noli quaerere, si non vis errare*: et quod, licet donum perseverantiae de condigno mereri non possimus, possumus tamen illud de congruo per orationem mereri, ut supra diximus.

Objic. 5.° Discretio electorum a reprobis vel petenda est a gratia praeveniente, vel ab hominis co-

peratione. Non autem ab hominis cooperatione, secus namque sicut homo est causa suae cooperationis, ita esset causa suae discretionis: Tantum igitur a gratia praeveniente; ex quo sequitur, quod praedestinatio ad gloriam ante omnem meritorum praevisionem dicenda est.

R. neg. maj.; petenda enim est et a gratia praeveniente, et simul ab hominis cooperatione; unde ajebat Ap. *Gratia Dei mecum.*

Objic. 6.° Habet gloria rationem finis. Hic autem intenditur ante media: Ergo et gloria ante meritorum praevisionem.

R. 1.° argumentum solvendum quoque esse ab Adversariis, qui, Thomistis exceptis, docent, praedestinationem Angelorum Sanctorum factam fuisse ex praevisis meritis. 2.° quod si quid probaret argumentum, sequeretur inde, praedestinationem electorum in meritis Christi fundatam non esse; finis namque electio, ut Adversarii ajunt, est prior electione mediorum. Sed merita Christi sunt media ad consequendam gloriam, ut fides docet: Ergo efficax electio ad gloriam est prior praevisione, et electione meritorum Christi, in quibus proinde non fundatur. Falsum hoc: Ergo et illud, ex quo sequitur, quod nempe finis semper intenditur prius, quam media. 3.° dist. maj.; quod nempe gloria habet quidem rationem finis; non tamen finis simpliciter, sed ad quem nonnisi laborando, bonisque operibus incumbendo Dei auxiliante gratia perveniendum a nobis est.

Objic. 7.° Quemadmodum ex electione mediorum inefficacium recte arguitur voluntas inefficax finis, ita ex electione mediorum efficacium voluntas quoque efficax finis arguenda est. Electis autem praeparavit Deus ab aeterno media efficacia ad consequendam gloriam: Haec ergo iis praeparavit ex efficaci intentione iisdem dandi gloriam; ex quo sequitur, prius voluisse illis gloriam, quam media ad eam consequendam, ideoque praedestinationem ad gloriam dicendam esse ante omnem meritorum praevisionem.

R. 1.° dist. min.; quod nempe electis praeparavit ab aeterno media efficacia ad consequendam gloriam per bona opera, quae fecissent talium mediorum ope; non vero secus, nec aliter: ex quo sequitur,

quod nec etiam gloriam illis dare constituerit, nisi ex praevisis hisce operibus, quibus gloriam sibi promeriti fuissent. 2.° neg. quod inde consequens sit, praedestinationem ad gloriam dicendam esse ante omnem meritorum praevisionem: quia enim, ut postremo loco inter probationes diximus, gratiae efficacia proxime, et in actu secundo agnoscenda est a voluntatis consensu, prius idcirco prioritate, ut non semel monuimus, naturae, seu rationis, ordinis, conceptus, non temporis, dicendum est, Deum praevidisse ipsum voluntatis consensum, deinde vero gloriam praeparasse; quia quoties medium ad finem hujusmodi est, ut voluntas creata possit illud respuere, non potest prius efficaciter intendi, ac destinari finis, quam praevideatur non restitura, seu consensura voluntas. Hinc, quia quaecumque supponatur gratiae vis, et efficacia, de fide est, voluntatem semper posse ipsam respuere, si velit, prius idcirco, quam absolute, et efficaciter homini decerneretur finis, seu gloria, praevideri debuit ipsius voluntatis consensus sub his, vel illis auxiliis gratiae.

Objic. 8.° Non semel gloria haereditatis nomine in Scripturis donatur. Ad Patris autem haereditatem contendunt filii citra omne meritum: Ergo et gloria electis praeparata a Deo fuit ante praevisa merita.

R. 1.° , quod si valeret argumentum, probaret quoque, gloriam citra omne meritum conferri, quemadmodum nempe a filiis citra omne meritum haereditas aditur. 2.° dist. maj.; quod nempe gloria haereditatis nomine in Scripturis donatur, sed haereditatis, quae obtinetur jure adoptionis, non jure nativitatis; unde ait Ap. ad Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Hinc ad capessendam hujusmodi haereditatem requiritur et adoptio in filios Dei per gratiam sanctificantem, et quod per bona opera illam adeamus, ut idem Ap. docet ad Rom. l. cit. ubi: *Si filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur*. Quibus accedit quod idem ait ep. ad Coloss. c. 3. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis*. Quo in loco advertendum, non vocasse Apostolum Coelestem gloriam simpliciter *haereditatem*, sed *retributionem haereditatis*; ut intelligamus, quod postquam

per sanctificantem gratiam fuerimus in filios Dei adoptati, requiritur item, ut haereditatem adeamus, quod per mala opera non amittamus jus ad haereditatem a nobis adeptum, sed potius per bona opera aditum acquiramus ad eamdem.

Prop. V. Effectus praedestinationis sunt per se vocatio, justificatio, et glorificatio. Ita communiter.

Prob. Ut aliquod dicatur praedestinationis effectus, requiritur 1.° , ut sit a Deo ordinante. 2.° , ut sit ex meritis Christi, *non enim aliud nomen est sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* 3.° ut ad ordinem supernaturalem pertineat. 4. ut certissime ad vitam aeternam perducat. Hujusmodi autem sunt vocatio, justificatio, et glorificatio; ex quibus vocatione, et justificatione perducuntur electi ad vitam aeternam per modum medii, glorificatione per modum termini. Hinc Ap ad Rom. 8. *Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Ubi advertatur, quod ad vocationem referuntur omnia signa externa, quae Deus confert ad promovendam internam vocationem, ad justificationem vero tum omnes motus fidei, spei, charitatis, contritionis, tum omnia gratiae dona, quae illam consequuntur usque ad vitae finem.

Diximus *per se*; nam per accidens potest quoque dici praedestinationis effectus quidquid ad salutem praedestinati quoquo modo conducat, ne ipsa excepta peccati permissione, ut probare videntur illa Ap. verba l. cit. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*; idest, ut explicat D. Aug. l. de corr. et gr. c. 9., *usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant, et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.*

Prop. VI. Nulla datur reprobatio negativa ex sola Dei voluntate, vel ob solum peccatum originale. Ita probabilius.

Prob. Cum nulla sit salus extra gloriam, si Deus proinde vera, et sincera voluntate, originali etiam peccato supposito, vult omnes homines salvos fieri, neminem, dicendum est, ex sola sua voluntate, vel etiam ob solum peccatum originale a gloria exclusisse. Vult autem Deus vera, et sincera voluntate, originali etiam peccato

supposito, omnes homines salvos fieri: Neminem ergo, dicendum est, ex sola sua voluntate, vel ob solum peccatum originale exclusisse a gloria; quae exclusio cum sit ea, quae reprobatio negativa dicitur, nullam proinde dari reprobationem negativam ex sola Dei voluntate, vel ob solum peccatum originale, consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° D. Th. 1 p. q. 23. a. 5. ad 4., ubi: *Quare hos elegit ad gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem, nisi Divinam voluntatem*: Ex hac igitur sola petenda est reprobatio.

R. dist. ant.; quod nempe cum agitur de praedestinatione, et reprobatione *comparate*, unius nempe prae alio, sola Dei voluntas utriusque est causa; non tamen si utraque *absolute* consideretur, hujus enim legitima causa redditur peccatum sive originale per baptismum non deletum, sive actuale. Loqui vero D. Thomam de praedestinatione, et reprobatione *comparatè*, ostendunt tum verba laudata, tum quae ex D. Aug. in confirmationem affert: *Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare* (*tr. 26. in Jo.*).

Objic. 2.° Independenter ab ulla peccati praevisione esse potuit exclusio a gloria, si haec sit bonum nulli homini debitum. Est autem gloria bonum nulli homini debitum: Independenter ergo ab ulla peccati praevisione exclusio a gloria esse potuit.

R. dist. min.; quod nempe gloria Coelestis est bonum homini indebitum, absolute loquendo; non tamen loquendo hypothetice, et consequenter ad ordinationem Dei, qua statuit omnes homines salvos facere per Christi merita, ut illam Caelestem gloriam consequi possent.

Objic. 3.° Vocat D. Augustinus, cujus verba adduximus prop. IV., genus humanum post Adae lapsum massam quamdam damnatam, et perditam, ex qua alii per misericordiam eruuntur, alii justo judicio non eruuntur. Quid porro clarius, quam hos per peccatum originale ex D. Aug. negative reprobari? Ob solum ergo peccatum originale nonnullos negative reprobari, dicendum est.

R. neg. min: ; agnoscimus namque cum D. Aug. massam illam communem damnatam in Adam, *in quo omnes peccaverunt*; idque magis et quia non pauci, qui ad baptismi gratiam non perveniunt, ob illud tantum per baptismum non deletum reprobantur; et quia ob corruptionem naturae allatam, ab eo prodeunt, tamquam a radice, omnia peccata actualia, in quibus obstinate, et impoenitenter decedentes in aeternum ignem labuntur. Cum eodem tamen D. Aug., cujus testimonia cap. ant. adduximus, agnoscendum simul est, quod Deus voluntate antecedente constituit massam illam in Christo, et per Christum a perditione eripere gratiae suae auxiliis, quae distribuit, prout vult, aliis majora, aliis minora, tametsi sufficientia, ut salutem assequi possint, mediate saltem. Quae vero causa sit, cur alii ex massa illa efficaciter liberandi destinentur a Deo, alii non: si de liberatione *comparate*, unius scilicet prae alio, sermo sit, nec causa, nec ratio alia reddi potest, quam Dei voluntas, ut diximus: si vero de liberatione *absolute*, quod haec desit, hujus causa est peccatum, ut etiam diximus, vel originale, in quantum consideratur per baptismum non deletum, vel actuale ob ejus gratiarum abusum.

Objic. 4.ª Parvuli absque baptismo decedentes profecto non reprobantur, nisi ob solum peccatum originale, in quo decedunt. Quod cum ita sit, quid clarius, quam quod utique datur reprobatio saltem negativa ob solum originale peccatum? Falsum ergo quod nos e contrario asseruimus.

R. neg. maj.; ut enim diximus c. ant. resp. ad ult., infelices quoque illi parvuli, qui absque baptismo decedunt, *numquid* (ut ait D. Aug. l. 4. contra Julian. c. 8.) ***homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, omnes homines vult salvos fieri?*** Cum itaque, supposito etiam peccato originali, eos quoque Deus salvos fieri vellet voluntate antecedente, causa idcirco eorum reprobationis dicenda non est ipsum praecise originale peccatum, in quo decedunt, sed defectus Baptismi, quem et Deus illis paravit, et causarum dumtaxat secundarum ordo impedimento est, ut iis applicetur: *Dicendum* (ita proinde de iis D. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. art. 1. ad 1.), *quod non est ex defectu Divinae Misericordiae, quod in maternis uteris existentibus remedium*

non exhibetur, *sed quia non sunt capaces illius remedii*, *per quod secundum legem communem participes Passionis Christis efficiantur*, *a qua est remissio peccatorum*, *quia non possunt subjici operationi Ministrorum Ecclesiae*, *per quos talia remedia ministrantur*. Qua super re consulantur, quae diximus l. cit., ne actum agamus.

Prop. VII. Nulla datur in fidelibus baptizatis reprobatio a gratiis uberioribus ob peccatum originale. Ita verisimilius.

Prob. Peccatum omnino prorsus per baptismum dimissum nullius generis reprobationis causa esse potest. Per baptismum autem omnino prorsus dimittitur peccatum originale; ait namque Ap. ad Rom. 8., quod *nihil damnationis est in iis*, *qui sunt in Christo Jesu*; idque ait de renatis in Christo per Baptismum, quare declaravit Trid. sess. 5. Decr. de pecc. orig *In renatis nihil odit Deus*, *quia nihil est damnationis in iis*, *qui consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem*: Nulla igitur in fidelibus baptizatis adesse potest reprobatio a gratiis uberioribus ob peccatnm originale. Cui accedit, et quod idem Trid. ait sess. 6 c. 11. *Deus sui gratia semel justificatos non deserit*, *nisi ab eis prius deseratur*: quo in loco agit Concilium de gratia actuali, quia agit de observatione mandatorum Dei, quae sine actuali gratiae auxilio observari nequeunt. Et quod ibidem subdit c. 13. *Deus*, *nisi ipsi* (justi) *illius gratiae defuerint*, *sicut coepit opus bonum*, *ita perficiet*, *operans velle*, *et perficere*.

Nec valet cum Adversariis dicere, quod si per peccatum originale, licet dimissum, superest indignitas quaedam, superest quoque id, quo fieri potest, ut Deus gratias uberiores absque ulla injustitia deneget. Superest porro per illud, tametsi dimissum, indignitas quaedam, nam supersunt ignorantia, concupiscentia, mortalitas, etc.: Quidni igitur id, quo fieri potest, ut Deus gratias uberiores absque ulla injustitia deneget?

Reg. enim neg. min.; quae enim indignitas in eo esse potest, in quo nihil est damnationis? Poenalitates autem, quae post baptismum supersunt, ad agonem, et exercitium virtutis, in nobis superstites remanent, nec ullam ex se mali moralis, ideoque indignitatis, rationem habent.

Prop. VIII. Impium, blasphemum, atque haereti-

cum est, reprobationem positivam in solam Dei voluntatem cum Calvino refundere.

Prob. Et 1. ex Scripturis; ut ex Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum.* Et c. 11. *Diligis omnia, quae sunt; et nihil odisti eorum, quae fecisti.* Et Ezech. 18. *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus?* Et 2. Pet. 3. *Deus neminem vult perire.* 2.° ex Trid. sess 6. can. 17. 3.° ex D. Aug. l. 3. cont. Julian. c. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus. Potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* 4.° ratione, ipsius Calvini verbis proposita l. 3. Inst. c. 23., *nam exitio devovere quos placuerit, tyranni magis libidini, quam legitimae judicis sententiae convenit.*

Nec ullatenus adversatur illud Apostoli ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?* Quibus similia habentur et in eadem epistola, et alibi. Praefatis namque, et similibus Scripturae verbis unica responsione fit satis, quod Sacrae litterae non loquuntur, nisi de praedestinatione, et reprobatione *comparate*, unius scilicet prae alio: sub quo respectu nullam utriusque assignari posse causam praeter Dei voluntatem, libentissime fatemur, sed exclamandum cum Apostolo: *O altitudo! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!*

Prop. IX. Effectus reprobationis sunt permissio peccati, quemadmodum et in eo perseverantia, et obduratio, quatenus peccatorum praecedentium poena, et ex subtractione uberiorum gratiarum proveniens; nec non damnatio aeterna. Seu, ut D. Thomas loquitur, permissio peccati, obcaecatio, reprobus sensus, et impoenitentia finalis.

Prob. Ut aliquod dicatur reprobationis effectus, requiritur, ut cum reprobi damnatione connexionem habeat, idque Deo ita justissime ordinante. Hujusmodi autem sunt quae diximus: nam quoad 1.m, nequit quidem peccatum sub ratione culpae a Deo esse, *Deus enim intentator malorum est*, ut dicitur in ep. Jac. c. 1.; et *non volens iniquitatem*, ut ait Regius Psaltes Ps. 5., et *nemini mandavit impie agere*, ut habetur Eccli. 15.: potest tamen ab eo esse permissive, quatenus in poenam negligentiae in orando, et parvi profectus in gratiis antea impertitis, nec non peccatorum praecedentium denegat homini uberiores gra-

tias, quibus fretus non laberetur; unde dicitur Deut. 32. *Mea est ultio, ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum.* Et Eccli. 3. *Cor nequam gravabitur; et peccator adjiciet ad peccandum.* Et Js. 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid faciam vineae meae: auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriem ejus, et erit in conculcationem; et ponam eam desertam; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Et Jo. 12. *Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur.* Similiter nequit quidem perseverantia, et obduratio in peccato a Deo esse, quatenus sunt mala culpae, et sonant obfirmatam in malo voluntatem; quod et probant relata Scripturarum verba, et confirmat Ezech. l. cit. *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non, ut convertatur a viis suis, et vivat?* Et D. Petr. ep. 2. c. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti:* potest tamen ab eo esse sub eadem ratione, qua peccatum permittit; unde dicitur Ps. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Et ad Rom. 1. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt . . propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiae, in reprobum sensum, etc . .* Ejusmodi demum esse damnationem aeternam ex eo patet, quod est et terminus reprobationis, et a Deo vindice: Sunt igitur reprobationis effectus permissio peccati, quemadmodum et in eo perseverantia, et obduratio, quatenus peccatorum praecedentium poena, et ex subtractione uberiorum gratiarum proveniens; nec non damnatio aeterna. Quae omnia Deus longe a nobis per Jesum Christum avertat.

FINIS VOLUMINIS SECUNDI.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 118. v. 2. pras	pars
Pag. 126. v. 33. *mellus*	*melius*
Pag. 135. v. 6. n	in
v. 9. mag s	magis
Pag. 136. v. 28. esser-	essen-
Pag. 139. v. 34. gioriae	gloriae
Pag. 141. v. 18. en m	enim
Pag. 143. v. 13. qual bus	qualibus
Pag. 151. v. 27. de est	deest
Pag. 166. v. 37. *cooperamus*	*cooperamur*
Pag. 186. v. 30. adbuc	adhuc
Pag. 209. v. 32. ut ut eat	ut qui eat
Pag. 226. v. 17. *coercebai*	*coercebat*
Pag. 236. v. 9. clrcumstantia	circumstantia
Pag. 238. v. 6. *es*	*et*
v. 28. *d sipiat*	*desipiat*
v. 38. *salvam*	*salvum*
nnllum	*nullum*
Pag. 240. v. 26. acternam	aeternam
Pag. 251. v. 5. *videnter*	*videntur*
Pag. 271. v. 27. absolu?e	absolute
Pag. 275. v. 31. oppetiis se	oppetiisse
Pag. 276. v. 37. grutuita	gratuita
Pag. 283. v. 26. A cedit	Accedit
Pag. 286. v. 25. *u lis*	*ullis*
Pag. 289. v. 28. persaeverantia	perseverautia